Divisio: dividitur in ignorantiam iuris et facti, vincibilem et invincibilem. Vincibilis dividitur in inculpabilem et culpabilem; culpabilis in vincibilem affectatam et non affectatam; non affectata est vel crassa vel simpliciter vincibilis. Invincibilis dividitur in invincibilem antecedentem et concomitantem.
Ignorantia iuris: est ignorantia legis; est aut ignorantia legis et poenae legi adiectae aut solius poenae.
Ignorantia facti: est ignorantia rei, quae fit vel facta est.
Vincibilis: quae adhibita diligentia ordinaria deponi potest.
Inculpabilis et culpabilis: prout id, quod ignoratur, sciri non debuit vel addiscendi occasio non fuit; aut sciri debuit et occasio addiscendi adfuit, quae autem libere praetermissa est.
Affectata et non affectata: Affectata: quam quis in se vult; non affectata: quam quis in se non vult, sed solum permittit.
Crassa et simpliciter vincibilis: crassa est, quando nulla, posterior, quando aliqua, sed non sufficiens diligentia adhibita est ad eam deponendam; haec posterior est vel graviter vel leviter culpabilis, prout negligentia in inquisitione veritatis gravis vel levis fuit; tamen probabiliter omnis ignorantia simpliciter vincibilis leviter culpabilis est.
Invincibilis: quae deponi non potest; est vel physice invincibilis, si homini nulla cogitatio in mentem venerat de re ignorata; vel moraliter invincibilis est, si scit se ignorare rem, tamen ignorantiam deponere non potest, etiam adhibita diligentia ordinaria.
Antecedens: quae si non adfuisset, actus non fuisset positus.

Concomitans: qua non obstante, actus nihilominus fuisset positus.

7. **Concupiscentia:** sunt actus appetitus sensitivi: amoris erga bonum sensibile, fugae versus malum sensibile.

Quotuplex est? R. duplex: antecedens: sunt actus appetitus sensitivi, qui fiunt absque consensu voluntatis; consequens: qui fiunt cum consensu voluntatis.

8. **Metus:** est fuga appetitus sensitivi et voluntatis 1° a malo 2° imminenti, quod 3° difficile averti potest.

Quotuplex est? R. est quintuplex: antecedens vel concomitans, gravis vel levis, incussus ab extrinseco vel ab intrinseco; incussus ab homine est vel iuste vel iniuste incussus, incussus vel in ordine ad actum extorquendum vel in ordine ad aliquid aliud.

Antecedens: qui causa actus est, i. e. qui non poneretur, si metus non adesset.

Concomitans: qui non est causa actus i. e. qui etiam poneretur, si metus non adesset.

Gravis et levis: prout vel grave vel leve malum timetur; metus gravis est vel absolute vel relative gravis, prouti malum, quod timetur, absolute vel relative grave est.

Ab intrinseco: i. e. a causa homini interna proveniens.

Ab extrinseco: i. e. a causa homini externa incussus; haec est vel causa necessario agens vel libera.

Iuste et iniuste incussus: prout homo, qui metum incutit, ius habet ad metum incutiendum vel non habet.

In ordine ad actum extorquendum vel ad aliud: prior adest, quando homo metum incutiendo actum causare vult in alio; posterior, quando aliud intendit.

Metus reverentialis: est metus contradicendi Superioribus; metus mere reverentialis est levis tantum.

9. **Violentia:** est vis homini illata a causa extrinseca, renitente voluntate eius.
   Divisio: Quotuplex est actus violentus? R. duplex: absolute violentus, si quis vi illatae interne et externe restitit, quantum potuit et debuit; secundum quid violentus, si vel interne vel externe non restitit, quantum potuit et debuit.
10. **Consuetudo moralis:** est habitus voluntatis intensus et diu radicatus seu magna inclinatio voluntatis ad bonum vel malum, per actus frequenter repetitos acquisita et retenta cum praevisione effectuum eius. Vide pag. 266 n. 30.
11. **Morbus animi:** est mala affectio potentiarum sensitivarum (phantasiae, appetitus sensitivi et cerebri), vi cuius hominis intellectus malitiam actus non amplius apprehendit ideoque homo libertate caret in agendo (dementia).
12. **Norma moralitatis:** Quid est? R. est id, cui actus humanus debet esse consentaneus; est vero natura hominis cum suis relationibus ad Deum, seipsum et alias creaturas.
    Actus moraliter bonus: est actus humanus normae moralitatis conveniens.
    Actus moraliter malus: est actus humanus normae moralitatis disconveniens.
    Divisio bonitatis et malitiae moralis: Quotuplex est bonitas vel malitia moralis actus humani? R. duplex: materialis et formalis, interna et externa.
    Materialis et formalis: Prior est convenientia cum norma moralitatis, quae actui inest independenter a cognitione et intentione agentis; posterior est illa, quam agens iudicat actui inesse et vult.
    Interna et externa: interna est ea, quae actui inest ex natura sua (i. e. ex obiecto eius); externa, quae ei inest solum propter legem positivam.
    Suprema norma moralitatis: est ultima ratio, cur aliquis actus humanu sconvenit vel disconvenit naturae hominis eiusque

relationibus; est Deus, creator hominis et relationum eius, naturalium et supernaturalium.

13. Meritum: est opus, quod praemium retribuendum exigit.

Divisio: dividitur in meritum in actu primo et in meritum in actu secundo, in meritum naturale et supernaturale, supernaturale in meritum de condigno et de congruo; meritum de congruo in meritum de congruo infallibili et fallibili; meritum de condigno ratione boni, quod meretur, in meritum huius vitae et in meritum pro patria; meritum pro patria in essentiale et accidentale.

In actu primo: quod proportionem tantum habet cum praemio, sive perfectam, sive imperfectam.

In actu secundo: cui ab illo, in cuius obsequium et utilitatem opus cedit, de facto etiam praemium promissum est.

Naturale et supernaturale: prouti bonum naturale vel supernaturale tamquam praemium exigit.

De condigno: cui ex iustitia praemium reddendum est; hoc est meritum proprie dictum.

De congruo: cui solum ex quadam aequitate et convenientia praemium debetur.

Infallibili et fallibili: prout Deus expresse praemium promisit vel non.

Obiecta meriti de congruo infallibili: obtinenda per supplicem deprecationem, si omnes condiciones ad efficaciam orationis adsunt: 1° gratiae supernaturales actuales, excepta prima, etiam praevisae efficaces, 2° iustificatio propria promerenda per actum caritatis perfectae erga Deum vel contritionem perfectam, 3° perseverantia finalis seu mors in statu gratiae et visio beatifica, 4° reparatio post lapsum, 5° conversio aliorum.

Meritum de condigno huius vitae: 1° augmentum gratiae sanctificantis, habi-

tuum infusorum et donorum Spiritus S., 2° gratiae supernaturales actuales.

Pro patria: Essentiale: maior gradus visionis beatificae. Accidentale: tres aureolae, visio humanitatis Christi et Deiparae, corpus gloriosum eiusque qualitates gloriosae, familiare consortium angelorum, locus singularis in coelo.

Tres aureolae: sunt speciale praemium accidentale reddendum martyribus, doctoribus et virginibus et consistit non solum in speciali gaudio de victoria reportata de mundo, diabolo et carne, sed etiam in maiori intelligentia divinorum (pro doctoribus) et (pro martyribus et virginibus) in speciali deputatione ad laudes concinnendas divinas.

14. **Principia moralitatis:** sunt illa elementa in actu humano, quae faciunt, ut normae moralitatis conveniat aut disconveniat; sunt: obiectum, circumstantiae et finis agentis.

Obiectum, circumstantiae, finis sunt vel bona, vel mala vel indifferentia: prout conveniunt aut disconveniunt aut nec conveniunt nec disconveniunt normae moralitatis.

15. **Circumstantiae:** comprehenduntur versiculo: · Quis, quid, ubi, quibus auxiliis, (cur), quomodo, quando.

Divisio: dividuntur in illas, quae speciem moralem mutant, quae speciem theologicam mutant, et quae speciem non mutant, sed solum aggravantes vel imminuentes sunt.

Speciem theologicam mutantes: quae ex peccato gravi leve vel ex levi grave peccatum faciunt.

Speciem moralem mutantes: quae actui superaddunt novam speciem bonitatis aut malitiae praeter illam, quam iam ex obiecto suo habet.

Aggravantes vel imminuentes tantum:

quae bonitatem aut malitiam intra eandem speciem moralem et theologicam augent vel minuunt; sunt vel leviter vel notabiliter aggravantes vel imminuentes.

PRINCIPIA.

1. Ut actus sit humanus et imputabilis in praemium vel poenam, *ideo* esse debet libertate a necessitate non solum externa, sed etiam interna, quia solum per hunc agendi modum homo distinguitur a brutis et dominus ac arbiter constituitur actuum suorum ita ut de eis respondere possit ac debeat tamquam auctor eorum.
2. Nihil volitum, quod non est *praecognitum*; nec perfecte volitum, quod non est plene praecognitum; tamen ad actum perfecte voluntarium non requiritur clara cognitio vel reflexa advertentia, sed sufficit confusa et directa.
3. Qui *tacet*, consentire videtur scl. tacens habendus est ut consentiens 1° in rebus pro ipso mere favorabilibus, 2° in aliis rebus solum, si dissentire facile posset et etiam deberet.
4. Quod fit cum *intentione* actuali vel virtuali est actus humanus, non vero id, quod fit cum intentione habituali vel interpretativa, quia primum, sed non alterum ideo fit, quia homo voluit, quum intentio habitualis et interpretativa non sit causa actus.
5. Ex duabus intentionibus sibi contrariis *praedominans* valet, quia haec alteram destruit.
6. Malum, quod fit ex *ignorantia* 1° physice invincibili licet concomitante, non est peccatum, utpote nullo modo voluntarium, quia nullo modo praecognitum; 2° quod fit ex ignorantia moraliter invincibili, etiam non est peccatum, si obligatio vere dubia fuit et ante actum tibi tecisti conscientiam practice certam de licitate actionis (vel

omissionis), secus peccas, si cum conscientia practice dubia agis. 3° Quod fit ex ignorantia vincibili culpabili, in peccatum imputatur, et, supposita gravitate rei ignoratae, in grave vel leve, prout ignorantia graviter vel leviter culpabilis fuit: quia in causa voluntarium est, i. e. in ignorantia voluntaria (scl. in negligentia in addiscendo, quae est in se voluntaria). Eadem principia valent etiam de inadvertentia actuali.

7. Malum grave, quod fit 1° cum advertentia ad actum physicum, sed ex aestu *passionis* vel pravo habitu contracto vel metu: a) in peccatum imputatur, idque grave, si usus rationis impeditus non fuit, quia voluntas malum, cuius malitiam intellectus ei expedite exhibuit, libere eligit, quum voluntas in suis actibus necessario solum a cognitione intellectus dependeat; b) si impeditus fuit usus rationis, ita ut nullo modo malitiam adverterit, non est peccatum, et leve est, si intellectus solum semiplenae advertentiae capax fuit. Si fit 2° sine advertentia ad actum physicum ex malo habitu, in peccatum imputatur, idque grave, si nihil fit ad deponendam malam consuetudinem: quia in causa est voluntarium, i. e. in consuetudine voluntaria (scl. in neglectu mediorum ad eam deponendam, quae negligentia in se est volita).

8. Bonum, ut imputetur, *directe intendi* debet, quia actus voluntatis ex obiecto bonitatem induere non potest, nisi eius bonitatem velit. Malum autem, ut imputetur, sufficit, ut saltem in confuso praevisum sit et non vitetur, si vitandum est, seu non debet directe intendi, quia voluntas iam mala fit, si malum non vitat, quod vitare debet.

9. ‚Qui est causa causae est causa causati': seu 1° *effectus* directe a te non intentus tibi est physice in causa voluntarius, si causam libere posuisti cum probabili et saltem confusa praevisione effectus; sine

hac ne physice quidem in causa voluntarius est. 2° Moraliter in causa voluntarius autem i. e. imputabilis est effectus mere praevisus, si effectus malus est et a te impediri debuit seu si a causa ponenda abstinere debuisti et quidem praecise ideo. ne sequatur ille effectus malus.

10. *Effectus malus impediri non debet,* seu licitum est ponere actionem, ex qua effectus malus secuturus praevidetur, si 1° actio saltem indifferens est, 2° ex ea etiam effectus bonus sequitur et quidem immediate, 3° hic tantum intenditur, malus autem nec intenditur ante positionem actus, sed mere permittitur, nec placet, quando reapse oritur, 4° causa proportionate gravis habetur ad actionem ponendam. Ratio est, quia sic effectus malus compensatur effectu bono eiusdem actus.

11. *Effectus malus* in causa tantum voluntarius, qui impediri debuit, 1° *tantum* est *peccatum*, quantum positio causae est, non quantum peccatum effectus malus in se est, et 2° illo tempore committitur, quo causa effectus ponitur: quia tota malitia effectus praevisi sed non intenti est ab actu voluntatis, quo homo causam eius posuit.

12. ‚*Bonum* ex integra causa, *malum* ex quolibet defectu' i. e. ut actus materialiter et formaliter bonus sit, bona esse debent: obiectum, finis et omnes circumstantiae; actus autem saltem materialiter malus est, si vel unum ex illis malum est.

13. ‚Non sunt facienda mala, ut eveniant bona': i. e. non licet ad *bonum finem* obtinendum media mala adhibere, quia propter finem bonum non desinunt esse mala.

14. *Finis malus* actum ex obiecto bonum 1° vitiat totum: a) si est totalis, quia sic voluntas solum malum vult, b) si est partialis, sed graviter peccaminosus, quia voluntas, quae peccatum grave vult, se avertit

a fine ultimo; non potest autem esse simul ad eundem finem conversa; idem valet de circumstantia graviter mala. 2° Si vero est finis partialis et leviter malus, actus partim bonus, partim malus est, quia peccatum leve non avertit hominem a fine ultimo; idem valet de circumstantia leviter mala.

15. Actus ex obiecto *indifferens* fit bonus: 1° per finem bonum vel circumstantiam bonam; 2° si in finem item indifferentem ordinatur quidem, tamen iuxta praescripta rationis ponitur.

16. Tota *moralitas* omnis actus ab actu voluntatis distincti eiusque effectus, est ab actu voluntatis, quo homo eos libere voluit, quia eis non inest libertas, nisi quatenus et quia libere a voluntate imperati sunt; nam sola voluntas libero arbitrio praedita est.

17. *Sine Deo* nulla moralitas et nulla obligatio in conscientia, quia ipse est ultima ratio omnis moralitatis utpote auctor omnium relationum hominis, quae sunt ipsae normae moralitatis.

18. Ad actum *naturaliter bonum* nulla bona intentio requiritur, sed sufficit, ut actum aliquem ex obiecto non malum advertenter ponas iuxta praescripta rationis, nihil mali in eo deprehendens: quia hic actus naturae rationali congruit et eo ipso implicite ad Deum tamquam medium ad finem ultimum ordinatus est.

19. Ad actum entitative *supernaturalem* nulla bona intentio requiritur, sed sufficit, ut actus naturaliter bonus eliciatur a potentia physica supernaturaliter elevata (sive per habitum sibi infusum, sive per supplementum habitus, semper coniunctum, si habitus deest, cum gratia actuali interna immediata supernaturali) et excitata per gratiam actualem, quae ad omnem actum naturaliter bonum homini christiano a Deo datur: nam natura physica omnis actus dependet a

natura physica principii physici eum elicientis.

20. Ad actum *de condigno meritorium* vitae aeternae requiritur 1° ut sit naturaliter bonus 2° entitative supernaturalis; 3° positus ab homine, qui est in statu gratiae sanctificantis, per quam homo est filius Dei adoptivus. Nam talis actus habet perfectam proportionem cum vita aeterna seu visione beatifica, quae est bonum entitative supernaturale et haereditas filii Dei naturalis, promissa a Deo bonis operibus supernaturalibus filii Dei adoptivi.

21. In usu *delectabilium* licitorum huius vitae solam voluptatem intendere i. e. voluptatem intendere, quin utens finem positive honestum explicite intendat, non est peccatum, dummodo hic non excludatur, vel explicite vel implicite eo, quod quis modum et mensuram a ratione praescriptum excedat: quia usus delectabilium convenit naturae animali et usus eorum iuxta dictamen rationis regulatus respondet naturae rationali hominis. Cfr. pag. 391, n. 34.

III.

DE LEGIBUS.

1. **Lex:** Quid est lex? R. est norma ad bonum commune societatis obligatorio modo proposita et promulgata a Superiore societatis.

Divisio: Dividitur in affirmativam et negativam; in naturalem et positivam; positiva dividitur in divinam positivam et humanam; humana: in ecclesiasticam et civilem, in mere praeceptivam, pure poenalem, mixtam, irritantem, fundatam in praesumtione vel periculi vel facti.

Affirmativa et negativa: prouti aliquid vel praecipit vel prohibet.

Naturalis: est ea, quae fluit ex natura rerum seu ex relationibus, quas homo ex

natura sua adeoque ipso facto creationis, habet ad Deum, seipsum et alias creaturas. Ad eam pertinent 3 classes praeceptorum: 1° suprema principia moralia, 2° praecepta, quae ex hisce immediate et facile concluduntur, seu decalogus (excepto cultu sabbati), 3° illa, quae ex praeceptis decalogi deducuntur.

Divisio legis naturalis: Quotuplex est lex naturae? R. triplex: affirmativa et negativa; primaria et secundaria; absoluta et condicionata. Prima divisio iam explicata est.

Primaria et secundaria: Prior est illa, sine cuius observatione naturalis finis rei praeceptae impossibilis redderetur; posterior est illa, sine cuius observatione naturalis finis rei praeceptae solum difficilius obtineretur.

Absoluta et condicionata: Lex naturae absoluta est ea, quae independenter a facto aliquo humano, unice ex naturalibus relationibus hominis vel ad Deum vel ad seipsum vel ad alias creaturas immediate sequitur. Condicionata est ea, quae solum dependenter ab aliquo facto, libere ab homine posito, ex iisdem relationibus sequitur.

Positiva lex: quae data est praeter et ultra legem naturae.

Divina positiva: Quotuplex est? R. triplex: noachitica, mosaica, evangelica. Mosaica continebat praecepta moralia i. e. decalogi, caeremonialia ad cultum inter Israelitas regendum et iudicialia ad vitam eorum socialem gubernandam. Lex evangelica continet: praecepta theologalia, i. e. circa virtutes theologicas; moralia, scl. decalogi et alia; sacramentalia: circa sacramenta.

Lex humana mere praeceptiva: quae solum obligat ad aliquid faciendum vel omittendum, sed poenam non statuit pro transgressione.

OF
MOUNT SAINT

Pure poenalis: quae non obligat ad actum ponendum vel omittendum, sed solum ad incommodum subeundum in casu transgressionis.

Mixta: quae simul ad actum ponendum vel omittendum et ad poenam subeundam in casu transgressionis obligat.

Irritans: quae actum aliquem invalidum facit. Est vel prohibens et simul irritans, si actum tum illicitum tum invalidum facit; vel mere irritans, si actum invalidum quidem, sed non illicitum reddit. In lege prohibente et simul irritante irritatio statuta est vel in poenam actus attentati et sic est simul poenalis vel statuta est tantum ad magis urgendam prohibitionem.

Lex fundata in praesumtione: est lex fundata in prudenti iudicio, in re incerta, ex circumstantiis.

Lex fundata in praesumtione periculi: quae aliquid praecipit vel prohibet ad praecavendum periculum frequenter coniunctum cum actu vel omissione actus.

Lex fundata in praesumtione facti: quae supponit aliquod factum, quod communiter contingere solet.

2. **Res meri consili:** est res bona non praecepta, sed melior quam eius oppositum.
3. **Iurisdictio:** Quid est? R. est potestas regendi alios ad finem societatis perfectae cum imperio in conscientia obligante.

Divisio: Dividitur in civilem et ecclesiasticam; ecclesiastica in iurisdictionem fori externi et fori interni; iurisdictio fori interni in sacramentalem et extra-sacramentalem; fori externi in voluntariam et contentiosam; alia divisio est in iurisdictionem ordinariam et delegatam, propriam et vicariam.

Iurisdictio fori externi: est ea, quae ordinat relationes externas sociales fidelium singulorum ad alios fideles et ad Superiores

MOUNT SAINT

ecclesiae, immediate ad bonum commune totius ecclesiae.

Voluntaria: est illa, quae exercetur in volentes sine forma iudiciali.

Contentiosa: quae exercetur etiam in invitos, seu qua exercetur potestas iudicialis et coactiva.

Fori interni: quae ordinat res conscientiae, i. e. relationes singulorum fidelium ad Deum, immediate ad bonum privatum eorum.

Fori sacramentalis: quae exercetur in sacramento poenitentiae, remittendo vel retinendo peccata.

Extra-sacramentalis: quae illas res conscientiae ordinat, quae non sunt mera peccata.

Ordinaria: est illa, quae continetur in munere aliquo ecclesiastico stabiliter in ecclesia instituto et ad vitam conferendo et coniuncto cum iure ad vitam dato vivendi ex fructibus bonorum ecclesiasticorum.

Delegata: est ea, quae habetur solum ex speciali commissione alterius.

Quotuplex est delegata iurisdictio? R. est duplex: 1° quasi-ordinaria, si a lege vel consuetudine pro semper annexa est ordinariae, vel continetur in munere aliquo ecclesiastico stabiliter in ecclesia instituto, non tamen necessario ad vitam conferendo. 2° Simpliciter delegata, si ab homine est delegata seu speciali actu Superioris. Haec est a) vel delegata ad universitatem causarum, si data est pro omnibus causis vel saltem pro omnibus causis certi generis; vel b) delegata solum pro certa quadam causa vel pro pluribus causis certi generis.

Propria: quae exercetur nomine proprio.

Vicaria: quae exercetur nomine et vice alterius.

4. **Gratia facta:** Quid est? R. est 1° gratia concessa immediate a Superiore, vel 2° concedenda per delegatum, cui Superior

mandatum dedit eam concedendi; 3° potestas a Superiore alicui illimitate data.

Gratia facienda: est gratia, cuius concessionem Superior libero et prudenti arbitrio delegati sui commisit; in hoc casu res dicitur adhuc integra, si delegatus nondum incepit uti potestate delegata; res non amplius integra est, si iam incepit ea uti. Vide pag. 332, n. 45.

5. **Approbatio alicuius decreti per Papam:** est consensus Papae in aliquod decretum magistratus ecclesiastici inferioris.

Divisio: Dividitur in approbationem decreti doctrinalis (S. Officii) et disciplinaris, in approbationem in forma communi et in forma specifica, approbatio facit illud decretum vel legem universalem vel non universalem.

Decreti doctrinalis: si decretum continet doctrinam in rebus fidei et morum revelatis vel non revelatis quidem, sed connexis cum revelatis.

Decreti disciplinaris: si decretum versatur circa legem mere ecclesiasticam.

In forma communi: si Papa non instituto rigoroso examine decretum condicionate tantum approbat, i. e. sub condicione, quod nihil contineat contra fidem et bonos mores (si est doctrinale) aut contra ius commune (si est disciplinare); in hoc casu decretum non fit decretum ipsius Papae.

In forma specifica: si Papa instituto antea examine rigoroso decretum absolute approbat; per hanc approbationem decretum fit decretum ipsius Papae, non tamen locutio Papae ex cathedra (si est approbatio decreti doctrinalis).

Pro tota ecclesia: si decretum specifice approbatum directum est ad totam ecclesiam.

Pro particulari territorio: si saltem in forma communi approbatum, solum pro certo territorio editum est.

6. **Domicilium ecclesiasticum:** est 1° factum

habitationis actualis in aliqua parochia 2° cum intentione perpetuo ibi manendi.

Quasi domicilium: est 1° factum habitationis actualis in aliqua parochia 2° cum intentione ibi manendi per maiorem anni partem (saltem per 6 menses).

7. **Peregrinus:** est ille, qui alicubi habet domicilium aut quasidomicilium, sed ad tempus extra illud versatur.
8. **Vagus:** qui vel actualiter vel habitualiter nullibi habet domicilium nec quasidomicilium.
9. **Immunitas ecclesiastica:** est privilegium, quo sacrae res et personae et loca sacra ob eorum sanctitatem libera esse debent non solum ab indignis oneribus, sed etiam ab illis, quae rebus, personis et locis profanis a societate civili imponuntur.

   Quotuplex est? R. est triplex: realis, personalis et localis, prouti rei vel clericis et Religiosis vel locis sacris et religiosis competit. Personalis complectitur etiam 1° exemtionem Papae ab omni iurisdictione civili, ad cuius exercitium plenum et bono ecclesiae accommodatum insuper indiget principatu civili cum proprio territorio; 2° privilegium fori, vi cuius clerici et Religiosi nec iudicari nec puniri possunt a iudice civili; 3° privilegium canonis, vi cuius percutientes clericos vel religiosas personas incurrunt excommunicationem Papae simpliciter reservatam. Cfr. pag. 192, n. 5; 196, 1° f; 197, 2° b; 184, n. 5. Immunitas localis continet etiam ius asyli.
10. **Promulgatio legis:** est talis propositio legis factae, ut eius notitia ad omnes subditos pervenire possit (nunc: publicata in commentario officiali „Acta Apostolicae Sedis" si est pontificia).
11. **Interpretatio legis:** est explicatio sensus legis iuxta verba eius ex mente legislatoris.

    Quotuplex est? R. est triplex: authentica, usualis, doctrinalis, quae est vel

comprehensiva vel extensiva: comprehensiva est vel stricta vel lata.

Authentica: quae fit ab ipso legislatore vel ab alio, eius nomine (a S. R. Congreg. respectiva, approbata a Papa in forma specifica vel edita ex mandato eius speciali).

Usualis: quae fit per praxim populi.

Doctrinalis: quam theologi dant.

Comprehensiva: quae verba legis in sensu proprio sumit.

Stricta: quae verba legis in sensu proprio et simul stricto intelligit.

Lata: quae verba legis in sensu proprio quidem, sed non solum in stricto, sed etiam in sensu latiore sumit.

Extensiva: quae verba legis etiam in sensu improprio intelligit.

12. **Epikeia:** est exceptio alicuius casus ex mente legislatoris, etsi contineatur in verbis legis, nec adsit causa per se a lege excusans.

Exemtio: est deobligatio a lege, eo quod quis desinit esse eius subditus.

In fraudem legis: agit, qui legi opponit causam eximentem vel impedientem ex unica vel unice principali intentione, ut legem observare non debeat.

13. **Causa excusans:** est impossibilitas physica vel moralis a lege deobligans, quamquam deobligatus manet esse subditus legis.

14. **Impossibilitas moralis:** est omnis gravis difficultas legi externa seu omne incommodum grave, proprium vel alienum, temporale vel spirituale, cum observatione legis non necessario coniunctum.

Difficultas legem observandi: Quotuplex est? R.: Duplex: interna et externa; interna est vel ordinaria vel extraordinarie magna.

Interna: est ea, quae cum observatione legis necessario et semper coniuncta est.

Externa: est difficultas, quae non necessario et semper, sed solum in particulari casu cum observatione legis coniuncta est.

Interna ordinaria: est ea, quam homines communiter sentiunt in legis observatione.

Interna extraordinaria: est ea, quam homo propter particularem dispositionem suam, physicam vel psycho-physicam vel moralem patitur in legis observatione.

15. **Dispensatio:** est deobligatio subditi a lege in particulari casu a legislatore vel eius delegato facta.

Causae dispensationis: dividuntur in canonicas et non-canonicas, veras et falsas; verae in motivas et impulsivas; falsae in illas, quae bona fide et in illas, quae mala fide assignatae fuerunt.

Causae canonicae et non-canonicae: prouti in iure scripto expressae sunt vel non.

Motiva: est ea, quae per se sufficit ad obtinendam dispensationem. Omnes et singulae causae canonicae sunt motivae, etsi non pro omni re petita.

Impulsiva: quae per se non sufficit ad movendum Superiorem ad dandam dispensationem, sed eum movet solum ad facilius dandam dispensationem ex causa motiva.

Dispensatio subreptitia et obreptitia: Prior est dispensatio obtenta, in cuius petitione aliquid necessario exprimendum reticitum fuit. Obreptitia, si quid falsum fuit expressum.

16. **Privilegium:** est facultas specialis et permanens data a Superiore praeter vel contra legem.

Divisio: Dividitur in privilegium praeter et contra legem seu ius commune; favorabile et odiosum, prout alteri vel nullum vel aliquod incommodum affert; reale et personale, prout immediate rei vel personae inhaeret; commune et privatum; mere gratiosum, remuneratorium et onerosum; perpetuum et temporaneum.

Privilegium commune: quod datum est alicui statui in bonum commune totius status.

Privilegium privatum: quod personae singulari vel alicui statui in bonum privatum singulorum datum est. Reliqua patent.

17. **Abrogatio legis:** est ablatio legis ex toto per legislatorem.

Derogatio legis: est ablatio legis ex parte per legislatorem.

18. **Cessatio legis:** est desitio legis eo quod causa legis pro tota societate adaequate cessat.

19. **Consuetudo:** Quid est? R. est praxis 1° populi, i. e. communitatis, quae iure gaudet res suas legibus propriis regendi, 2° rationabilis, i. e. non irrationabilis, scl. non contra legem Dei vel contra bonum commune vel contra essentialia iuris canonici vel cultus vel liturgiae; 3° libera, i. e. non exercita ex metu vel errore vel ignorantia vel inconsideratione vel levitate; 4° diuturna, i. e. saltem per 10 annos continuata; 5° uniformis, scl. a maiore parte populi observata; 6° constans seu non interrupta; 7° exercita cum animo se obligandi, respect. se deobligandi; 8° approbata (vel expresse vel lege lata seu legaliter) ab illo Superiore, a quo per modum legis scriptae potuisset imponi.

Divisio: Dividitur in consuetudinem universalem et particularem; in consuetudinem iuxta, praeter et contra legem.

Iuxta legem: quae legem explicat per modum, quo populus eam observat.

Praeter legem: quae novam obligationem inducit.

Contra legem: quae obligationem legis tollit aut ex toto aut ex parte.

PRINCIPIA.

1. *Limites potestatis* omnis Superioris determinantur ex fine societatis, cui praeest, adaequate spectato, i. e. simul cum mediis, per quae obtinendus est, seu Superior non potest id praecipere, quod vel praeter vel contra vel supra finem societatis est, quia potestas eius solum medium est ad finem societatis subditis procurandum. Quae vero ad finem societatis directe vel indirecte necessaria (seu utilia), nec supra eum sunt, potest Superior societatis perfectae praecipere et circa haec habet potestatem legiferam, iudiciariam et coactivam, quia haec triplex potestas est necessaria ad finem societatis perfectae obtinendum. Cfr. pag. 96, n. 4.
2. *Papa* omnia potest, quae ad vitam aeternam fidelibus procurandam necessaria vel utilia sunt, sive in se spiritualia sive temporalia sint, modo aliquid non sit exceptum per voluntatem Christi. „Quodcunque ligaveris etc. . . .“
3. ‚Ecclesia de *internis* non iudicat‘, potest tamen actus etiam mere internos praecipere, utpote saepe utiles ad finem ecclesiae.
4. ‚Extra territorium praecipienti impune non paretur‘: scl.: Jurisdictio ordinaria valide exerceri potest etiam *extra territorium* proprium, si est voluntaria, non vero, si est contentiosa.
5. ‚Quod quis facere potest per seipsum, potest etiam facere per alium‘: scl. 1° qui habet potestatem ordinariam (vel quasi-ordinariam) potest eam *delegare alteri*; 2° qui solum (simpliciter) delegatam habet, eam alteri subdelegare potest, si a) eam a Papa habet, vel b) ad universitatem causarum delegatus est, vel c) a delegante specialem et expressam facultatem subdelegandi accepit.
6. Potestas aliqua delegata per mortem delegantis (vel aliam amissionem officii)

non *expirat*, si est gratia facta vel gratia facienda quidem, sed res non amplius integra est: quia ius vel in re vel ad rem iam acquisitum est; re adhuc integra, expirat, nisi potestas data sit illimitate: quia nondum ius ullum ad usum potestatis acquisitum est.

7. Potestas delegata post mortem delegati (vel aliam amissionem officii) 1° transit ad *successorem* delegati, si delegatio realis fuit i. e. delegato concessa propter munus eius, quia haec adhaeret sedi eius seu muneri; 2° non transit, si personalis fuit i. e. ob qualitates personales delegati data, quia haec adhaeret sedenti seu personae.

8. Decreta *S. Congregationum Romanarum* quaecunque 1° semper obligant partes, i. e. illos, ad quos diriguntur, si saltem in forma communi a Papa approbata sunt; 2° omnes vero in ecclesia obligant, si pro tota ecclesia et vel ex speciali mandato Papae edita vel in forma specifica ab eo approbata sunt.

9. Potestas *rationabiliter praesumta* (i. e. interpretative data) 1° valet, si ad solam actus liceitatem requiritur, 2° non valet, si valor actus ab ea dependet, quia in hoc casu potestas est causa actus, quae realiter adesse debet, ut effectus sequi possit; potestas praesumta autem non est potestas vere data, sed solum daretur a Superiore, si de casu sciret.

10. Lex non *promulgata* non obligat, quia est voluntas legislatoris subditis nondum notificata et voluntas subditorum solum mediante eorum intellectu ligari potest. Cf. pag. 384, n. 6.

11. *Subditus* alicuius Superioris ecclesiastici Papa inferioris ordinarie aliquis eo fit, quod in parochia aliqua territorii eius domicilium vel quasi-domicilium acquirit.

12. *Filii minorennes* ibi domicilium (legale) habent, ubi pater domicilium suum habet (vel mater, si pater mortuus est, vel tutor, si ambo parentes mortui sunt) et *uxor*

domicilium mariti habet; solum quasi-domicilium (facti) minorennes et uxores alibi propria voluntate acquirere possunt.

13. ‚Lex afficit *territorium*, praeceptum adhaeret ossibus personae' i. e. 1° praeceptum ab eo, cui impositum est, ubique observari debet; 2° ut autem aliquis teneatur ad legem alicuius Superioris Papa inferioris observandam, debet esse de eius territorio seu eius subditus et in eius territorio seu actualiter et corporaliter in eo existens.

14. *Peregrini* et *vagi* non tenentur legibus dioecesanis, sed tantum 1° communibus, 2° illis legibus loci, in quo sunt, quae vel contractus respiciunt vel bonum commune loci tuentur vel specialiter pro peregrinis latae sunt. Cf. pag. 384, n. 5.

15. Perpetuo *amentes* aequiparantur infantibus, quia nunquam ad usum rationis pervenerunt, ideoque non tenentur legibus positivis sive humanis sive divinis.

16. Suprema principia moralia et praecepta *decalogi* (excepto cultu sabbati) ab homine adulto mentis excultae diu invincibiliter ignorari non possunt, sed solum ad breve tempus. Cf. pag. 384, n. 2.

17. ‚Ecclesia de iis, *qui foris sunt*, non iudicat' scl. legibus ecclesiae 1° non-baptizati non obstringuntur (nisi sint merae interpretationes legis naturae vel positive divinae omnes obligantis), quia ecclesia in eos iurisdictionem non habet, 2° haeretici autem et schismatici, licet extra ecclesiam sint, eas observare debent, quia Papa eos obligare a) potest, utpote ex baptismo (etiam dubie valido) iurisdictione in eos gaudens, et b) etiam de facto vult, saltem in genere. Cf. pag. 384, n. 4.

18. *Interpretatio* legis authentica, usualis et doctrinalis, si communis est auctorum sententia, omnes obligat, quia verum sensum legis certo ostendit. Cfr. pag. 6, n. 5; 384, n. 3.

19. ‚Lex non respicit *retro*' i. e. non afficit actus ante promulgationem legis positos,

nisi sit mera interpretatio comprehensiva clarae legis prioris.

20. Lex affirmativa 1° obligat semper sed non *pro semper*, negativa obligat etiam pro semper seu nullo momento id facere licet, quod lex vetat. 2° Lex affirmativa a) non habens sibi annexum tempus, quo impleri debet, solum tunc implenda est, quando impletio necessaria est; b) si tempus est annexum, hoc tempore implenda est, et obligatio legis cessat, si terminus additus est ad finiendam obligationem, post terminum autem quamprimum impleri debet, si additus est solum ad magis urgendam obligationem.

21. Lex in *materia gravi* sub gravi obligat, quia notabiliter ad finem legis facit, quem legislator obtinere vult.

22. ‚*Finis legis* non cadit sub lege' seu sufficit modo humano id facere, quod lex praecipit vel omittere, quod vetat, etsi finis legis non intendatur vel non obtineatur a subdito.

23. ‚Qui tenetur ad finem, tenetur etiam ad *medium* necessarium' seu quivis ad legem implendam adhibere debet medium idque necessarium et ordinarium cum ordinaria diligentia, non autem medium vel non omnino necessarium vel extraordinarium, quia secus observatio legis esset nimis difficilis.

24. ‚Qui non potest totum, tenetur ad *partem* scl. qui totam legem observare non potest, tenetur ad partem, quae non parum ad finem legis conducit; parum autem pro nihilo reputatur.

25. ‚Lex non debet *anticipari*' neque potest sine privilegio valide anticipari, si terminus, a quo obligare incipiat, constitutus est, quia hic est sensus termini legi additi.

26. ‚Odiosa sunt restringenda, favores ampliandi' i. e. leges in *sensu stricto* intelligendae sunt, quia libertatem restringunt, favores alteri non praeiudicantes in sensu latiore accipi possunt.

27. Obligatio legis *cessat*: 1° vi causae eximentis, i. e. si quis desinit esse subditus eius; 2° si finis eius pro tota societate cessat; 3° si eius observatio esset in commune damnum vel incommodum grave, 4° per legem novam contrariam, 5° si concurrit cum lege graviore ita, ut utraque simul observari non possit, 6° per consuetudinem contrariam legitime praescriptam, 7° per dispensationem vel privilegium vel licentiam datam vel vi epikeiae, 8° vi causae excusantis seu impedientis, i. e. si eius observatio tibi physice vel moraliter impossibilis est.

28. Licitum est: 1° a lege se *eximere*, in aliud territorium se transferendo sive permanenter sive transeunter, quia lex te non obligat, ut maneas eius subditus; 2° legi opponere *impedimentum*, si post notabile tempus demum incipit obligare, modo hoc non fiat in fraudem legis: quia nimis difficile esset, multo ante terminum legis omnia impedimenta vitare vel removere; 3° legi etiam proxime urgenti opponere impedimentum ex causa proportionate gravi, modo non fiat in fraudem legis: quia lex affirmativa non obligat cum proportionate gravi incommodo.

29. Lex, quae ad *bonum communc* non amplius confert vel contra bonum commune esse incipit, eo ipso cessat, quia omnis lex solum medium est ad bonum commune societatis obtinendum.

30. ‚*Lex posterior* derogat priori', si in eadem re contraria statuunt, quia haec est voluntas legislatoris, quum legem suam priorem sciat.

31. Lex nobilior vel *gravior* praevalet inferiori vel minus gravi seu in concursu duarum legum, quae simul observari non possunt, lex nobilior vel gravior observanda est: quia ex duobus malis, quae simul vitari non possunt, minus est eligendum.

32 Omnis lex ecclesiastica per *novam consuetudinem* contrariam abrogari vel ei

derogari potest, si non irrationabilis et legitime praescripta (10 anni) est, quia consensum legislatoris habet; contra legem divinam autem sive naturalem sive positivam consuetudo legitima oriri non potest. Cf. pag. 385, n. 10.

33. Per novam legem universalem ecclesiae 1° abrogantur: contraria *consuetudo praeexistens* universalis et contraria privilegia in iure communi contenta, quia haec omnia scivit legislator legem condens; 2° non autem consuetudines particulares et privilegia specialia, quia legislator non supponitur haec scire; excipe, si per clausulam legi adiectam etiam haec reprobentur; si vero immemorialia sunt, speciali mentione indigent, ut auferantur; semper autem nova consuetudo contraria oriri potest, nisi per clausulam legis etiam pro futuro omnis consuetudo contraria reprobetur, quo in casu solum mutatis circumstantiis oriri poterit.

34. Omnis *consuetudo* legitime praescripta vim legis habet in ecclesia, quia Papa sic constituit.

35. *Papa* 1° non habet potestatem *dispensandi* in iure divino positivo, quia S. Sedes ita semper docuit neque unquam dispensavit; nec dispensare potest in lege naturae absoluta, quia ne Deus quidem hoc potest, quum fluat immediate ex essentiis rerum, quae immutabiles sunt. 2° Potest vero a) improprie dispensare in quibusdam legibus naturae condicionatis, scl. auferendo condicionem ab homine positam, qua ablata iam nulla lex naturae adest, scl. in votis, professione religiosa, iuramentis, sponsalibus, matrimonio rato non consummato fidelium et in matrimonio etiam consummato infidelium, si saltem una pars fit christiana: quia Deus ei ad hoc potestatem dedit, quod probatur ex praxi constanti et universali Romanor. Pontificum, quum in ea contineatur eorum doctrina

definitiva, obligatoria et ad omnes fideles data ideoque infallibilis, se istos actus valide et licite solvere posse. Item b) dispensare potest in omnibus legibus mere ecclesiasticis, quia Papa supra ius commune et particulare est, quum supremam habeat iurisdictionem.

36. Qui in lege non sua, sed Superioris sui *dispensat*, sine causa non potest valide dispensare, quia solum vi potestatis a Superiore sibi datae dispensat et hic ei non concedit potestatem, sine causa in lege sua dispensandi.

37. Non valet *praesumta dispensatio*, sed utique praesumta licentia, si lex aliquid prohibet, ne sine licentia fiat.

38. ‚Dispensatio solum valet, si preces veritate nitantur', scl.: Nulla dispensatio valet, si *causa* motiva unica (vel una ex causis impulsivis, quae simul sumtae constituant unicam causam motivam) in petitione allegata non vere adfuit et quidem tempore concessionis dispensationis, quia legislator non vult et delegatus non potest valide dispensare sine causa.

39. *Episcopus* potestate quasi-ordinaria *dispensare* potest in legibus universalibus ecclesiae 1° si periculum est in mora; 2° in rebus frequenter occurrentibus; 3° in casibus dubiis ad cautelam; 4° in casu urgentis necessitatis.

40. *Dispensatio illimitate* concessa pro uno actu, valet etiam pro omni alio actu eiusdem speciei. Cf. pag. 385, n. 9.

41. Nemo tenetur uti *privilegio* privato, ipsi singulariter in bonum privatum dato.

42. *Epikeia* uti licet, si Superior adiri non potest et de sola liceitate actus agitur in casu: quia ‚in omnibus potior debet esse ratio aequitatis, quam stricti iuris'.

43. ‚Ad impossibile nemo tenetur', i. e. non solum impossibilitas physica, sed etiam *incommodum privatum* 1° externum proportionate grave excusat a lege posi-

tiva non mere irritante, sive divina sive humana sit, et a lege divina naturali affirmativa: quia legislator humanus non potest et Deus non vult ad aliquid obligare, quod hominibus communiter valde difficile est, quum lex, multis eam non implentibus, in perniciem esset animarum et non in bonum commune; sed 2° non excusat si, est a) legi internum, etsi gravissimum, quia cum legis observatione necessario coniunctum est, nisi extraordinarium sit; nec b) excusat a lege mere irritante, nisi incommodum sit gravissimum commune, quia bonum commune postulat, ut leges mere irritantes non cessent nisi ob incommodum commune gravissimum seu impossibilitatem communem alicuius loci, sed cf. 385, n. 8; nec c) excusat a lege naturae negativa, quia haec ea prohibet, quae intrinsece mala sunt; praesertim in triplici casu: si actio, etsi in se omnino indifferens α) esset in damnum commune, quia bonum commune praevalet bono privato; β) si proximum coniiceret in extremam necessitatem spiritualem, γ) si esset in odium fidei vel contemtum religionis vel protestationem falsae religionis vel in contemtum potestatis legitimae, praesertim Papae.

44. *Bonum commune* praevalet bono privato, quia totum praestat parte eius.

45. Lex, quae fundatur in *periculo communi*, non cessat iam ideo, quia in casu particulari nullum periculum adest; nam ob pericula hallucinationis bonum commune postulat, ut ideo non cesset obligatio.

46. Ad *inutile* non existit obligatio.

IV.

DE CONSCIENTIA.

1. **Synteresis:** Quid est? R. est facultas, qua intellectus facillime cognoscit suprema principia legis naturae, et qua voluntas

libenter sequitur haec principia ab intellectu sibi proposita.

2. **Conscientia moralis:** est actus intellectus, quo hic iudicat, actionem hic et nunc ponendam vel eius omissionem esse licitam vel illicitam.

Divisio: Dividitur in certam et dubiam, veram et erroneam; erronea in vincibilem et invincibilem, laxam et angustam.

Certa: est ea, qua intellectus absque formidine errandi iudicat, actionem hic et nunc ponendam vel eius omissionem esse licitam vel illicitam. Est vel moraliter vel physice certa, prouti solum prudentem vel etiam imprudentem formidinem errandi excludit; item est vel directe vel reflexe certa, prouti iudicium de liceitate vel illiceitate actionis ex argumentis rei internis aut ex externis tantum formatur.

Dubia: si quis iudicium de liceitate aut illiceitate actionis vel omissionis suspendit, aut format quidem, sed cum formidine errandi.

Divisio: Quotuplex est dubium? R. Quadruplex: strictum et latum, positivum et negativum, speculativum et practicum, iuris et facti.

Strictum et latum: dubium strictum est suspensio omnis iudicii; latum est iudicium cum formidine errandi.

Positivum: quod innititur gravi ratione.

Negativum: quod innititur nulla vel levi ratione.

Speculativum: quod versatur circa liceitatem aut illiceitatem actionis (vel omissionis) in abstracto consideratae.

Practicum: quod versatur circa liceitatem aut illiceitatem actionis (vel omissionis) hic et nunc in concreto ponendae.

Iuris vel facti: prout versatur circa legem ipsam vel circa factum aliquod. Reliqua vide pag. 15, n. 6.

Laxa conscientia: est illa, quae ex levi ratione negat aut minuit peccatum.

Angusta: quae ex levi ratione affirmat vel auget peccatum. Dividitur in perplexam et scrupulosam.

Perplexa: quae affirmat peccatum, si actus ponitur, et affirmat peccatum, si non ponitur.

Scrupulosa: Quid est scrupulus? R. est apprehensio mentis inani ratione nixa et inde ortus timor voluntatis, adesse vel adfuisse peccatum, ubi non est.

Conscientia probabilis: Quid est? R. est iudicium, quo mens propositioni alicui assentit propter motiva suadentia, at cum formidine prudenti de opposito.

3. **Opinio probabilis:** est propositio, quae propter motiva gravia assensum viri prudentis meretur, at cum prudenti formidine de opposito.

Divisio: Dividitur in speculative et practice probabilem; in interne et externe, solide et tenuiter, certe et dubie, absolute et comparative probabilem; item una opinio probabilis potest esse altera probabilior vel minus probabilis vel utraque est aequeprobabilis.

Opinio speculative probabilis: quae in se probabilis est.

Practice probabilis: quae etiam in concretis circumstantiis casus practicabilis apparet.

Interne probabilis: quae fundatur in rationibus ex ipsa re desumtis.

Externe probabilis: quae proxime fundatur in auctoritate doctorum, qui eam defendunt.

Solide et tenuiter probabilis: prout gravi vel solum levi ratione fundatur.

Certe et dubie probabilis: prout ratio gravis pro ea certo aut solum dubie adest.

Absolute probabilis: quae probabilis apparet, si non comparatur cum opposita opinione.

Comparative probabilis: si retinet suam probabilitatem, etsi cum opposita comparetur.

Probabilior: quae gravioribus motivis innititur quam opposita.

Minus probabilis: si minus gravibus rationibus innititur quam opposita.

Aequeprobabilis: si aeque vel fere aeque gravibus rationibus duae opiniones probabiles innituntur.

Opinio tuta: quae periculum peccati formalis excludit.

Tutior: quae periculum peccati etiam materialis excludit.

Minus tuta: quae periculum peccati materialis non excludit. Cfr. pag. 50.

4. **Systema morale:** Quid est? R. est summa regularum, logice inter se connexarum, quibus in rebus dubiis pervenire possumus ad conscientiam practice certam, actionem hic et nunc ponendam vel omissionem actionis esse licitam.

Tutiorismus: docet, etiam obligationes positive dubias omnes esse adimplendas.

Probabiliorismus: docet obligationes dubias solum tunc non impleri debere, quando certe probabilius est, eas non adesse, quam adesse.

Aequiprobabilismus: docet, obligationes dubias solum tunc non impleri debere, quando aeque vel fere aeque probabile est, eas non adesse et adesse.

Probabilismus: docet, quaslibet obligationes vere et certe dubias non adimpleri debere, i. e. si opinio vere et certe probabilis existentiam alicuius obligationis negat, etsi opposita opinio sit certe probabilior.

Laxismus: etiam illas obligationes dubias non debere impleri, quae solum negative dubiae sunt.

5. **Principia reflexa:** sunt principia, quae non quidem ex internis rationibus honestatem actionis ponendae vel omissionis probant, quorum auxilio tamen perveniri

potest ad certum iudicium de honestate actionis hic et nunc ponendae, vel omissionis actionis. Optimum, et quod in omni dubio positivo licet applicare, est hoc: Lex dubia non obligat.

PRINCIPIA.

1. Norma moralis proxima actus humani non est lex, qualis obiective est, sed *conscientia* eaque certa seu lex, prouti est in certa persuasione agentis: quia moralitas actus a voluntate libera est et haec ita tendit in rem, sicut intellectus ei rem exhibuit.
2. ‚Omne, quod non est ex fide, peccatum est' i. e. peccas, si quid facis vel omittis cum conscientia practice *dubia* seu sine certa persuasione de liceitate actionis hic et nunc ponendae vel omissionis: quia sic virtualiter iam consentis in actionem vel omissionem, etsi illicita esset adeoque in peccatum, et est peccatum talis speciei et gravitatis, qualis est res facta vel omissa.
3. Ad liceitatem agendi sufficit conscientia practice et *moraliter certa*, quia maior certitudo in rebus moralibus ordinarie haberi nequit.
4. *Dubia negativa*, sive pro lege sive contra legem, spernenda sunt, quia non auferunt certitudinem moralem de opposito.
5. *Perplexus* non peccat, quidquid faciat, quia actualiter libertate caret.
6. *Scrupulosus* tenetur contra scrupulum agere, i. e. strenue facere id, quod timet, ne peccatum sit, quia secus tum animo tum corpori suo graviter nocet. Haec oboedientia unicum est remedium scrupulorum.
7. ‚*Lex dubia* non obligat' quia voluntas ligari non potest nisi per legem ab intellectu cognitam, sola cognitio certa autem vera cognitio est seu conformatio intellectus cum re.

8. Lex est vere dubia, si contra eam certo stat ratio aliqua vere gravis seu si *opinio certe et solide probabilis* dicit, legem non adesse vel iam impletam esse, etsi opinio pro lege sit certe probabilior.

9. Principium *probabilismi*: In dubio obiectivo, positivo et moraliter invincibili seu insolubili de existentia vel cessatione alicuius obligationis licitum est sequi opinionem vere et certe probabilem pro libertate, etsi opinio pro lege certe probabilior sit, dummodo in casu lex omni ex parte dubia sit: nam lex dubia non obligat.

10. Ubi agitur *non de solo licito* vel illicito, sed insuper etiam de effectu aliquo certo obtinendo aut vitando, non licet uti probabilismo, sed pars tutior eligenda est i. e. opinio stans pro lege, quia in hoc casu lex non est dubia, sed certa, quum ad finem certo obligatorium medium necessarium adhibendi, certa existat obligatio.

11. ‚In dubio benigniora sunt sequenda' seu: Non est imponenda obligatio, nisi certo de ea constet, nec obligatio gravis affirmanda, ubi de gravi obligatione certo non constat. Ideoque 1° *confessarius* sententiis probabilibus auctorum uti non potest ad obligationes imponendas poenitentibus, sed solum ad eos deobligandos in casu dubii insolubilis; et 2° omnis poenitens ius habet, sequendi in praxi sua opiniones auctorum gravium pro libertate circa obligationes, quae ipsum spectant.

12. Opiniones, quas *S. Alphonsus* ‚adhuc probabiles' dicit, omnes, paucis exceptis (cfr. pag. 6, n. 7), sunt practice tutae, quia S. Sedes hoc infallibiliter declaravit vi approbationis operum moralium S. Alphonsi occasione canonizationis.

13. In dubio mere negativo pro lege vel contra legem adhibentur haec principia *reflexa* pro libertate, respect. pro lege:

a) ‚in dubio iudicandum est ex communiter contingentibus'.
b) ‚in dubio standum est pro valore actus positi'.
c) ‚in dubio standum est pro Superiore', sive dubites de eius potestate sive de iustitia legis vel sententiae iudicialis vel belli etc.
d) ‚factum non praesumitur, sed probandum est'.
e) ‚nemo praesumitur malus, nisi probetur'.
f) ‚in dubio melior est condicio possidentis'; cfr. pag. 152, n. 13; 184, n. 2—3; 128, 9°.
g) ‚in dubio favendum est reo'.
h) in dubio standum est pro minimo.

V.

DE VIRTUTIBUS.

1. **Virtus:** Quid est? R. est habitus potentiam perficiens ad bene operandum.
Divisio: Virtutes dividuntur in intellectuales et appetitivas, theologicas et morales, naturales et supernaturales, infusas et acquisitas, perfectas et imperfectas, communes et heroicas, formatas et informes.
Intellectualis: quae intellectum perficit ad verum cognoscendum; aliae sunt speculativae, ut sapientia et fides, aliae practicae: ars et prudentia.
Appetitiva: est illa, quae voluntatem perficit ad bonum amplectendum.
Perfecta vel imperfecta: prout vel facile, prompte et constanter exercetur, saltem in difficultatibus ordinariis, vel non ita.
Formata et informis: prout operans est in statu gratiae vel non. Alias divisiones habes explicatas pag. 8, n. 5—6.

Virtutes morales: Quot sunt? R. quatuor generales: prudentia, iustitia, fortitudo, temperantia; omnes aliae virtutes sunt virtutes eis annexae particulares, seu sunt earum quasi-partes, vel subiectivae, i. e. earum species, vel integrantes i. e. necessariae ad perfecte et facile eas exercendas, vel potentiales i. e. eis similes.

2. **Prudentia:** est virtus, quae dictat, quid in omni casu, spectatis omnibus circumstantiis sit agendum, ut actio rationi conveniat.
3. **Iustitia:** est virtus, quae unicuique id ad aequalitatem tribuit, quod ei debetur.
   Quotuplex? R. triplex: commutativa, distributiva et legalis.
   Commutativa: quae unicuique id ad aequalitatem mathematicam tribuit, quod ipsi proprium est.
   Distributiva: qua princeps societatis bona et onera communia secundum merita et vires inter membra societatis distribuit.
   Legalis: qua bonum commune societatis promovetur, a principe leges ferendo et exequendo, a subditis legibus parendo.
   Ius strictum: est exclusiva praelatio alicuius hominis in usu rei, cum potestate, eam extorquendi coactione adhibita.
   Quotuplex? R. duplex: aut est ius reale aut personale.
   Ius reale seu **in re:** est ius, vi cuius iam ipsa res est mihi devincta, adeo ut me invito non possit licite ab alio possideri.
   Ius personale seu **ad rem:** est ius postulandi ab alio, ut det mihi rem suam.
4. **Fortitudo:** est virtus, quae hominem firmat ad superandas omnes difficultates.
5. **Temperantia:** est virtus, quae moderatur appetitum sensibilem in usu delectabilium gustus et tactus.
6. **Vitium:** est habitualis defectus vel excessus contra aliquam virtutem.

PRINCIPIA.

1. ‚Virtus stat *in medio*' i. e. tum defectus tum excessus contra aliquam virtutem, peccatum est.
2. Virtutes specifice distinguuntur ex *motivis* earum specie diversis, quia natura moralis actuum liberorum a motivo dependet, quo voluntas ducitur.
3. *Prudentia* auriga est et moderatrix omnium aliarum virtutum.
4. *Iustitia commutativa* circa ius strictum versatur, quod est vel ius in re (seu proprietatis) vel ius ad rem, quia solum hoc ius alteri ad aequalitatem mathematicam tribui potest.
5. Laesio iustitiae commutativae non solum ad poenitentiam, sed etiam ad *restitutionem* obligat, quia huius virtutis est, alteri tribuere id, quod ei proprium est, ergo ei etiam reddere, si ei ablatum est; laesio aliarum virtutum ad poenitentiam tantum obligat.
6. ‚*Martyrem* non poena, sed causa facit'; vide pag. 222.
7. *Martyrium* et *baptismus* omnem poenam temporalem delet, supposita attritione de omnibus peccatis mortalibus et venialibus commissis et nondum remissis, quia Deum hoc promisisse s. literae et Traditio docent.

VI.

DE PECCATIS.

1. Peccatum: Quid est peccatum? R. est libera transgressio legis.
Divisio: Dividitur in originale et personale; personale in actuale et habituale, actuale in peccatum commissionis et omissionis, cordis, oris et operis, in peccatum

contra Deum, contra seipsum et proximum, in peccatum ignorantiae, infirmitatis et malitiae, mortale et veniale, materiale et formale, carnale et spirituale, proprium et alienum.

Originale: quod est carentia gratiae sanctificantis propter peccatum Adae, quod omnibus hominibus ut liberum a Deo imputatur.

Personale: quod actu proprio committitur.

Actuale: est ipse actus malus.

Habituale: est status peccati mortalis seu carentia gratiae sanctificantis inducta per peccatum mortale actuale.

Ignorantiae: quod fit ex ignorantia culpabili.

Infirmitatis: quod fit instigante passione aliqua etsi cum perfecto consensu.

Malitiae: quod nec ex ignorantia nec ex passione, sed ex sola mala voluntate fit.

Mortale: quod hominem privat gratia sanctificante.

Condiciones eius: 1° laesio legis sub gravi obligantis, 2° in materia gravi, 3° cum plena advertentia mentis ad actum eiusque gravitatem; sufficit vero confusa advertentia ad gravitatem rei (saltem practice de ea dubitando), 4° cum pleno consensu voluntatis.

Effectus peccati mortalis: 1° amissio gratiae sanctificantis, habitus infusi caritatis et donorum Spiritus S.; 2° reatus culpae i. e. necessitas, ut peccator sit obiectum odii et inimicitiae Dei; 3° reatus poenae aeternae i. e. necessitas subeundi poenam damni et (si fuit peccatum personale) poenam sensus aeternam, 4° amissio omnium meritorum acquisitorum, 5° impossibilitas aliquid faciendi, quod sit meritorium vitae aeternae, 6° specialis indignitas obtinendi gratias actuales uberiores et praevisas efficaces, 7° subtractio specialis protectionis divinae paternae.

Veniale: quod eum non privat gratia sanctificante.

Condiciones peccati venialis: 1° laesio legis vel sub levi obligantis vel legis sub gravi quidem obligantis, sed in materia levi, 2° saltem semiplena advertentia mentis, 3° saltem semiplenus consensus voluntatis.

Effectus peccati venialis: 1° debilitatio virtutis acquisitae, 2° reatus culpae, i. e. necessitas subeundi indignationem et displicentiam divinam, 3° reatus poenae temporalis, i. e. necessitas subeundi poenam temporaneam, sive in hac sive in altera vita, 4° inducit periculum peccandi graviter, si venialia graviora ex consuetudine et cum plena advertentia et sine omni studio se emendandi committuntur, 5° subtractio quarundam gratiarum uberiorum, maiorum, intensiorum, etc.

Materiale: est involuntaria transgressio legis.

Formale: est voluntaria transgressio legis i. e. cum cognitione, id, quod facis, malum esse (scl. cum advertentia, suspicione, dubitatione practica); non vero requiritur, ut malum indendatur propter se aut quia malum est. Cfr. pag. 17, n. 12.

Carnale vel spirituale: prout est inordinata delectatio carnis vel mentis.

Proprium et alienum: prius est peccatum solius peccantis; posterius est peccatum alterius, quod etiam tibi imputatur.

Tria suprema genera peccatorum: 1° peccata ex toto genere suo gravia, 2° ex toto genere suo levia, et 3° ex genere suo gravia; prout spectata materia seu spectato obiecto eorum, circa quod versantur, vel semper gravia sunt, vel semper solum levia, vel gravia in re notabili, levia in re minoris momenti.

Imperfectio: est id, quod non est perfectio, sed tamen neque peccatum formale ullum.

Divisio: Quotuplex est imperfectio? R. duplex: negativa: absentia maioris perfectionis in actibus bonis; positiva seu proprie dicta: 1° involuntaria transgressio legis minoris momenti, 2° actio vel omissio contra merum consilium.

2. **Tentatio:** est aliquid, quod voluntatem ad consensum in peccatum allicit.

Quotuplex? R. est duplex: interna et externa.

Interna: est actus primo primus in appetitu sensitivo et voluntate, tendens in bonum sensibile lege vetitum; est vel vehemens vel levis.

Externa: est aliquid extra hominem, a lege vetitum, quod tamen voluntatem eius ad consensum in peccatum non sollicitat.

Periculum peccati: est aliquid homini internum vel externum, voluntatem eius sollicitans ad consensum in peccatum.

Divisio: Dividitur in periculum peccati gravis et peccati venialis, in proximum et remotum, et proximum in periculum obiective seu absolute proximum, et subiective tantum seu relative proximum.

Periculum proximum peccati: est aliquid voluntatem adeo sollicitans, ut non probabile sit, hominem non esse consensurum in peccatum.

Obiective seu absolute proximum et subiective tantum seu relative proximum: prouti communiter pro omnibus hominibus aut solum pro hoc homine vel aliquibus hominibus est periculum proximum.

Periculum remotum: est aliquid trahens voluntatem ad peccatum, sed ita, ut probabile sit seu spes prudens adsit, hominem non consensurum esse in peccatum.

Nullum periculum peccandi: est aliquid, quod hominem parum movet, ita ut non

sit probabile, eum peccaturum esse; hoc non debes vitare, quia secus de mundo exire deberes.

Occasio: est aliquid 1° homini externum, quod 2° voluntatem eius sollicitat ad peccatum eique 3° simul opportunitatem peccandi praebet. Est vel proxima vel remota; haec divisio patet ex dictis et vide infra pag. 267, n. 32.

Resistentia directa: contra tentationem internam est positio actus illius virtutis, quam tentatio impugnat.

Resistentia indirecta: est quilibet actus internus vel externus, aptus ad consensum in tentationem praecavendum.

3. **Desiderium pravum:** est actus voluntatis, quo quis deliberate rem malam facere vult.

   Divisio: Dividitur in desiderium efficax et inefficax.

   Efficax: est actus voluntatis, quo quis rem malam absolute exequi statuit.

   Inefficax: est actus voluntatis, quo quis solum sub condicione aliqua rem malam exequi vult.

4. **Gaudium pravum:** est deliberata complacentia voluntatis in re mala iam peracta.

5. **Delectatio morosa:** est deliberata complacentia voluntatis in re mala per cogitationem vel imaginationem sibi exhibita ut praesente, sine voluntate illam exequendi.

6. **Peccata capitalia:** sunt illa vitia (cfr. pag. 47, n. 6) ex quibus multa alia peccata oriuntur.

   Numerus: Quot sunt? R. septem: superbia, avaritia, luxuria, invidia, gula, ira, acedia.

   Superbia: est inordinatus appetitus propriae excellentiae. Est completa vel incompleta, prout superbus nemini subesse vult: nec Deo nec Superiori ulli, aut hisce se subiicit, alios tamen contemnit.

Avaritia: est inordinatus appetitus bonorum fortunae.

Luxuria: est inordinatus appetitus delectationis venereae.

Invidia: est tristitia de bono proximi apprehenso ut diminutivo propriae excellentiae.

Gula: est inordinatus appetitus cibi et potus.

Ebrietas: est privatio usus rationis per nimium potum ex sola voluptate potus.

Quotuplex? R. Duplex: perfecta et imperfecta, prouti vel totaliter vel non totaliter usum rationis aufert.

Morphinismus: est usus morphii ad sensus sopiendos.

Ira: est vel solum inordinatus motus potentiae irascibilis vel inordinatus appetitus vindictae.

Acedia: est taedium laboris ob eius difficultatem.

Divisio: Dividitur in naturalem, quae est taedium laboris corporalis, et in spiritualem; haec est vel generalis, quae est taedium rerum spiritualium in genere ob laborem in illis necessario adhibendum, vel specialis, quae est taedium seu tristitia de eo, quod homo ad gratiam et amicitiam divinam unice destinatus sit, in gloriam Dei.

7. **Peccata in caelum clamantia:** sunt illa peccata, quae vindictam Dei magis quam cetera peccata provocant. Sunt 4: homicidium voluntarium, sodomia, oppressio pauperum, viduarum et pupillorum, defraudatio mercedis operariorum.

8. **Peccata in Spiritum Sanctum:** sunt 2; 1° opera manifesto divina daemoni adscribere ex mera malitia voluntatis; 2° voluntaria et pertinax resistentia contra veritatem et contra gratiam, usque ad mortem.

PRINCIPIA.

1. Non datur *peccatum* mere *philosophicum*, i. e. qui rationis plene compos advertenter contra rationem agit, in confuso etiam advertit, se agere contra voluntatem Dei, auctoris rationis humanae.
2. Quod *nullo modo voluntarium* est, scl. nec in se nec in causa, non potest esse peccatum formale, quia non est transgressio libera.
3. ‚Non nocet *sensus*, si desit consensus' i. e. si sponte vel ex actione licite posita oritur pravus motus solum in appetitu sentitivo, et ei consensus non praebetur, sed resistitur, quando resistentia praecepta est: nullum peccatum committitur, quia nec in se nec in causa voluntarius est, neque defuit resistentia debita. Vide infra n. 6.
4. Ut in *tentatione* (scl. orto pravo motu indeliberato etiam in voluntate) omne, etiam leve peccatum vitetur, ea debet esse perfecte involuntaria, quia motus indeliberatus malus in voluntate, cui non positive (saltem indirecte) et plene resistis, eo ipso fit deliberatus, saltem semiplene. Vide pag. 14.
5. *Periculo peccati* 1° libere et sine iusta causa se exponere, peccatum est, quia omnis virtus eadem obligatione, qua ad eius observationem nos obligat, etiam ad vitanda pericula laesionis nos obligat; est grave peccatum, si periculum proximum peccati gravis est; leve, si est vel periculum peccati venialis, licet proximum, vel periculum solum remotum peccati gravis. Cfr. pag. 385, n. 11. 2° Ex rationabili causa autem licet se exponere periculo remoto peccati etiam gravis, vel proximo peccati levis. 3° Periculo proximo consentiendi in peccatum grave, nunquam licet se exponere, sed adhibitis cautelis remotum reddi et insuper causa proportionate gravis adesse debet, quia periculum proximum est quasi idem ac ipsum peccatum utpote certo secuturum,

ideoque ita vitandum, sicut ipsum peccatum. Licitum esse, se exponere remoto periculo ex iusta causa, patet ex principio de actione, ex qua sequitur duplex effectus; vide pag. 22, n. 10.

6. Erga *motus pravos passionum* appetitus sensibilis (sive concupiscibilis: sunt 6, sive irascibilis: sunt 5) primo primos post plenam advertentiam ad eos, 1° mere passive se habere sine iusta causa excusante, est peccatum, saltem ordinarie, quia pro voluntate periculum continent, consentiendi in eos; et est grave peccatum, si tendunt in rem graviter illicitam et vehementes sunt, quia hi continent ordinarie grave seu proximum periculum consentiendi; leve peccatum est, si vel circa rem leviter malam versantur vel circa rem graviter malam quidem, sed leves et transitorii sunt, quia sic adest periculum vel rei solum levis vel remotum tantum rei gravis. Cfr. n. 5. 2° Sufficit autem resistentia indirecta nec requiritur directa, quia prior sufficit ad finem resistentiae, qui est exclusio consensus voluntatis, non suppressio motus, quae per se fieri non debet, quum sit aliquid omnino naturale homini, imo suppressio saepe impossibilis est.

7. In peccatis, quae *ex toto genere suo gravia* sunt, non dantur peccata levia ex parvitate materiae, quia haec semper gravis est, sed solum ex imperfectione actus, i. e. si hic positus est cum semiplena advertentia ad gravitatem rei adeoque etiam cum consensu semipleno tantum.

8. Peccata contra 3 *virtutes theologicas* sunt omnium gravissima, quia immediate perfectionibus Dei opponuntur.

9. Peccata illa sunt *specie morali diversa*, quae vel 1° virtutibus specie diversis opponuntur, vel 2° circa obiecta moraliter diversa eiusdem virtutis versantur, vel 3° idem obiectum eiusdem virtutis modo contrario vel saltem moraliter diverso attingunt.

10. *Tot numero peccata* sunt, 1° quot virtutes specie diversae per plures actus vel per unum actum laeduntur; 2° quot obiecta moraliter diversa contra eandem virtutem idem unus actus attingit i. e. si intellectus agentis obiecta plura singillatim apprehendit, non per modum unius; 3° quot actus moraliter distincti circa idem obiectum contra eandem virtutem fiunt; hi non sunt moraliter distincti, sed in morali aestimatione unum actum constituunt, si externi sunt nec actus in se completi et a) vel media ad unum finem vel b) partes unius operis sunt, vel c) si ex eodem impetu passionis fiunt.

11. *Delectatio morosa* et *gaudium malum* specie differunt a *desiderio malo*, quia in desiderio ad complacentiam accedit voluntas rem malam exequendi.

12. *Gaudium et desiderium malum* continent in se specificam malitiam tum moralem tum theologicam non solum obiecti sed etiam circumstantiarum, eius quae cognitae fuerunt, quia tendunt in rem externam, qualis obiective in se est, quum desiderium tendat in rem, ut peragendam, gaudium in rem, prouti iam peracta est; sed *delectatio morosa* contrahit quidem speciem moralem et theologicam obiecti, non autem circumstantiarum, etsi cognitae fuerint, nisi homo specialiter in eis delectatus fuerit, quia est de re cogitata tantum, non autem peragenda vel peracta. Cfr. pag. 391, n. 30.

13. *Superbia* per se peccatum mortale est, si est completa; *invidia*, si ad magnum bonum proximi sive spirituale sive temporale refertur; *ebrietas*, si perfecta est, cfr. pag. 187, n. 12; *ira*, si usu rationis totaliter privat vel iratus grave malum proximo serio optat ad vindicandam iniuriam sibi illatam vel ut ei male sit; *luxuria*, si delectatio venerea extra matrimonium vel in matrimonio contra finem matrimonii a) libere appetitur vel ea aliquis culpabiliter

fruitur, aut b) sine iusta causa aliquis proximo periculo delectationis venereae oriturae se exponit extra matrimonium vel proximo periculo pollutionis in matrimonio; *acedia*, si est specialis; *avaritia* et *gula* per se solum peccata levia sunt.

14. *Excessus* in re indifferenti et alias licita per se peccatum veniale tantum est, utpote levis tantum deordinatio contra naturam.

15. *Omittere opus bonum non praeceptum*, 1° non est peccatum, si eius loco aliud opus ethice bonum ponis, etsi minus bonum sit ac opus omissum; 2° si eius loco non aliud opus bonum peragis, a) nullum est peccatum, si omissio operis boni non praecepti ex motivo rationabili fit; b) peccatum leve est, si motivum omissionis non est rationabile, quia contra rationem est.

DE PRAECEPTIS.

I.

DE PRAECEPTIS DEI.

A.

DE VIRTUTIBUS THEOLOGICIS

seu

DE FIDE, SPE ET CARITATE DEI ET PROXIMI ET DE PECCATIS CONTRA HAS VIRTUTES.

1. **Fides divina:** est assensus firmus intellectus (i. e. excludens omne dubium prudens) in veritates a Deo revelatas propter auctoritatem Dei revelantis.
Divisio: Dividitur in habitualem et actualem, formatam et informem; actualis dividitur in simpliciter divinam et divinam-

catholicam, in externam et internam; interna in explicitam et implicitam, formalem et virtualem.

Habitualis: est habitus supernaturalis a Deo intellectui infusus ad id, ut firmiter assentiat veritatibus a Deo revelatis propter auctoritatem Dei revelantis.

Actualis: est ipse actus assensus supra descriptus.

Formata vel informis: prout homo credens est in statu gratiae sanctificantis vel non.

Simpliciter divina: est firmus assensus in veritatem, quae a Deo quidem revelata, sed ab ecclesia nondum ut talis infallibiliter omnibus fidelibus proposita est.

Divina-catholica: est firmus assensus in veritatem, quam ecclesia ut a Deo revelatam omnibus fidelibus infallibiliter et obligatorio modo proposuit (dogma).

Fides ecclesiastica: est firmus assensus in doctrinam aliquam non revelatam quidem, ab ecclesia tamen infallibiliter ut veram omnibus fidelibus obligatorio modo propositam.

Quotuplici modo ecclesia aliquid docere potest in rebus fidei vel morum? R. 1° Ratione rei dupliciter: aut eam esse a Deo revelatam aut eam esse simpliciter veram tantum. 2° Ratione modi, quo aliquid docet: iterum dupliciter: vel fallibiliter vel infallibiliter aliquid proponi potest: ut revelatum vel ut verum tantum.

Infallibiliter: 1° si Papa loquitur ex cathedra i. e. a) suprema sua potestate doctoris omnium christianorum utens aliquid b) definitive docet et c) omnes fideles d) obligat ad internum assensum in doctrinam propositam; 2° si concilium oecumenicum cum et sub Papa aliquid definitive docet obligans omnes fideles ad assensum internum; 3° si episcopi moraliter omnes in quotidiano et ordinario magisterio suo aliquid docent fideles suos, cum Papa, capite suo.

Fallibiliter: si doctrina nec a Papa ex cathedra loquente proponitur nec ab episcopatu moraliter universo sive in concilio oecumenico congregato sive extra concilium oecumenicum peremptorie definitur. Tali doctrinae, si a Papa vel Congregatione Romana vel concilio oecumenico statuitur, debetur ex oboedientia ecclesiastica assensus etiam internus, quousque contrarium non evidenter probatur (ideoque implicite condicionatus, nisi agatur de re iam fide divina certa).

Fides interna: est assensus internus supra descriptus.

Externa: est professio externa fidei internae per dictum vel factum vel signum aliquod.

Explicita: est assensus fidei internus in veritatem in se cognitam.

Implicita: est assensus fidei internus in veritatem, nondum in se cognitam, sed contentam in alia veritate in se cognita et credita.

Formalis: est assensus internus in veritatem revelatam ob motivum auctoritatis Dei revelantis, cuius motivi credens sibi hic et nunc conscius est.

Virtualis: est qualiscunque actus, sive internus sive externus, ad quem ponendum movet hominem motivum fidei, cuius tamen hic et nunc non sibi conscius est.

2. **Necessitas ad salutem:** Quid dicitur necessarium ad salutem? R. id, sine quo salus obtineri non potest.

Quotuplex? R. est duplex: necessitas medii et necessitas praecepti.

Necessitas medii: id est necessarium necessitate medii ad salutem, sine quo, etsi inculpabiliter omisso, salus obtineri non potest.

Quotuplex? R. est duplex: necessitas medii absoluta seu stricte dicta et necessitas medii latius dicta.

Necessitas medii stricte dicta: Necessitate medii stricte dicta ad salutem id

dicitur necessarium, quod semper realiter adhiberi debet, ut salus obtineatur.

Latius dicta: Id dicitur esse necessarium ad salutem necessitate medii latius dicta, cuius realis applicatio, si impossibilis est, in adultis suppleri potest per eius votum.

Votum medii necessarii ad salutem: est vera et sincera voluntas realiter applicandi medium, quando id fieri potest et debet.

Necessitas praecepti: Necessitate praecepti tantum id est necessarium ad salutem, sine quo culpabiliter omisso salus obtineri non potest.

3. **Obligatio per se:** ut ponatur actus alicuius virtutis. Quid est? R. est obligatio ad actum, si ipsa virtus eum postulat.

Obligatio per accidens: est obligatio ad actum ponendum, non vi ipsius virtutis, sed propter alium actum praeceptum, qui rite poni non potest sine actu illius virtutis.

4. **Negatio fidei:** est actus fidei contrarius.

Divisio: Dividitur in internam et externam; externa dividitur in seriam et fictam, directam et indirectam.

Interna: est internus dissensus contra articulum revelatum.

Externa: est aliquod dictum vel factum vel signum aut omissio horum, quod habetur ut negatio fidei.

Seria: est negatio externa coniuncta cum interna.

Ficta: est negatio externa, quin homo interne fidem neget.

Directa: si dictum vel factum vel signum aut omissio alicuius dicti vel facti vel signi necessario haberi debet ut negatio fidei, i. e. si aliter intelligi non potest, nisi ut professio falsae religionis, sive propter naturam eorum sive propter circumstantias vel usum et consuetudinem communem

populi in regione; vocatur simulatio, si facto fit et ficte. Cfr. pag. 171, n. 3—5.

Indirecta: est aliquod dictum etc. . . . . quod quidem ab aliis habetur vel saltem haberi potest ut negatio fidei, tamen non necessario ut talis haberi debet.

5. **Dissimulatio fidei:** est mera occultatio fidei.
6. **Erubescere fidem:** ex metu vel verecundia fidem non profiteri, ubi professio praecepta est vel a Deo vel ab ecclesia.
7. **Infidelitas:** est defectus omnis fidei christianae in homine non baptizato.

Divisio: Dividitur in negativam, privativam et positivam, prouti infidelis de religione christiana nihil unquam audivit, vel audivit quidem, sed cognitionem eius sibi non comparavit, quamvis potuisset, vel iam cognovit divinitatem eius.

8. **Apostasia:** est carentia omnis fidei christianae in homine catholice baptizato. Cfr. pag. 195. n. 13, I, 1°a.
9. **Haeresis:** Quid est? R. est assensus hominis baptizati contrarius alicui articulo revelato et ut tali ab ecclesia infallibiliter ad credendum omnibus proposito, retentis aliis articulis revelatis.

Divisio: Dividitur in materialem et formalem; materialis in inculpabilem et culpabilem; dividitur etiam in internam et externam; externa in occultam et publicam.

Materialis: est involuntarium iudicium hominis baptizati, dogmati contradictorium.

Formalis: est voluntarium iudicium hominis baptizati dogmati contradictorium.

Voluntarium et involuntarium iudicium: prouti homo vel: 1° iam semel cognovit infallibilem ecclesiae auctoritatem et scit, iudicium suum contradicere dogmati, vel 2° voluntatem habet non amplectend religionem catholicam, etsi forte vera esset; aut neutrum adest.

Materialis inculpabilis: si nunquam dubium rationabile de veritate sectae suae concepit aut si tale dubium habuit, occasionem non habuit inquirendi in veritatem vel saltem obligationem inquirendi non apprehenderat.

Materialis culpabilis: 1° si dubio rationabili de veritate sectae suae concepto, non inquisivit in veritatem, quamquam occasionem addiscendi veritatem habuit et obligationem inquirendi cognovit aut 2° si negligenter inquisivit in veritatem; haec posterior haeresis materialis est vel graviter vel leviter culpabilis, prouti negligentia gravis vel levis fuit.

Interna: si iudicium haereticum ad extra non manifestatur.

Externa: si iudicium haereticum ad extra manifestatur vel verbis vel signo vel facto vel taciturnitate in illis circumstantiis, in quibus aequivalet negationi dogmatis.

Occulta et publica: prouti haeresis manifestatur nemine praesente (vel coram paucis) aut coram pluribus.

10. **Schismaticus:** est ille, qui Papam non agnoscit tamquam supremum Superiorem suum in spiritualibus.
11. **Dubius in fide:** est ille, qui aut 1° iudicat articulum aliquem revelatum vel dogma esse incertum, aut 2° assensum in talem veritatem suspendit, aut 3° inter assensum et dissensum fluctuat.
12. **Communicatio religiosa cum acatholicis:** est participatio catholici cum infidelibus vel haereticis vel schismaticis in rebus religiosis.

Divisio: Dividitur in activam et passivam; activa est vel privata vel publica; activa et passiva est vel materialis vel formalis.

Activa: est participatio catholicorum in functionibus religiosis acatholicorum.

Passiva: est permissio catholicorum, ut acatholici participent in functionibus religiosis catholicorum.

Privata: est participatio catholici in functione religiosa, quam acatholicus habet ut persona privata.

Publica: est participatio catholici in functione religiosa, quae in nomine totius coetus acatholici fit.

Materialis: quae fit sine approbatione falsae religionis.

Formalis: quae fit cum approbatione falsae religionis. Approbatio est vel explicita vel implicita.

Explicita: si communicans saltem interius iudicium format, quo falsam religionem approbat.

Implicita: si ipse actus, quo communicatio fit, talis est, ut ab omnibus necessario haberi debeat ut approbatio falsae religionis sive propter naturam actionis: si est pars functionis acatholicae falsae vel publicae, sive propter circumstantias, sive propter usum vel opinionem communem hominum regionis, qui communicationem ita intelligunt.

13. **Spes:** Quotuplex est? R. duplex: habitualis et actualis.

Habitualis: est habitus supernaturalis voluntati infusus ad id, ut homo certo exspectet a Deo aeternam beatitudinem et media ad illam necessaria propter promissionem Dei.

Actualis: est actus voluntatis, quo homo certo exspectat a Deo aeternam beatitudinem et media ad illam necessaria propter promissionem Dei.

14. **Timor Dei:** Quotuplex est? R. triplex: filialis, servilis, serviliter servilis.

Filialis: est timor peccati, quia est offensa Dei.

Servilis: est timor peccati, quia est causa poenae a Deo infligendae.

Serviliter servilis: est timor solius poenae, i. e. timens non timeret peccatum, si poena non esset.

15. **Desperatio:** est voluntaria et totalis abiectio spei, obtinendi aeternam beatitudinem et media ad illam necessaria.
16. **Praesumtio:** est exspectatio aeternae beatitudinis et mediorum ad illam obtinendam aliter ac Deus promisit et ordinavit.
17. **Caritas theologica:** Quotuplex est? R. inprimis duplex: habitualis et actualis.

Habitualis: est habitus supernaturalis a Deo voluntati infusus ad id, ut homo diligat Deum propter seipsum super omnia, semetipsum autem et proximum propter Deum.

Actualis: est actus voluntatis, quo homo Deum super omnia diligit propter seipsum i. e. propter infinitas eius perfectiones, semetipsum autem et proximum suum propter Deum.

Super omnia: si homo Deum plus diligit, quam omnia extra Deum.

Divisio: Quotuplex est amor Dei super omnia? R. duplex: intensive et appretiative summus; amor Dei appretiative summus habet tres gradus.

Intensive summus: si affectus voluntatis, quo quis Deum diligit, intensior seu vehementior est, quam amor erga creaturam aliquam dilectam.

Appretiative summus: si quis 1° iudicat Deum esse maius bonum, quam omne aliud bonum et simul 2° paratus est, potius omnia bona amittere et omne malum pati, quam Deum amittere per peccatum mortale.

Tres gradus caritatis appretiative summae: 1°: si homo paratus est potius omnia bona amittere et omnia mala sustinere, quam Deum per peccatum grave offendere; 2°: si ad haec paratus est potius, quam Deum offendere per peccatum leve, saltem plene deliberatum; 3°: si ad eadem potius paratus est, quam id negligere, quod certo novit, Deo magis placere.

Divisio caritatis theologicae actualis: in affectivam et effectivam seu ope-

rosam, in formalem et virtualem, patet; vide pag. 59.

18. **Odium Dei:** est actus voluntatis, quo quis Deum aversatur ut malum.

Quotuplex est? duplex: odium abominationis et inimicitiae.

Abominationis: quo quis Deum aversatur ut sibi malum et infensum.

Inimicitiae: quo quis Deum aversatur ut ens in se malum eique malum exoptat.

19. **Bona hominis:** Quomodo dividuntur? R. in naturalia et supernaturalia; naturalia in spiritualia et corporalia, corporalia in interna et externa. Supernaturalia in bona gratiae et gloriae.

Naturalia spiritualia: intellectus, voluntas, liberum arbitrium, scientiae acquisitae, virtutes acquisitae, omnes actus boni intellectus et voluntatis.

Naturalia corporalia interna: vita, sanitas, integritas membrorum, virginitas materialis, libertas corporalis, aptae dispositiones corporis, nativae et acquisitae.

Naturalia corporalia externa: honor, fama bona, bona fortunae; duo priora sunt personalia. Divisionem bonorum supernaturalium vide supra pag. 7—9.

20. **Necessitas proximi:** Quotuplex est? R. duplex: corporalis et spiritualis; utraque est vel extrema, vel quasi-extrema seu gravissima vel gravis vel communis.

Necessitas corporalis: ille est in necessitate corporali, qui sine alieno auxilio in periculo est, subeundi damnum in bonis corporalibus.

Extrema: si sine alieno auxilio certo vel fere certo moritur.

Quasi-extrema: si sine alieno auxilio probabiliter moritur vel certo amittit membrum principale vel subit aliud damnum in bonis corporalibus, grave, perpetuum vel saltem diuturnum.

Gravis: si sine alieno auxilio certo subit damnum grave in bonis corporalibus, etsi non diuturnum.

Communis: si sine alieno auxilio damnum vel incommodum patitur in bonis corporalibus non grave, sed leve.

Necessitas spiritualis: in necessitate spirituali est ille moribundus, qui sine alieno auxilio in periculo est amittendi salutem aeternam.

Extrema: si sine alieno auxilio nullo modo se liberare potest ex periculo aeternae damnationis.

Quasi-extrema: si ex hoc periculo solum cum maxima difficultate se liberare potest.

Gravis: si solum cum magna difficultate ex hoc periculo se liberare potest.

Communis: si facile se liberare potest.

21. **Inimicus:** dicitur ille, qui nos offensa vel iniuria vel damno affecit.

Signa caritatis proximi: Quotuplicia sunt? R. duplicia: communia et specialia.

Communia: quae vel omnes homines vel homines certi status vel loci communiter sibi exhibere solent ad significandum mutuum amorem.

Specialia: quae homines ultra signa communia sibi exhibere solent ad significandam amicitiam vel familiaritatem.

Reconciliatio: est 1° depositio odii interni contra ipsam personam inimici et 2° exhibitio signorum communium caritatis.

22. **Misericordia:** est virtus moralis hominem inclinans ad succurrendum misero ex compassione.

Quotuplex est? R. duplex: corporalis et spiritualis, prouti miseria proximi corporalis est vel spiritualis.

Opera misericordiae: Quot sunt? R. septem sunt opera misericordiae tum corporalis tum spiritualis.

Corporalis: 1° cibare esurientes, 2° potum dare sitientibus, 3° vestire nudos, 4° ex-

cipere peregrinos, 5° visitare infirmos, 6° redimere captivos, 7° sepelire mortuos.

Spiritualis: 1° docere ignorantes, 2° consilium dare dubitantibus, 3° consolari tristes, 4° corrigere peccantes, 5° si offensus ultro se reconciliat cum inimico, 6° tolerare molestos, 7° orare pro vivis et defunctis.

Eleemosyna: est res pauperi donata ex compassione.

Bona fortunae necessaria et superflua: Necessaria dividuntur in necessaria vitae, status et decentiae status; superflua in superflua vitae, status, et decentiae status seu simpliciter superflua.

Necessaria vitae: sine quibus aliquis (vel sui) in extremam necessitatem incideret.

Necessaria status: sine quibus amitteret statum suum.

Necessaria decentiae status: sine quibus non potest convenienter iuxta statum suum vivere.

Superflua vitae, status, simpliciter superflua: prouti aliquis sine eis vel solam vitam suam et suorum vel etiam statum suum conservare vel insuper etiam convenienter iuxta statum suum vivere potest.

23. **Correptio fraterna:** est privata admonitio proximi ad grave et formale peccatum eius, quod committere vult, impediendum vel emendandum, si id iam commisit.

24. **Odium proximi:** est actus voluntatis, quo quis proximum aversatur ut malum. **Quotuplex** est? R. duplex: abominationis et inimicitiae; odium abominationis est vel odium ipsius personae proximi vel qualitatis tantum, quam proximus habet, sive malae (absolute vel relative malae) sive bonae. Odium inimicitiae: proximo malum velle vel facere, ut ei male sit. Vide supra pag. 65, n. 18.

Maledictio: est vocalis imprecatio mali.

25. **Scandalum:** Quid est? R. est dictum vel factum minus rectum praebens alteri occasionem peccati mortalis.

Divisio: Dividitur in activum et passivum; activum subdividitur in directum et indirectum, directum in diabolicum et simpliciter directum; passivum in datum et acceptum. Acceptum in scandalum pusillorum et pharisaicum.

Activum: est ipsum dictum vel factum praebens alteri occasionem peccandi.

Passivum: est peccatum proximi per illud dictum vel factum occasionatum.

Directum et indirectum: prout peccatum proximi a scandalizante intenditur aut solum praevidetur, sed non intenditur.

Diabolicum: si intenditur, quia est malum Dei vel proximi.

Simpliciter directum: si quis ex alia ratione peccatum proximi vult.

Datum: est peccatum proximi, ad quod dictum vel factum alterius ex natura sua occasionem dedit, utpote minus rectum i. e. peccaminosum vel saltem speciem peccati habens.

Acceptum: est peccatum proximi, ad quod committendum ex dicto vel facto alterius bono vel indifferenti nec speciem peccati habente occasionem sumpsit.

Pusillorum: si proximus propter meram infirmitatem vel ignorantiam suam occasionem peccandi sumit ex dicto vel facto alterius, quod ne speciem quidem peccati habet.

Pharisaicum: si propter meram malitiam suam ansam peccandi sumit.

26. Inductio (cooperatio moralis): est dictum vel factum, quod ex natura sua influxum exercet in voluntatem proximi, ut eum determinet ad peccatum committendum.

Divisio: Dividitur in positivam et negativam, necessariam, utilem et indifferentem.

Positiva et negativa: prout quis per dictum vel factum aut per omissionem dicti vel facti influxum exercet in voluntatem alterius.

Necessaria: sine qua peccatum alterius non fieret.

Utilis: sine qua peccatum alterius nihilominus quidem fieret, quae tamen eum in voluntate peccandi confirmat.

Indifferens: quae nullum influxum exercuit in voluntatem alterius.

27. **Cooperatio** (scl. physica): est actio externa physica proximum mere adiuvans in suo opere malo externo, quin influxum exerceat in voluntatem eius.

Divisio: Dividitur positivam et negativam, positiva in immediatam et mediatam, mediata in proximam, propinquam et remotam; positiva et negativa dividitur in materialem et formalem, in necessariam, utilem, indifferentem.

Positiva: est actio physica adiuvans alterum in opere malo externo perficiendo.

Negativa: est omissio actionis physicae, qua alter adiuvatur in exsequendo opere malo externo.

Immediata: est actio physica cooperantis, quae est pars operis mali, quod proximus ponit.

Mediata: est actio physica, quae non est pars operis mali, sed ad illud exsequendum solum inservit et praeparat.

Remota, propinqua, proxima: prout inter actionem cooperantem et opus malum proximi vel plures aliae actiones intermediae vel pauciores vel nullae intercedunt.

Materialis: est illa, in qua cooperans non approbat seu vult peccatum proximi, quem adiuvat.

Formalis: est cooperatio, in qua cooperans approbat peccatum alterius.

Quotuplex est cooperatio formalis? R. duplex: explicite vel implicite formalis.

Explicite: si cooperans interius habet voluntatem, qua vult et approbat peccatum alterius.

Implicite: si actio cooperans necessario haberi debet ut approbatio peccati alterius

sive propter naturam actionis cooperantis: si pars est actus peccaminosi, quod proximus committit, sive ex circumstantiis sive ex communi usu et opinione hominum loci.

Necessaria, utilis, indifferens: prout peccatum proximi sine adiutorio cooperantis factum non fuisset, vel factum quidem fuisset, tamen peccans facilius peccatum commisit propter adiutorium, vel etiam sine illo adiutorio peccatum eodem modo fecisset.

28. **Actio indifferens:** est actio, quae saltem ex natura sua adhiberi potest tum ad bonum tum ad malum finem.

PRINCIPIA.

1. ‚Sine *fide* impossibile est placere Deo' i. e. aliquis actus internus fidei divinae proprie dictae, formalis et explicitae omni adulto peccatori, qui nunquam iustificatus est, ad salutem necessarius est necessitate medii absolute dicta, et quidem certo saltem in 2 veritates, scl. Deum existere et remuneratorem esse; ratio est, quia adultus non potest se ad poenitentiam de peccatis suis disponere, nisi certo sciat, Deum peccata poenitentibus remittere, quod homo scire non potest, nisi ex revelatione Dei. Cfr. pag. 386, n. 1.
2. Symbolum, decalogum, sacramenta necessaria, praecepta ecclesiae communia et orationem dominicam omnes fideles quoad substantiam scire, respect. *credere* sub gravi debent.
3. Actus *fidei, spei et caritatis* theologicae in initio vitae spiritualis et aliquoties in vita eliciendi sunt, saltem virtualiter et quidem ex speciali praecepto divino.
4. *Professio fidei* externa sub gravi fieri debet 1° ex praecepto divino, si eius omissio in notabile detrimentum honoris Dei vel salutis proximi cederet; 2° ex praecepto ecclesiae, si ea a Papa vel episcopo proprio iniungitur.

5. Fidem 1° *directe negare* nunquam licet, quia gravissima est iniuria Dei omniscientiae, summae veracitati et maiestati infinitae illata; 2° fidem *indirecte negare* licitum est, si actio, qua fit negatio indirecta, indifferens et intentio agentis honesta est, insuper ratio proportionate gravis habetur, ut patet ex principio de actione indifferenti etc.; cfr. pag. 22., n. 10. 3° fidem suam *dissimulare* licet, si professio fidei praecepta non est, aut si ab ecclesia praecepta quidem est, tamen occultatio fidei ex causa gravi fit; 4° fidem *erubescere* nunquam licet, quia merus metus, quin grave malum instet, et mera verecundia, motivum tacendi est Deo iniuriosum.
6. *Propositionem ab ecclesia damnatam* non reiicere: 1° est peccatum grave contra fidem divino-catholicam, si infallibiliter ut haeretica est damnata, quia eius contrarium est dogma; 2° si infallibiliter quidem, sed non ut haeretica damnata est, grave peccatum est contra fidem ecclesiasticam; 3° est peccatum grave contra oboedientiam ecclesiasticam, si non quidem infallibili iudicio damnata est, sed neque evidenter falso.
7. ‚*Dubius in fide*' 1° haereticus est, si iudicat, dogma aliquod incertum esse; 2° non est haereticus, si solum suspendit deliberate assensum, sed graviter peccat contra praeceptum divinum de fide interna elicienda; venialiter peccat, si solum fluctuat inter assensum et dissensum, quia negligenter restitit tentationi.
8. *Communicatio in sacris* cum non-catholicis 1° formalis nunquam licet, quia est approbatio falsae religionis; 2° materialis tum passiva tum activa: a) privata per se licita est, quia nullum periculum adest, ut ab aliis tamquam approbatio falsae religionis intelligatur; b) publica activa autem solum ex causa proportionate gravi licet, quia est negatio fidei indirecta et lege

ecclesiae positiva prohibita. Cavendum etiam scandalum et periculum perversionis; cfr. supra n. 5, 2°; 101, n. 9.

9. Peccata *infidelitatis* positivae, *haereseos* formalis, *apostasiae* a religione, *desperationis* et *odii Dei* non admittunt parvitatem materiae, sed in omni casu gravem iniuriam contra Deum continent, quum directe contra perfectiones divinas pugnent.

10. Proximo bonum velle vel facere, ut ipsi inde bene sit, est *amor perfectus* seu purae benevolentiae et si eius motivum relatio proximi ad Deum est, caritas est theologica; ei bonum velle vel facere, ut mihi inde bene sit vel fiat, est amor imperfectus seu concupiscentiae. Idem valet de amore erga Deum.

11. ‚*Ordinata caritas* incipit a seipso' scl. 1° in pari necessitate quivis seipsum praeferre potest proximo, sed non debet nisi in necessariis ad salutem: quia norma caritatis proximi est caritas sui ipsius, sed norma praestat normato; 2° in dispari necessitate valet punctum sequens.

12. ‚*Caritas* 1° non obligat cum gravi *incommodo*' a) si proximus est in necessitate levi seu communi, quia hisce succurrere levis est obligatio affirmativa, a qua omne incommodum grave excusat; item b) si in necessitate gravi quidem, sed corporali est, quia in pari necessitate quivis seipsum praeferre potest proximo; 2° si autem proximus est in gravi necessitate spirituali vel in extrema (vel quasi-extrema) necessitate corporali, ei succurrendum est cum gravi damno temporali proprio, quia vita et salus aeterna proximi maius bonum sunt quam proprium bonum naturale externum; imo 3° in extrema vel quasi-extrema necessitate spirituali constituto etiam cum periculo vitae succurrendum est, quia vita aeterna proximi maius bonum est, quam propria vita corporalis.

13. *Carnaliter propinquos* aliis proximis praeferre debemus 1° in necessitate corporali utrimque aequali, quia carnaliter propinqui nobis magis coniuncti sunt quoad bona corporalia quam alii homines; 2° in necessitate extrema spirituali utrimque existente, quia relatio ad illos est fundamentum omnium aliarum relationum, qua alii homines nobiscum coniuncti sunt.

14. ‚Diligite *inimicos* vestros': Grave peccatum est contra caritatem 1° reconciliationem inimico petenti denegare; 2° ei grave malum serio et deliberate optare a) ut ei male sit vel b) ad iniuriam vindicandam vel c) contra ordinem caritatis; 3° diu ei denegare signa communia caritatis.

15. Licitum est, proximo *malum* temporale *optare* (a Deo vel potestate publica inferendum) ex intentione obtinendi bonum commune aut maius bonum privatum vel ipsius vel tuum vel alterius, ideoque excluso affectu vindictae personalis et odii inimicitiae.

16. *Maledictio* est grave peccatum, si proximo grave malum advertenter et serio optatur vel a) ex odio inimicitiae i. e. ut ei male sit vel b) ex intentione vindictae personalis vel c) contra ordinem debitum caritatis.

17. ‚Quod superfluum est, date *eleemosynam*' i. e. pauperibus 1° in extrema vel quasi-extrema necessitate corporali constitutis succurrendum est ex bonis fortunae statui superfluis, 2° aliis autem solum ex bonis simpliciter superfluis. Cfr. pag. 386, n. 2.

18. ‚*Corripe* proximum': Caritas obligat ad monendum proximum, si monitio 1° necessaria est 2° ad impediendum vel removendum peccatum eius grave, 3° formale 4° certum et si 5° certo profutura praevidetur et 6° sine gravi incommodo fieri potest nec 7° alius adest, qui aeque bene potest et etiam vult eum monere.

19. *Denuntiatio* peccantis 1° facienda est sub gravi Superiori eius, etiam cum proprio in-

commodo gravi, si bonum commune in periculum adducit, quia bonum commune praeferendum est bono privato; 2° alias non fieri debet cum gravi incommodo, quia tunc sola caritas ad eam obligat, haec autem non obligat cum tali incommodo.

20. *Seductor*, non scandalizans, est vera causa peccati proximi, quia seductio, non autem malum exemplum est actio, quae ex natura sua ordinatur ad id, ut alterius voluntas determinetur ad peccatum committendum.

21. *Inductio* est tale ac tantum peccatum, quale et quantum est illud, ad quod fit inductio, quia inducens hoc directe intendit; *scandalum* est solum peccatum contra caritatem.

22. *Scandalum acceptum* vitari non debet, nisi commode vitari possit, quia nihil mali in se continet nec caritas obligat cum gravi incommodo et peccatum proximi non intenditur, sed mere permittitur; cfr. pag. 22, n. 10.

23. Licitum est, proximo iam prorsus determinato ad aliquod malum exequendum (ita ut nulla ratione ab eo averti possit) *suadere minus malum*, i. e. ut solam partem huius mali faciat, eumque etiam adiuvare in ea peragenda, quia est inductio et cooperatio ad rem relative bonam; et sic applicatur principium in pag. 22, n. 10.

24. A proximo rem *petere*: 1° quam sine peccato ne potest quidem praestare, non licet, utpote inductio ad malum; 2° licet autem, si eam licite praestare potest, quamvis praevideatur eam reipsa non facturus absque peccato, si petitio ex iusta causa fit, quia caritas non obligat cum gravi incommodo; cfr. pag. 22, n. 10.

25. Non auferre vel apponere proximo *occasionem peccati*, licitum est, si fit ex iusta causa, peccatum proximi non intenditur et res occasionem dans est saltem indifferens; cfr. pag. 22, n. 10; secus est peccatum contra caritatem.

26. *Scandalum publicum* grave sub gravi publice *reparandum* est, quia caritas obligat, ad ruinam spiritualem aliorum iam factam removendam et futuram praecavendam. Confessio publice coram aliis instituta est sufficiens reparatio scandali ordinarii publici et quod non amplius adest, non autem extraordinarii vel illius, quod adhuc perdurat: prius est reparandum publica et explicita detestatione, posterius remotione rei scandalosae.

27. *Cooperatio* ad peccatum proximi: 1° formalis nunquam licita est, utpote approbatio eius; 2° cooperatio immediata etiam est illicita, utpote positio partis peccati proximi, excepto casu, in quo haec positio peccatum non est (i. e. si cooperaris immediate ad furtum vel damnificationem alterius ad vitandam extremam vel quasi-extremam necessitatem tuam vel alterius corporalem, quia in hoc casu pro te, respect. pro alio omnia bona fiunt communia, ita ut ea occupare possis; cfr. pag. 154, n. 28); 3° cooperatio materialis mediata ex causa proportionate gravi licita est, modo actio cooperantis sit saltem indifferens; cfr. pag. 22, n. 10.

B.

DE PRAECEPTIS DECALOGI

I.

DE PRIMO PRÆCEPTO DECALOGI

seu

DE ADORATIONE, ORATIONE, IDOLOLATRIA, SUPERSTITIONE, TENTATIONE DEI, SACRILEGIO ET SIMONIA.

1. **Religio:** Quid est? R. est virtus moralis inclinans hominis voluntatem ad cultum Deo debitum praestandum.

Cultus religiosus: est actus externus, quo testamur supernaturalem excellentiam alterius et nostram erga eum subiectionem.

Divisio: Dividitur in cultum latriae, hyperduliae, duliae; in cultum absolutum et relativum, publicum et privatum.

Latriae: est cultus, qui Deo exhibetur tamquam primo omnium principio, absoluto domino et ultimo fini nostro.

Hyperduliae: qui B. V. Mariae exhibetur propter excellentiam eius, quae, utpote matris Dei, maior est, quam excellentia omnium angelorum et sanctorum.

Duliae: qui sanctis omnibus exhibetur.

Absolutus: qui alicui exhibetur propter excellentiam ei intrinsecus inhaerentem.

Relativus: est ille, qui rei alicui exhibetur propter relationem, quam habet ad personam, cui intrinsecus inhaeret excellentia.

Publicus: est ille, qui a ministro ecclesiae, nomine ecclesiae et iuxta modum ab ecclesia institutum peragitur.

Privatus: qui vel non a ministro ecclesiae, vel non in nomine ecclesiae, vel non in forma ab ecclesia instituta fit.

Devotio: est prompta voluntas faciendi ea, quibus Deus colitur.

2. **Adoratio:** est actus externus, quo protestamur infinitam Dei excellentiam et nostram omnimodam ab eo dependentiam.
3. **Oratio:** est elevatio mentis ad Deum.
4. **Attentio:** est applicatio mentis ad id, quod quis facit.

Quotuplex? R. duplex: interna et externa.

Interna: est applicatio ipsius mentis ad id, quod quis facit.

Divisio attentionis internae: dividitur in actualem et virtualem; attentio in oratione insuper in materialem, literalem et spiritualem.

Actualis: qua quis ab initio usque ad finem operis interius distincte attendit ad id, quod facit.

Virtualis: qua quis in initio operis interius distincte attendit ad id, quod facit, et quae per decursum operis, etsi operans prorsus de alia re cogitet, perdurat, eo quod abstinet ab omni opere alio exteriore, quod attentionem internam impossibilem facit.

Materialis, literalis, spiritualis: est attentio interna inter orandum, prouti orans attendit solum ad rectam prolationem verborum vel etiam ad sensum eorum literalem vel de divinis cogitat.

Externa: est abstinentia ab omni opere externo, quod attentionem internam impossibilem reddit.

Distractio: Quotuplex est? R. duplex: interna et externa. Interna est evagatio mentis; externa est positio operis externi quod impedit attentionem internam. Externa est duplex: vel talis, ut ex natura sua necessario omnem attentionem internam etiam confusam impossibilem faciat; vel talis, ut saltem confusam relinquat et solum plus minusve, graviter vel leviter distrahat; si graviter te distrahit, grave peccatum est, si voluntarie in parte notabili orationis sub gravi praeceptae fit; leve peccatum est, si leviter te distrahit.

5. **Divisio orationis:** Dividitur in adorationem, gratiarum actionem, petitionem; alia divisio: in communem et singularem, mentalem et oralem, et oralis in publicam et privatam.

Miraculum: est effectus aliquis sensibilis insolitus a solo Deo productus.

Exauditio precum: est effectus viribus naturalibus speciali Dei interventu productus.

6. **Irreligiositas:** est irreverentia erga Deum.
7. **Superstitio:** est cultus religiosus vitiosus.

Divisio: Dividitur in cultum vitiosum veri numinis et cultum vitiosum falsi numinis.

Veri numinis: habetur, quando verus Deus modo indebito colitur.

Quotuplex? R. duplex: cultus falsus et cultus superfluus.

8. **Idololatria:** si cultus soli Deo vero debitus, creaturae exhibetur.
   Divisio: Dividitur in materialem et formalem, formalis in perfectam et imperfectam.
   Formalis et materialis: prouti creaturae cultus divinus exhibetur cum intentione adorandi eam vel sine ea.
   Perfecta et imperfecta: perfecta est, si adorans putat, creaturam Deum esse: imperfecta est, si adorans creaturam scit, eam non esse Deum.
9. **Divinatio:** est invocatio daemonis ad res occultas opè eius cognoscendas.
   Quotuplex? R. duplex: per invocationem daemonis expressam et tacitam seu implicitam.
   Per invocationem expressam: si expresse conventio fit cum daemone.
   Per invocationem implicitam: si quis ad rem occultam cognoscendam aliquid adhibet, quod novit ad hoc certo ineptum esse, i. e. nec ex natura sua nec ex institutione Dei vel ecclesiae quaesitum patefacere posse.
10. **Vana observantia:** est invocatio daemonis ad effectum aliquem externum obtinendum.
    Quotuplex? R. duplex: cum invocatione explicita, quando daemon expresse invocatur; et cum invocatione implicita, quae fit, si quis ad effectum obtinendum aliquid adhibet, quod certo novit illum effectum producere non posse nec ex natura sua nec ex institutione Dei vel ecclesiae.
    Gratia sanitatum: est potestas a Deo personae alicui data morbos sanandi mediis quibusdam signis aptis et piis precibus.
11. **Magia:** est ars operandi mira per causas occultas.
    Divisio: dividitur in albam et nigram.

Alba: est ars operandi mira per vires naturales aliis occultas.

Nigra: est ars operandi miros effectus ope daemonis.

Divisio: dividitur in magiam nigram cum invocatione daemonis expressa et cum invocatione daemonis implicita.

Maleficium: est ars ope daemonis aliis nocendi; est vel veneficium, quae est ars ope daemonis personae hominis eiusque bonis damnum inferendi, vel amatorium, quae est ars ope daemonis aliquem implendi vehementi amore aut odio contra alium.

12. **Spiritismus:** est superstitiosa necromantia, i. e. ars communicandi cum spiritibus, i. e. daemonibus eorumque ope res occultas cognoscendi medio homine hypnotizato.
13. **Tentatio Dei:** est dictum vel factum, quo quis experimentum facit, an Deus aliquid velit vel possit facere.

Quotuplex? R. duplex: formalis et virtualis.

Formalis: quae fit cum elicita intentione Deum explorandi.

Virtualis: est dictum vel factum, quod aliter non potest interpretari, nisi ut exploratio Dei, scl. a Deo extraordinaria sine necessitate expectare.

14. **Sacrilegium:** est indigna tractatio rei sacrae.

Divisio: Dividitur in sacrilegium reale, personale et locale, prouti vel res sacra vel persona sacra vel locus sacer indigne tractatur et quidem in eo, in quo sacra sunt.

Res sacra: quae a Deo vel ecclesia ad cultum divinum deputata est.

Persona sacra: quae ab ecclesia vel ad cultum divinum vel statum religiosum vel castitatem servandam deputata est.

Locus sacer: est locus ad usum religiosum ab ecclesia destinatus; est duplex: in stricto et in latiori sensu sacer.

In stricto sensu: est locus ab ecclesia ad cultum divinum perpetuo destinatus et vel consecratus vel saltem benedictus speciali benedictione capellae (ecclesia, oratorium publicum, coemeterium).

In latiore sensu seu religiosus: est locus ab ecclesia ad usum pium et religiosum destinatus.

Locus pius: est locus ad usum pium destinatus, sed sine interventu ecclesiae.

Pollutio ecclesiae: est laesio sanctitatis loci stricte sacri, adeo ut reconciliari debeat. Fit per actum in eo, qui adeo sanctitati eius repugnat, ut communi populi christiani aestimatione locus non amplius dignus sit, ut ibi functiones sacrae fiant.

Execratio ecclesiae: est amissio sanctitatis loci stricte sacri, adeo ut denuo consecrari respect. benedici debeat.

15. **Simonia:** Quid est? R. est contractus circa spirituale aut temporale spirituali annexum, intuitu religionis prohibitus.

Divisio: Dividitur in simoniam iuris divini et simoniam iuris ecclesiastici; in pure mentalem, mentalem, conventionalem, realem, confidentialem; in simoniam a manu, a lingua, ab obsequio.

Iuris divini: dare alteri temporale eum obligando, ut pro eo det spirituale, vel vicissim, utrumque iudicando eiusdem valoris.

Iuris ecclesiastici: dare alteri contra prohibitionem ecclesiae spirituale, eum obligando, ut det spirituale; vel temporale spirituali annexum, ut det temporale spirituale annexum; vel temporale, ut det temporale.

Pure mentalis: est intentio simoniaca mera interna.

Mentalis: habetur, quando alteri aliquid simoniace offertur, sed intentio eum obligandi non manifestatur.

Conventionalis: si haec intentio ei manifestatur, sed res nondum tradita est ex utraque parte.

Quotuplex est simonia conventionalis? R. duplex: 1° cum pacto explicito vel implicito, prout intentio alium obligandi expressis verbis significatur vel ex circumstantiis necessario colligitur; 2° vel pura, si neuter contrahentium rem suam tradidit, vel mixta, si unus eorum rem suam iam tradidit, saltem ex parte.

Realis: si uterque contrahentium rem suam iam tradidit alteri, saltem ex parte.

A manu: si unus eorum dat pecuniam vel bonum externum ei aequivalens.

A lingua: si unus eorum se obligat ad patrocinium pro alio.

Ab obsequio: si unus eorum se obligat ad servitium temporale praestandum alteri.

Confidentialis: habetur, quando quis beneficium procurat alteri (praesentatione, electione, nominatione, collatione, resignatione) cum certa obligatione ei imposita circa idem beneficium.

Quotuplex est? R. quadruplex: cum reservatione accessus, ingressus, regressus, partis.

Accessus: si quis alteri dat ius personale ad beneficium sub condiciones ut hic certo tempore illud resignet ad id, ut procurans vel aliquis tertius hoc ius obtineat, aut quis beneficium, in quod iam ius ad rem habet, resignat in favorem alterius sub ea condicione, ut in casu vacationis beneficii, ipse iterum vel alius recipiat ius ad rem.

Ingressus: si quis alteri dat ius reale in beneficium sub condicione, ut certo tempore illud resignet, et sic ipse procurans vel aliquis tertius hoc ius obtinere possit; aut si quis beneficium, in quod iam ius in re habet, cuius tamen possessionem nondum cepit, resignat in favorem alterius, sub ea condicione, ut in casu resignationis eius, de quo conveniunt, vel cuiuscunque vacationis beneficii, ipse iterum vel alius ius in re recipiat et sic possessionem beneficii capere possit.

Regressus: si quis beneficium, cuius possessionem iam cepit, in favorem alterius

resignat, sub ea condicione, ut in casu resignationis eius de quo conveniunt, vel cuiuscunque vacationis ipse iterum vel tertius quidam recipiat possessionem. Cfr. infra, n. 16.

Partis: si quis beneficium procurat alicui, sub ea condicione, ut partem fructuum beneficii solvat vel sibi vel tertio cuidam.

Res spiritualis: est res, quae immediate et principaliter ad bonum spirituale supernaturale hominis ordinatur, sive ex natura sua sive ex positiva institutione Dei vel ecclesiae.

Res temporalis annexa rei spirituali: Quotuplex? R. triplex: annexa consequenter, antecedenter, concomitanter.

Consequenter: si res temporalis subsequitur seu supponit rem spiritualem ut sui causam.

Antecedenter: si antecedit rem spiritualem, ut eius suppositum.

Concomitanter: si cum re spirituali simul existit coordinate, sive intrinsecus seu necessario sive extrinsecus seu fortuito.

16. **Beneficium:** est ius percipiendi fructus ex bonis ecclesiasticis propter officium spirituale, ab ecclesia constitutum.

Ius ad rem seu **personale in beneficium:** est ius, quod acquiritur per praesentationem vel electionem ad beneficium.

Ius in re seu **reale in beneficium:** est ius, quod acquiritur collatione beneficii per Superiorem ecclesiasticum.

Installatio in beneficio: est immissio in possessionem beneficii iam collati, seu traditio eius.

17. **Ius patronatus:** est ius Superiori ecclesiastico praesentandi aliquem ad beneficium aliquod, ut ei conferat.

PRINCIPIA.

1. Ad orationem oralem (recitationem breviarii, celebrationem et auditionem missae, poenitentiam sacramentalem etc.) valide facien-

dam non requiritur *attentio* interna, sed sufficit externa, quia, si haec adest durante oratione, oratio ab initio usque ad finem est actus humanus et religiosus: humanus, quia intentio et attentio interna in initio elicitae virtualiter perdurant usque ad finem; religiosus eo, quod intentio colendi Deum in initio elicita virtualiter perdurat usque ad finem, seu tota oratio fit vi et virtute intentionis et attentionis internae ante orationem elicitae.

2. ‚Qui non orat, peribit' quia pro adultis *oratio petitoria* medium ordinarium est obtinendi a Deo auxilia gratiae efficacia ad vitanda peccata gravia.
3. Oratio tum iusti tum peccatoris infallibiliter a Deo *exauditur*, si a) petitum expedit ad salutem animae et b) petitio sine diffidentia et c) cum perseverantia fit: quia Deus hoc promisit. Cfr. pag. 386, n. 4.
4. Cultus Dei vitiosus, idololatria, divinatio, vana observantia, magia nigra, tentatio Dei, sacrilegium, simonia, laesio voti, blasphemia, assumtio vana divini nominis, periurium et fractio iuramenti, illicita adiuratio, profanatio dierum festorum sunt peccata *contra religionem* seu contra reverentiam Deo debitam. Haec peccata specie ab invicem distinguuntur, quia modo moraliter diverso reverentiam Deo debitam laedunt, exceptis divinatione, vana observantia et magia, quae specie non differunt, quia per illicitum commercium cum daemone eodem modo reverentiam laedunt. Cfr. pag. 386—387, n. 7—9.
5. Cultus Dei falsus, idololatria, item divinatio, vana observantia et magia nigra cum invocatione explicita non admittunt *parvitatem materiae* quia semper continent gravem irreverentiam erga Deum; cultus superfluus per se veniale est; item divinatio et vana observantia cum invocatione implicita ordinarie peccatum veniale sunt vel propter ignorantiam malitiae vel defectum

fidei firmae in media adhibita vel seriae voluntatis.

6. „*Nova* sunt suspecta" i. e. ea, quorum obiectum vel modus non sunt usitata in ecclesia.
7. *Miraculum* non est affirmandum, nisi certo de eo constet, generatim effectus aliquis insolitus naturae tribuendus est, quousque contrarium non certo probatur e. g. cognitio telepathica distantium (etiam actuum humanorum). Cfr. 386, n. 5—6.
8. *Tentatio* Dei 1° virtualis admittit parvitatem materiae, non autem 2° formalis, quae semper gravem irreverentiam Deo irrogat.
9. Ecclesia et coemeterium non *polluuntur*, nisi 1° 5 factis tantum (occisione hominis, effusione sanguinis vel seminis humani, sepultura nominatim excommunicati vel adulti non baptizati), iisque 2° graviter peccaminosis (obiective et subiective) et 3° publice notis, quia pollutio consistit in communi aestimatione populi, locum non amplius dignum esse sacris functionibus.
10. *Simonia* 1° iuris divini non admittit parvitatem materiae, quia rem sacram eiusdem valoris habere ac bonum terrenum, Deo, auctori sanctitatis rerum sacrarum, semper gravem irreverentiam infert; 2° simonia iuris mere ecclesiastici autem admittit parvitatem materiae, quia haec non intrinsece, sed solum ob prohibitionem ecclesiae mala est, haec vero semper in re gravi sub gravi, in re levi sub levi obligat.
11. *Simonia iuris divini*: est vendere vel emere 1° pro pretio temporali rem spiritualem, vel 2° rem temporalem, quae consequenter vel concomitanter intrinsecus annexa est rei spirituali, quia res temporalis in his casibus vendi et emi non potest, quin simul vendatur et ematur res spiritualis; 3° pretium temporale augere propter rem spiritualem in re temporali antecedenter annexa rei spirituali. Tamen triplex hic contractus iure naturae validus est quia uterque contrahens libere se contentum dicit cum

re accepta pro re data, ideoque nihil est restituendum, nisi ecclesia restitutionem positive praecepit (scl. in re beneficiaria et in simonia ob ingressum in religionem). Cfr. pag. 387, n. 11—12.

II.

DE SECUNDO PRÆCEPTO DECALOGI

seu

DE VANA ASSUMTIONE DIVINI NOMINIS, BLASPHEMIA, VOTO, IURAMENTO ET ADIURATIONE.

1. **Vana assumtio nominum sanctorum:** est prolatio nominis Dei vel sanctorum vel rerum sacrarum sine rationabili fine vel sine debita reverentia.
2. **Blasphemia:** est locutio contumeliosa contra Deum.
   Divisio: Blasphemia dividitur in immediatam et mediatam, verbalem et realem, haereticalem, imprecativam et probrosam, directam et indirectam.
   Immediata et mediata: prouti fit vel immediate contra Deum vel immediate contra creaturam, sed quatenus relationem ad Deum habet.
   Verbalis et realis: prouti verbis vel facto fit.
   Haereticalis: est ea, quae haeresim continet.
   Imprecativa: qua Deo malum optatur.
   Probrosa: qua de Deo aliquid verum, sed cum contemtu enuntiatur.
   Directa: quae fit cum intentione Deum inhonorandi.
   Indirecta: quae non fit cum intentione inhonorandi Deum, sed tamen cum advertentia ad inhonorationem eius.
3. **Votum:** est promissio Deo facta de bono meliori.
   Divisio: dividitur in privatum et publicum; publicum in simplex et sollemne; in personale et reale; determinatum et dis-

iunctivum; reservatum et non reservatum; temporale et perpetuum; expressum, tacitum et implicitum; singulare et commune; absolutum et condicionatum; votum merum et votum in favorem tertii.

Privatum: quod solus Deus acceptat.

Publicum: quod ecclesia nomine Dei acceptat.

Simplex: quod ecclesia acceptat quidem, sed non irrevocabiliter nec cum effectu irritationis actus futuri contra votum positi.

Sollemne: quod ecclesia 1° irrevocabiliter acceptat, adeo ut extraordinarie tantum per dispensationem solius Romani Pontificis solvi possit; simul 2° irritat actus futuros contra votum positos.

Personale: quo vovens directe actum personalem promittit.

Reale: quo directe rem aliquam ex bonis suis praestandam promittit.

Determinatum et disiunctivum: prout aliquid determinate aut solum disiunctive promittitur.

Non reservatum et reservatum: prouti potestas dispensandi in voto emisso et illud commutandi in generali facultate a Papa concessa, dispensandi in votis, continetur vel non continetur, sed specialem facultatem exigit.

Expressum: si promissio interna verbis vel signo declaratur.

Tacitum: si quis actum aliquem libere ponit sciens, ei votum esse annexum.

Implicitum: si materia voti in materia alterius voti ut pars continetur.

Singulare et commune: prout fit a persona singulari vel a communitate aliqua.

Absolutum: quo aliquid independenter ab omni condicione promittitur.

Condicionatum: quo aliquid solum dependenter ab aliquo eventu vel circumstantia aliqua promittitur.

Votum merum et votum in favorem tertii: prout est promissio soli Deo vel Deo

et homini cuidam facta. Votum in favorem tertii est vel iuratum vel non iuratum, prout votum iuramento addito confirmatur vel non. Votum in favorem tertii insuper est vel principaliter factum in honorem Dei et secundario in favorem tertii vel principaliter in favorem tertii et secundario in honorem Dei aut aeque principaliter in honorem Dei et in favorem tertii. Promissio tertio facta est vel gratuita vel onerosa, prout tertius nihil repromisit vel aliquid repromisit.

Error in voto: Quotuplex esse potest? R. substantialis et accidentalis, antecedens et concomitans.

Substantialis: qui versatur circa essentiam rei promissae.

Accidentalis: qui versatur circa aliquod accidens rei, i. e. quo absente salva consistit essentia rei promissae.

Quotuplex? R. error accidentalis duplex esse potest: vel illa accidentalis qualitas rei fuit voventi condicio sine qua non, aut non fuit ei condicio talis.

Antecedens: est error, qui causa voti fuit, i. e. vovens votum non fecisset, si veritatem cognovisset.

Concomitans: est error, qui non fuit causa voti, i. e. vovens nihilominus votum fecisset, etsi veritatem cognovisset.

Irritatio voti: est suspensio obligationis voti per subtractionem materiae eius vel annullatio obligationis per solutionem actus voluntatis voventis.

Quotuplex est? R. duplex: directa et indirecta.

Directa: est annullatio obligationis voti (scl. pro semper) per solutionem actus voluntatis, quo vovens votum fecit, ab illo et nomine illius facta, qui habet potestatem (dominativam vi voti oboedientiae) in ipsam voluntatem voventis.

Indirecta: est solum suspensio obligationis voti (scl. ad tempus) per subtractio-

nem materiae voti, ab eo facta, qui habet potestatem in materiam voti.

Dispensatio: est annullatio voti nomine Dei facta vi iurisdictionis ecclesiasticae.

Commutatio: est substitutio alterius operis boni loco rei Deo promissae.

4. **Iuramentum:** est petitio ad Deum, ut infallibili suo testimonio verum esse testetur id, quod iurans dicit.

Divisio: Dividitur in mere internum et externum; externum in verum et fictum, assertorium et promissorium, mere invocatorium et imprecatorium, expressum et tacitum, explicitum et implicitum, sollemne et simplex; in iuramentum falsum, iniquum et incautum.

Mere internum: est invocatio Dei mere interna, ad extra non manifestata; hoc est iuramentum improprie vel saltem non stricte dictum.

Externum: est verbum vel signum iuratorium adhibitum cum intentione iurandi; hoc est iuramentum proprie dictum.

Verum et fictum: prout is, qui exterius iurat interius habet intentionem invocandi Deum in testimonium veritatis vel non habet.

Expressum et tacitum: prout verba iuratoria adhibentur vel solum signa externa.

Explicitum et implicitum: prout immediate Deus ipse invocatur ut testis, vel immediate creatura, sed quatenus relationem ad Deum habet.

Assertorium: quo Deus invocatur in testimonium veritatis alicuius propositionis enuntiatae.

Promissorium: quo quis 1° Deum invocat in testem praesentis intentionis suae, promittendi et promissionem implendi et quo 2° simul obligationem suscipit ex reverentia erga Deum, rem promissam implendi. Est vel solum propositum iuratum, vel vera, i. e. obligatoria promissio iurata. Haec posterior est ve Deo facta seu votum iuratum, vel

homini tantum facta sive gratuita sive onerosa seu pactum iuratum, vel Deo et homini facta seu votum cum pacto iuratum. Cfr. pag. 87.

Mere invocatorium: quo Deus solum ut testis invocatur.

Imprecatorium: quo iurans insuper sibi malum optat, si verum non est, quod dicit, vel non implet, quod promittit.

Sollemne et simplex; prouti fit cum aliqua caeremonia sacra vel sine ea.

Periurium: est iuramentum, 1° quo Deus invocatur in testimonium assertionis, quam iurans falsam esse scit, vel de cuius veritate positive dubitat aut 2° quo promittit rem sine intentione eam implendi vel cum intentione, eam non implendi vel cum positivo dubio, num eam facturus sit vel facere possit.

Iniquum: quo quis rem occulte servandam sub iuramento manifestat aut rem illicitam promittit.

Incautum: est iuramentum sine iusta causa aut sine debita reverentia externa emissum.

Fractio iuramenti: est culpabilis omissio rei sub iuramento promissae.

Iuramentum fidelitatis: est iuramentum, quo quis oboedientiam et fidelitatem principi societatis civilis eiusque legibus promittit.

5. **Adiuratio:** est iussio ad hominem vel diabolum directa vel deprecatio ad Deum vel Sanctos vel hominem in hac terra facta sub invocatione Dei vel rerum sacrarum, ad eos magis movendos, ut faciant iussum vel petitum.

PRINCIPIA.

1. Locutio *blasphema* est, si 1° ex se vel communi acceptione hominum loci vel (si ambigua est) ex intentione loquentis contra Deum vel sanctos, quatenus amici Dei sunt,

aliquid dicitur, quod eos inhonorat, sive a) propter id, quod de eis dicitur, sive b) propter modum contemtibilem, quo de eis aliquid dicitur; 2° si ex ira contra eos res sacrae nominantur vel 3° creaturis serio et advertenter malum optatur, quatenus a Deo factae vel immissae sunt.

2. Blasphemia non admittit *parvitatem materiae* sed semper gravis irreverentia contra Deum est. Omnes blasphemiae simplices sunt eiusdem speciei, sed haereticalis non solum contra religionem, sed etiam contra fidem est, et imprecativa praeter religionem etiam caritatem laedit.
3. *Assumtio vana* divini nominis est peccatum leve tantum, quia irreverentiam levem tantum erga Deum continet.
4. Nullum *votum* sine intentione sese obligandi.
5. Nemo potest valide in se suscipere ullam obligationem vi propriae voluntatis (per votum, iuramentum, contractum etc.) nisi per actum perfecte humanum, i. e. cum *plena advertentia* et pleno consensu, quia secus obligationes nimis multiplicarentur.
6. Votum non valet *ultra intentionem* voventis et in dubio standum est pro minimo. Insuper in omni voto et promissione homini gratuito facta, etiam iurata, hae *conditiones* tacite continentur: si potero i. e. sine gravi incommodo — nisi Superior contradixerit — si res non fuerit notabiliter mutata — nisi falsa sit mea causa motiva unica vel unice principalis — salvis legibus ecclesiae — nisi alter iuri suo cedat.
7. Ut votum et iuramentum promissorium principaliter in honorem Dei tantum emissum valeat, eius *materia* debet esse 1° physice et moraliter possibilis promittenti, 2° moraliter bona et 3° melior, saltem pro promittente, quam eius oppositum, quia secus Deus ea non acceptat, quum per ea non honoretur.

8. Votum, iuramentum promissorium, quaelibet promissio et contractus quilibet non valent, si sunt de re vel *impossibili* (sive physice, sive moraliter) vel *illicita*, quia ad rem impossibilem vel illicitam non potest suscipi obligatio in conscientia.

9. ‚Non firmatur tractu temporis, quod de iure ab initio non subsistit' i. e. votum, pactum iuratum et contractus qualiscunque, quae de re *impossibili* vel *illicita* facta sunt, non fiunt valida eo, quod postea res fit possibilis vel licita.

10. Votum vel pactum iuratum emissum ex *errore*, 1° non valet a) si substantialis fuit vel accidentalis talis, qui versabatur circa condicionem sine qua non, quia deest voluntas promittendi rem; b) si votum aut pactum iuratum, sive gratuitum sive onerosum, sed principaliter in honorem Dei factum, est emissum ex errore antecedente, etsi accidentalis nec de condicione sine qua non fuerit, quia promissio gratuita, ut valida sit, non solum voluntaria, sed etiam simpliciter voluntaria esse debet, qualis non est, si eius causa error fuit. 2° Votum vel pactum iuratum emissum ex errore concomitante, valet, quia neque consensus deest, neque error concomitans causa voti vel pacti est. Cfr. pag. 165, n. 2; 167, n. 4.

11. Votum vel pactum iuratum *ex metu* emissum: 1° non valet: a) si metus usum rationis turbavit, quia deest actus perfecte humanus. b) si metus antecedens fuit, et ab alio homine iniuste incussus est ad extorquendum votum vel pactum iuratum sive gratuitum sive onerosum sed principaliter in honorem Dei factum, quia Deus ea non acceptat, ne iniuriam alterius approbare videatur et quia promissio gratuita simpliciter voluntaria esse debet (cfr. pag. 388, n. 13); 2° valet autem, quia consensus adfuit, sed a) rescindibile est: pactum iuratum principaliter in utilitatem tertii

factum, si emissum est ex metu antecedente, iniuste incusso ab altero contrahente in ordine ad pactum extorquendum; cfr. pag. 166, n. 3. b) neque rescindibile est votum vel pactum iuratum, si metus non turbavit usum rationis et vel concomitans fuit vel antecedens quidem, tamen incussus est a causa interna vel externa necessaria vel iuste ab homine vel saltem non in ordine ad votum vel pactum extorquendum, quia consensus adfuit nec iniuria illata est voventi vel iuranti vel saltem haec non fuit causa voti vel pacti. Cfr. pag. 166, n. 3.

12. Ut *iuramentum validum* sit, requiritur intentio iurandi et aliqua formula iuratoria et in iuramento promissorio etiam intentio se obligandi ad rem promissam praestandam.

13. Ut *iuramentum licitum* sit, requiruntur 3: ‚Iurabis in veritate, et in iustitia et in iudicio' seu 1° verum habere debes, quod iuras, 2° res licita sit, quam promittis vel revelas, 3° ex iusta causa et cum reverentia exteriore iures. Idem valet de adiuratione.

14. Vota et iuramenta promissoria obligant ad rem promissam praestandam ex virtute *religionis* i. e. ex reverentia erga Deum.

15. *Non implere* votum vel rem sub iuramento promissam est 1° grave vel leve peccatum pro ratione materiae, quia sic vel gravis vel levis irreverentia erga Deum committitur. 2° Tertiam partem talis rei, si res gravis est, omittere, mortale est. 3° Plures materiae leves omissae non coalescunt in unam materiam gravem in votis personalibus, sed utique in realibus et in pactis iuratis.

16. 1° *Vovere* rem malam grave est; sub iuramento alteri promittere rem graviter malam, grave peccatum, leviter malam vel inutilem, leve peccatum irreverentiae est; 2° *periurium* etsi fictum, semper est mortale, utpote semper gravis irreverentia erga Deum; 3° iuramentum *iniquum* assertorium et *incautum* levis irreverentia erga Deum est.

17. *Papa* 1° potest dispensare (improprie; cfr. pag. 38, n. 35) in omnibus votis et iuramentis soli Deo factis et consequenter etiam in omnibus meris votis iuratis; item in illis votis in utilitatem tertii factis et pactis iuratis, quae principaliter in honorem Dei tantum facta sunt, quia sic principaliter promissiones Deo factae sunt seu vota et accessorium sequitur naturam principalis, cui annexum est; 2° non potest autem dispensare in votis et pactis iuratis, quae principaliter vel saltem aeque principaliter in utilitatem tertii facta et ab hoc iam acceptata sunt, quia sic principaliter vel saltem aeque principaliter promissiones homini factae seu contractus sunt, qui (exceptis quibusdam casibus) solvi non possunt sine consensu utriusque contrahentis. Cfr. pag. 388, n. 15.

18. *Episcopi et confessarii* regulares (etiam extra confessionem) dispensare possunt 1° in votis non reservatis et in iuramentis, nisi facta sint etiam principaliter in utilitatem tertii et ab eo iam acceptata; 2° coniugem dispensare possunt etiam in voto reservato perpetuae et perfectae castitatis, quod sine consensu compartis emisit (scl. non petendi debitum coniugale), sed solum ad effectum, ut licite petere possit in matrimonio iam contracto debitum coniugale 3° in eodem voto emisso ante matrimonium, si periculum est in mora, i. e. si vel immediate ante matrimonium vel post matrimonium contractum detegitur (sed in posteriori casu solum ad petendum debitum coniugale). Cfr. pag. 388, n. 16 et 18.

9. Papae *reservata* est dispensatio in 3 votis religiosis sollemnibus, in omni voto perfectae et perpetuae castitatis, ingrediendi ordinem stricte dictum, in votis simplicibus (et in promissione perseverantiae) emissis in ordine stricte dicto vel in congregatione aliqua ab ipsa S. Sede approbata, et 3 peregrinationum (rom., hieros.,

Compost.), si haec vota sunt a) certa, b) perfecte libera c) absolute et d) principaliter solum ad Deum honorandum facta.

20. ‚Qui potest plus, potest etiam minus' scl. qui potest in voto dispensare, potest a fortiori illud *commutare* in minus. Cfr. pag. 388, n. 17.

III.

DE TERTIO PRÆCEPTO DECALOGI.

1. **Ecclesia:** est aedificium ad cultum divinum in perpetuum destinatum, ad usum omnium fidelium (saltem loci), consecratum vel saltem benedictum.

   Oratorium publicum: est locus benedictus et ad cultum divinum perpetuo destinatus, ad usum alicuius familiae vel communitatis, ita tamen, ut etiam omnes fideles loci ius habeant functionibus sacris, quae ibi habentur, assistendi.

   Oratorium semipublicum: est locus ad cultum divinum destinatus, ad usum alicuius communitatis tantum.

   Oratorium privatum: est locus ad cultum divinum destinatus, in usum alicuius familiae vel personae singularis tantum.

2. **Opus servile:** est opus, quod labore corporali potissimum perficitur et ad utilitatem corporis praecipue ordinatur.

   Opus liberale: est opus, quod viribus animi potissimum perficitur et ad utilitatem animi praecipue ordinatur.

   Opus commune: quod partim ad utilitatem corporis, partim ad utilitatem animi ordinatur.

   Opera forensia: sunt actus iurisdictionis contentiosae et omnes contractus civiles etiam privati.

PRINCIPIA.

1. *Missae auditio* et *abstinentia ab operibus servilibus* ab ecclesia ex motivo virtutis religionis seu ad Deum colendum omnibus fidelibus praeceptae sunt: ex lege generali 1° omnibus diebus dominicis; 2° in 8 festis tantum: nativitatis, circumcisionis, apparitionis et ascensionis Christi, immaculatae conceptionis et assumtionis B. Mariae V., apostolorum Petri et Pauli et omnium Sanctorum.
2. Ad *praesentiam corporalem* saltem moralem in audienda missa requisitam sufficit, ut assistens 1° non ultra 30 passus ab ecclesia (respect. oratorio) distans 2° aliquo sensu percipere possit quid in altari peragatur.
3. Non solum in *qualibet ecclesia*, sed vi consuetudinis universalis etiam in quolibet *oratorio publico et semipublico* valide et licite missa diebus praeceptis audiri potest, non autem in oratorio privato, nisi ab illis, in quorum favorem privilegium oratorii privati concessum est (et eorum consang., affin., hospit. et famulis actu in missa eis inservientibus).
4. *Partem missae notabilem* (e. g. ab initio usque ad offertorium inclusive; ab initio usque ad evangelium exclusive et simul ea, quae communionem sequuntur) absque causa mediocriter gravi: vel voluntarie omittere vel advertenter se periculo exponere eam omittendi, grave peccatum est, eaque sub gravi suppleri debet in alia missa, dummodo quis in una eademque missa consecrationi et communioni interfuerit; secus totam novam missam audire debet.
5. Diebus dominicis et festis *prohibentur* 1° opera servilia, nisi sint dubie servilia et consuetudo ea permittat; 2° processus iudiciales; 3° contractus publici, nisi consuetudo eos permittat.
6. A prohibitione operum servilium *excusant*: 1° necessitas pro cultu divino, 2° necessitas tum communis tum privata sive propria sive aliena, 3° consuetudo.

IV.

DE QUARTO PRÆCEPTO DECALOGI

seu

DE SUPERIORIBUS ET SUBDITIS.

1. **Pietas:** est virtus moralis inclinans hominem ad cultum debitum praestandum parentibus, fratribus, sororibus, coniugi et patriae.
2. **Observantia:** est virtus moralis inclinans hominem ad cultum debitum praestandum Superioribus et aliis omnibus in dignitate constitutis.

   Quotuplex? R. duplex: vel civilis, si dignitas est civilis, vel religiosa, si dignitas est religiosa. Religiosa est vel naturalis vel supernaturalis, prouti religio est naturalis vel supernaturalis.
3. **Oboedientia:** est virtus moralis inclinans hominem ad id faciendum, quod Superior vult, et ideo, quia hic vult.
4. **Potestas in subditum:** est potestas, vi cuius aliquis alteri aliquid praecipere potest sub obligatione in conscientia imposita.

   Quotuplex est? R. quadruplex: paterna, dominativa, socialis, iurisdictionis.

   Paterna: quam in filios habent parentes vel illi, qui illorum locum tenent.

   Dominativa: quae oritur ex voto oboedientiae erga alium.

   Socialis: quam Superior omnis societatis legitimae (i. e. cuius finis res licita est), etiam liberae et imperfectae habet in membra societatis, ut finis societatis obtineri possit.

   Iurisdictionis: quam habet princeps societatis perfectae in membra societatis, et quae est potestas legifera, iudicialis et coactiva.

Societas perfecta: est societas, quae omnia media ad finem suum necessaria in seipsa habet, vel saltem ius habet ab alio exigendi, ut subministret media forte deficientia. Est duplex: societas civilis et ecclesia Christi.

Societas imperfecta: est societas, quae non omnia media ad finem suum necessaria in se ipsa habet neque ius habet, media deficientia ab alio postulandi.

Societas necessaria: cuius membrum aliquis esse debet: est societas familiae, societas civilis seu status et ecclesia catholica.

Societas libera: cuius membrum esse vel non esse, uniuscuiusque arbitrio relinquitur.

5. **Emancipatio feminarum:** est studium introducendi aequalitatem inter viros et mulieres; est radicalis, si aequalitas intenditur in vita etiam domestica; et moderata, si intenditur solum in vita oeconomica et politica.
6. **Filii:** quomodo dividuntur? R. in legitimos, illegitimos, legitimatos, spurios, adoptivos, impuberes, puberes, minorennes, maiorennes, emancipatos, pupillos.

Legitimi: qui ex matrimonio valido vel putativo nati sunt (certo vel dubie). Cfr. pag. 314.

Illegitimi naturales: qui sunt extra matrimonium nati ex viro et muliere, inter quos tempore copulae validum matrimonium existere potuit.

Legitimati (in foro ecclesiastico): qui extra matrimonium quidem nati sunt, sed tamen ex viro et muliere, inter quos tempore copulae matrimonium existere potuit et postea etiam revera initum est.

Spurii: qui nati sunt extra matrimonium ex viro et muliere, inter quos tempore copulae (vel conceptionis vel nativitatis prolis) validum matrimonium existere non potuit. Hi quoque ecclesiastice legitimari possunt per dispensationem ecclesiae aut ex-

pressam aut implicitam (in sanatione in radice vel in dispensatione data in articulo mortis), exceptis adulterinis et ortis ex sacrilegio personae voto sollemni vel ordine sacro ligatae.

Adoptivi: qui in familiam gratuito assumti sunt, quamquam filii naturales aliorum parentum sunt. Adoptio est vel perfecta vel imperfecta, prout adoptatus intrat in omnia iura filii naturalis aut non in omnia.

Minorennes: qui non sunt sui iuris in rebus saltem civilibus.

Impuberes: sunt illi minorennes, qui nondum pubertatem sexualem adepti sunt

Puberes: minorennes, qui ipsam iam adepti sunt; communiter: puellae 12 annorum, pueri 14 annorum.

Maiorennes: qui etiam in rebus civilibus sui iuris sunt; scl. post annum 21^{um} vel 24^{um}.

Emancipati: qui non amplius sub paterna potestate sunt.

Pupilli: qui in impubertate patre suo orbati sunt.

7. **Status vitae:** est modus vivendi stabilis seu non facile mutabilis. Status stricte dictus i. e. vitae condicio permanens cum obligatione permanenti est triplex: matrimonialis, clericalis, religiosus.
8. **Operistitia:** sunt cessationes operariorum ab opera ex condicto factae.
9. **Tyrannus:** est legitimus princeps, qui potestate sua abutitur non solum ad iniustas leges ferendas, sed etiam ad populum vi opprimendum.
10. **Rebellio:** est vis illata legitimo principi a subditis suis ad eum deponendum.

Resistentia contra leges iniustas: est duplex: aggressiva seu rebellio et passiva, quae est constans neglectio legum iniustarum et usus mediorum legalium ad eas abolendas.

Lex iniusta: est lex, quae est contra bonum commune societatis aut ultra competentiam legislatoris.

11. **Tributum:** est id, quod rei publicae solvendum est ad communes sumtus faciendos.
Divisio: Dividuntur in directa et indirecta.
Directa: sunt illa, quae immediate ipsis personis imponuntur. Sunt 1° vel personalia vel 2° realia vel 3° concessiones: prouti personis imponuntur propter bona mobilia vel immobilia, quae possident, vel propter artem aut negotium, quod exercent.
Indirecta: quae immediate ipsis rebus imponuntur 1° propter contractum de eis vel 2° earum fabricationem vel 3° consumtionem vel 4° importum vel exportum. Tributa seu vectigalia pro importandis mercibus alienis vel necessaria sunt, si eaedem merces in regno, in quod importantur, tributo oneratae sunt, vel solum utilia, si in hoc regno liberae sunt a tributo.

12. **Deputatus:** est persona a civibus electa, ut bonum commune societatis procuret.
Electio politica: est designatio personae, quae munus deputati exerceat.

PRINCIPIA.

1. *Coniuges* tenentur 1° ad mutuum amorem specialem seu ex pietate, eumque tum affectivum tum effectivum; 2° ad mutuum adiutorium corporale et spirituale: verbo, exemplo, opere; 3° ad debitum coniugale rite praestandum et ad datam fidem coniugalem corde et opere servandam; 4° ad communem cohabitationem quoad torum et mensam, ita ut sine consensu alterius absque causa gravi diu abesse, peccatum grave sit. Cfr. pag. 124—128, n. 20; 312, n. 10.
2. *Femina* 1° viro subiecta esse et ab eo regi debet in vita domestica; 2° in vita sociali

et politica autem excludenda est a) ab illis negotiis, ad quae vel corporaliter vel intellectualiter vel moraliter minus apta est, quam vir, quia bonum commune hoc exigit, b) item ab illis, quae in detrimentum officii matrisfamilias cederent.

3. *Parentes* tenentur ex pietate erga filios ad 1° amorem, 2° educationem a) corporalem (quoad vitam, sanitatem, alimenta, statum procurandum) et b) spiritualem (per instructionem, exemplum, orationem pro eis, vigilantiam, correctionem). *Filii* tenentur ex pietate ad amorem, reverentiam et (usque ad emancipationem) ad oboedientiam erga parentes. Cfr. pag. 389, n. 10.

4. Filius 1° minorennis graviter peccat contra *oboedientiam*, si parentes a) quoad animae salutem, bonos mores vel gubernationem familiae et ordinem domesticum aliquid b) notabile praecipiunt c) cum intentione filium in conscientia obligandi et d) filius id omittit cum advertentia ad gravitatem malitiae. Filius 2° maiorennis non amplius tenetur ad oboedientiam, nisi quoad ordinem domesticum tantum, si apud parentes habitat.

5. In eligendo *vitae statu* filii tenentur 1° consilium parentum petere propter reverentiam eis debitam, nisi in eligendo statu clericali vel religioso, quia ordinarie in hoc casu non apti sunt ad bonum consilium dandum; 2° non autem consilium parentum sequi tenentur. Cfr. pag. 341, n. 6. 3° In necessariis ad salutem omnis filius qui ad usum rationis pervenit, prorsus sui iuris est.

6. Filius tenetur sub gravi abstinere a matrimonio vel statu religioso, si 1° parentes in extrema vel quasi-extrema vel *gravi necessitate corporali* sunt et 2° alio modo sufficienter iuvari non possunt, si filius eos deserit, nec 3° filius se exponat gravi periculo salutis, non ineundo statum optatum; ratio est, quia ad hoc ex caritate speciali erga parentes tenetur.

7. Speciale peccatum grave contra *pietatem* (scl. praeter peccatum contra iustitiam) committitur 1° a parentibus vel filiis, si grave damnum sibi inferunt in bonis personalibus (vitae, integritatis membrorum, sanitatis, famae, honoris), non autem si in bonis fortunae hoc fit, quia illa, non haec bona ad relationem pertinent, qua parentes origo filii et filii originatum parentum sunt. Cfr. pag. 155, n. 34. 2° A fratribus et sororibus pietas erga invicem graviter laeditur solum tunc, si gravissimum damnum sibi inferunt in bonis personalibus. Cfr. pag. 389, n. 22.
8. *Veniam* a parentibus petere filii tenentur solum ob laesum honorem per irreverentiam, non propter alia peccata contra parentes commissa, quia veniae petitio est restitutio honoris a subdito laesi.
9. Frequentare *scholam acatholicam* quamcunque, in qua 1° proximum periculum perversionis in fide vel bonis moribus removeri nequit, semper est peccatum grave; 2° si adhibendo cautelas periculum fieri potest et fit remotum, sine causa gravi eam frequentare, peccatum leve est, nisi propter scandalum vel cooperationem ad scholas acatholicas promovendas graviter peccetur; nullum peccatum est, si ex sufficiente causa istud periculum remotum permittitur. Cfr. pag. 54, n. 5.
10. *Famuli*, i. e. operarii illi, qui in familiam assumuntur, tenentur ad reverentiam et ad oboedientiam praestandam dominis suis non solum in rebus contractus, sed etiam in iis, quae ad bonos mores spectant, quia eorum Superiores sunt. Ad haec non tenentur operarii illi, qui solum ad certum tempus domino operam suam locant, sed ad contractum tantum servandum.
11. *Domini* tenentur 1° famulos benigne tractare, 2° curam spiritualem eorum habere dirigendo et corripiendo eos, 3° iustam mercedem solvere.

12. *Herus* erga operarios suos diurnos et permanentes tenetur 1° ad removenda pericula tum corporis (vitae, integritatis membrorum, sanitatis) tum animae (scandala et seductiones); 2° eis tempus dare ad implenda officia religionis; 3° mercedem familialem saltem infimam solvere, si operarius est vir adultus et validus; 4° operarium non dimittere, si iustitia vel caritas id prohibent; 5° in necessitate eis succurrere prae aliis pauperibus ob peculiarem relationem ad eos.

13. *Operarius* quivis tenetur: 1° servare contractum et saltem infimum gradum diligentiae ordinariae in laborando adhibere; 2° abstinere a damno hero vel eius bonis positive inferendo; nec operarius autem nec famulus tenetur ex iustitia impedire damna domini, nisi specialiter ad hoc se obligaverint, cfr. pag. 389, n. 20; 3° abstinere a vi physica vel morali domino vel aliis operariis inferenda; 4° abstinere ab operistitiis illicitis.

14. *Operistitia* sunt peccata, 1° si iniusta sunt: i. e. quando a) ante tempus conductionis finitum fiunt, nisi condiciones contractus iniustae sint (vel etiam homine indignae), vel b) operarii condiciones iniustas i. e. exaggeratas postulant, vel c) alios operarios mediis iniustis i. e. vi physica vel morali a labore impediunt; 2° si aliunde illicita sunt: a) si finis cessationis non est honestus i. e. non unice hic: abrogandi condiciones iniustas seu indignas vel nimis graves vel obtinendi meliores, non vero excessivas; b) si ad haec obtinenda, alia media adessent praeter cessationem, quia gravia damna oriuntur ex ea tum operariis tum domino, et bonum commune periclitatur ac tranquillitas reipublicae turbatur.

15. In scholis elementaribus et inferioribus *magistri* erga pueros et pueri erga magistros iisdem obligationibus tenentur, quibus parentes et filii obstringuntur, quia hisce magistris parentes auctoritatem suam participant quoad instructionem et educatio-

nem spiritualem, adeo ut ad haec magistri tum ex iustitia seu ex contractu, tum ex pietate obligentur.

16. Finis *societatis civilis* est felicitas temporalis civium, sed talis, qualis hominem, non brutum, hominem dico, cuius finis ultimus non est felicitas temporalis huius vitae, sed supernaturalis, aeterna, alterius vitae, et pro qua prior merum medium est ad hanc adipiscendam, ideoque sic procuranda, ut nedum obsit, sed meliore, quo fieri potest modo, prosit fini hominis ultimo, scl. felicitati aeternae.

17. *Deputatus* suffragium suum dans pro lege prava vel iniusta, vera causa omnium malorum est, quae ex ea oriuntur et tenetur ex iustitia ad reparandum damnum alicui illatum vi illius legis, supposito, quod suffragium dederit cum culpa theologica et antequam numerus suffragiorum ad condendam legem necessarius completus fuerit, si suffragatio palam et successive facta est. Cfr. pag. 136, n. 23; 140, n. 37—38; 161, n. 51.

18. Omnis civis gaudens *iure eligendi* deputatos ad comitia sive regni sive provinciae sive municipii tenetur 1° hoc iure uti ex iustitia legali i. e. ad promovendum bonum commune (reipublicae et ecclesiae) et impediendum damnum commune, nisi grave incommodum eum excuset (quia lex affirmativa non obligat cum gravi incommodo) vel ipse ad electionem digni vel saltem minus indigni nihil conferre possit (quia ad inutile non existit obligatio). Tenetur 2° eligere dignum, i. e. instructum scientia et experientia necessaria et (ubi de bono ecclesiae quoque agitur) principiis catholicis. 3° Eligens indignum absque necessitate a) graviter peccat: α) contra bonum commune, β) approbatione principiorum malorum electi, vel malorum, quae deputatus in exercitio muneris praevidetur commissurus, γ) cooperatione ad haec mala, δ) scandalo; b) non peccat, si per electionem mali,

α) electio peioris candidati impediri vel β) electio bonorum deputatorum vel aliud magnum bonum commune obtineri potest, quia in hoc duplici casu bonum commune alia via iterum reintegratur; γ) si electio mali necessaria est ad vitandum damnum privatum gravissimum. Suffragium pro illo datum, saltem in hoc triplici casu urgenti non necessario haberi debet ut approbatio mali, sed in se est actio indifferens et sic applicatur principium de cooperatione materiali, modo praecaveatur scandalum apta monitione.

19. *Civis* tenetur 1° *principi* legitimo (praesidi etc.), a) reverentiam praestare, b) oboedientiam erga leges iustas et praeceptivas; c) ad fidelitatem, abstinendo a rebellione et tyrannicidio; 2° usurpatori, i. e. illi, qui locum principis legitimi eiecti tenet, a) oboedientiam praestare tenetur, ne respublica perturbetur vel pereat, b) ab omni actu abstinere debet, quo ille tamquam princeps legitimus agnosceretur vel eius potestas confirmaretur.

20. Per se 1° nulla est obligatio in conscientia solvendi *tributa* indirecta, quia ad minimum probabile est, leges ea imponentes esse mere poenales; ideoque non est obligatio declarandi res hisce tributis obnoxias; excipienda sunt vectigalia necessaria, quae ex iustitia legali obligant, quia eorum subtractione bonum commune laederetur. 2° Quoad tributa directa cives in conscientia ex iustitia legali solvere tenentur 3am vel 4am partem eorum, nisi paupertas excuset, quia a lege affirmativa excusat proportionate grave incommodum, vel si multa tributa indirecta pro consumtione vigeant et civis ad classem populi inferiorem pertineat, quia haec solvendo iam sufficienter contulit ad bonum commune. 3° Nunquam autem subtractio tributorum qualiumcunque ad restitutionem obligat, quia illa, quae solvenda sunt, solum ex iustitia legali, non commutativa praestanda sunt. Cfr. pag. 389, n. 21

V.

DE QUINTO PRÆCEPTO DECALOGI

seu

DE OCCISIONE, MUTILATIONE, VULNERATIONE, ABORTU, BELLO, ETC.

1. **Occisio:** est actio, qua homo vita privatur.

Divisio: distinguitur directa et indirecta, voluntaria et involuntaria, suiipsius seu suicidium vel alterius seu homicidium. Homicidium est vel occisio aggressoris iniusti vel malefactoris vel innocentis; est vel simplex vel qualificatum et hoc iterum dividitur in sacrilegum, parricidium, fratricidium, uxoricidium, regicidium, tyrannicidium, et latrocinium.

Directa: est actio obiective et subiective directe occisiva, i. e. 1° ex natura sua occisionem causans immediate et 2° posita ex unica intentione seipsum vel alium occidendi; haec intentio vel est implicita, si scienter actio ponitur, quae ex natura sua immediate unum tantum habet effectum, scl. occisionem; vel explicita, si actio ex natura sua immediate etiam alium effectum quidem habet vel saltem habere potest, ab agente tamen exercetur ex sola intentione, seipsum vel alium occidendi.

Indirecta: est actio, quae ex natura sua saltem non unice tendit in occisionem neque ponitur ab agente cum intentione occidendi, ex qua tamen praeter intentionem agentis mors sequitur, sive certo sive probabiliter praevisa.

Voluntaria: est occisio directa aut indirecta quidem, sed sine iusta causa.

Involuntaria: est occisio 1° mere fortuita i. e. ne praevisa quidem, aut 2° indirecta, sed ex iusta causa.

2. **Aggressor iniustus:** est ille, qui actione sua iniuste tibi vel alteri actu aufert vel actu auferre molitur vitam, vel virginitatem, vel integritatem membrorum, vel honorem vel bona fortunae.
3. **Malefactor:** qui fecit crimen poena mortis dignum. Reliqua patent.
4. **Moderamen inculpatae tutelae:** est licita defensio suiipsius vel alterius non ultra necessitatem contra iniustum aggressorem (sed non honoris).
5. **Vindicta:** est poena privata auctoritate de criminoso sumta post crimen patratum.
6. **Craniotomia:** est concisio capitis infantis, qui a matre ob arctitudinem uteri edi non potest.
7. **Sectio caesarea:** est aperitio uteri matris vel vivae vel recenter (ab aliquot horis) defunctae ad extrahendum foetum vivum.
8. **Abortus:** est eiectio foetus immaturi ex utero matris.

   Quotuplex est? R. duplex: directus et indirectus.

   Directus: seu artificialis si actio obiective et subiective abortiva est i. e., si actio tum ex natura immediate tendit in abortum causandum, tum etiam ex unica intentione abortum causandi ponitur; haec intentio adest vel implicite vel explicite, ut supra n. 1 dictum est de occisione directa.

   Indirectus: Si actio nec ex natura sua unice tendit in abortum efficiendum nec posita est cum intentione abortum efficiendi, sed ad alium finem, etsi abortus secuturus praevisus sit.
9. **Acceleratio partus:** est eiectio foetus maturi, i. e. post sextum vel septimum gestationis mensem.
10. **Vivisectio:** est experimentum in corpore vivo animalium.
11. **Operatio Porrensis:** est exstirpatio uteri cum ovariis, qua mulier impotens fit ad generandum.

12. **Vindicta popularis:** est punitio, quam de criminoso ab auctoritate publica non proscripto populus sumit.
13. **Castratio:** est amputatio membri genitalis virilis.
14. **Vasectomia:** est incisio in genitalibus viri facta, vi cuius semen eius non amplius est prolificum, i. e. non continens spermatozoidas.
15. **Mutilatio:** est amputatio cuiuslibet membri.
16. **Vulneratio:** est laesio corporis causans sanguinis effusionem absque mutilatione; est vel gravis vel levis, prouti copiosam sanguinis effusionem causat (sed non in naribus) vel non copiosam.
17. **Periculum vitae:** est actio, ex qua mors probabiliter sequi potest vel statim vel paulo postea.
    Divisio: est duplex: proximum et remotum, prout ex actione aut frequenter vel plerumque, aut solum raro vel saltem non frequenter mors sequitur nec statim nec paulo postea.
18. **Abbreviatio vitae:** est acceleratio mortis naturalis; est vel notabilis vel non notabilis, prout plures vel solum aliquot anni de vita subtrahuntur.
19. **Duellum:** est certamen duorum ex condicto de tempore, loco et armis, serio susceptum cum armis, quae ex natura apta sunt ad occidendum vel mutilandum vel grave vulnus infligendum.
    Divisio: Dividitur in sollemne et privatum, fatale et non fatale, publicum et privatum.
    Sollemne et privatum: prouti fit cum sollemnitate aliqua adhibita aut sine ea.
    Fatale et non fatale: prouti fit cum intentione occidendi vel sine ea.
    Publicum et privatum: prouti fit ex auctoritate reipublicae aut privata auctoritate duellantium.
20. **Bellum:** est pugna multitudinis cum multitudine extranea, publica auctoritate suscepta.

Divisio: Dividitur in defensivum et offensivum; offensivum in justum et iniustum.

Defensivum: si extranea societas eam iam actu iniuste aggreditur aut aggredi molitur.

Offensivum: si extranea societas eam actu nec aggreditur nec aggredi iam molitur.

Offensivum iustum et iniustum: prout fit ad illatam iniuriam bono communi nocivam vindicandam vel ex alia ratione.

21. **Milites:** distinguuntur conducti seu voluntarii et conscripti seu coacti; conscripti vel conscriptione particulari conscripti sunt: si ex idoneis aliqui assumuntur, vel universali: si omnes idonei militiam subire tenentur.

PRINCIPIA.

1. Nemo tenetur vitam vel sanitatem suam *conservare* mediis extraordinariis (cum expensis magnis, operatione gravi, alio gravi incommodo); cfr. pag. 36, n. 23.
2. Se vel alium hominem privata auctoritate *directe occidere* non licet, quia homo non habet dominium directum in corpus et vitam suiipsius vel alterius; excipitur omnis *iniustus aggressor* (sed non honoris), qui saltem ex lege naturae directe occidi potest, si eius occisio ad defensionem necessaria est. Ideoque etiam *exterpatio* foetus extrauterini, directa procuratio *abortus*, et *craniotomia* nunquam licent, quia sunt directa occisio hominis, qui non est iniustus aggressor. Cfr. pag. 389, n. 23.
3. Iniustum *aggressorem honoris* non licet occidere, mutilare vel vulnerare, quia ex hac defensione non sequitur immediate impeditio inhonorationis.
4. *Duellum* privata auctoritate susceptum nunquam licitum est, quia non adest in-

iustus aggressor, sed iniuria iam est illata; item neque ad honorem iam laesum recuperandum licet, quia punire auctoritatis publicae est.

5. Ex causa proportionate gravi licitum est se vel alium *indirecte occidere*; cfr. pag. 22, n. 10. Sed *procuratio abortus* indirecta solum ad vitam matris servandam licita est, quia foetus non solum vita corporali certo privatur, sed, si baptizari non potest, etiam salute aeterna ideoque solum gravissima causa est causa proportionate gravis.
6. *Periculo vitae* se exponere sine sufficienti causa non licet; licet autem ex gravi causa se exponere periculo etiam proximo (tamen non cum praevisione mortis mox certo secuturae), et remoto ex causa rationabili; cfr. pag. 22, n. 10; 54, n. 5.
7. Ex gravi causa licet vitam propriam indirecte notabiliter (ad aliquot annos) *abbreviare*; cfr. pag. 22, n. 10.
8. *Se vel alium directe mutilare* (e. g. castratio vel extirpatio uteri, vasectomia) solum licet ad vitam mutilandi conservandam, quia homo non habet dominium directum in membra sua; sed ad conservationem totius partem eius auferre utique licet. Neque auctoritati publicae licet, quemquam mutilare, nisi forte ad puniendum, quia homo (cum bonis suis personalibus internis) non potest adhiberi ut merum medium ad aliud bonum licet publicum obtinendum.
9. *Acceleratio partus* licita est ad vitam matris servandam; cfr. pag. 22, n. 10.
10. Mater 1° viva non tenetur pati *sectionem caesaream* ad extrahendum infantem, quem parere non potest, ut baptizetur; nam dubia est, eius obligatio est, quia si infans condicionate in utero baptizatus est, dubia est infantis necessitas extrema spiritualis; si baptizari non potuit, dubia est spes infan-

tem vivum extrahendi et baptizandi. 2° In matre mortua autem (a paucis horis mortua) et iam a 4 mensibus gravida sectio caesarea a medico vel laico perito sub gravi fieri debet, si infans in utero non potuit condicionate baptizari, quia certo est in extrema necessitate spirituali (et post 6um gestationis mensem) etiam corporali.

11. *Vexare animalia*, i. e. cruciatus vel mortem eis inferre, quin haec necessaria sint ad finem aliquem honestum et utilem, est peccatum, utpote contra rationem, sed per se leve tantum, quia solum est excessus in re indifferenti et alias licita.

VI.

DE SEXTO (ET NONO) PRÆCEPTO DECALOGI

seu

DE CASTITATE ET PECCATIS CONTRA CASTITATEM.

1. **Castitas:** Quid est? R. est abstinentia ab omni appetitione et usu delectationis venereae illicitae et ab omni culpabili occupatione circa ea, quae delectationem veneream provocant.

2. **Divisio:** Dividitur in matrimonialem et extra-matrimonialem; extra-matrimonialis in perfectam, iuvenilem, vidualem, et virginalem.

Matrimonialis: quae abstinet solum ab appetitione et usu illius delectationis venereae, quae etiam coniugibus non est licita; est imperfecta.

Extra-matrimonialis: quae abstinet ab appetitione et usu omnis delectationis

venereae, quae extra matrimonium illicita est.

Perfecta: quae ex proposito abstinet ab appetitione et usu omnis delectationis venereae, etiam licitae in matrimonio, vel in perpetuum vel ad tempus.

Iuvenilis: quae abstinet ab appetitione et usu omnis delectationis venereae usque ad nuptias.

Vidualis: quae iam usa est delectatione venerea licita in matrimonio, sed nunc abstinet ab appetitione et usu omnis delectationis venereae vel pro tota reliqua vita vel usque ad novas nuptias.

Virginalis: est naturalis integritas carnis nunquam voluntarie laesa et quidem ex proposito firmo, in perpetuum abstinendi ab appetitione et usu omnis delectationis venereae etiam licitae in matrimonio, praesertim illius, per quam laeditur integritas carnis.

3. **Virginitas:** Quotuplex est? R. materialis, et formalis, completa et incompleta; virginitas completa alia est coram Deo et ecclesia, alia coram solo Deo, alia coram sola ecclesia.

Materialis: est naturalis integritas carnis; i. e. in femina: illaesum hymen, quo vagina occluditur, nunquam voluntarie perforatum; in viro: si semen virile nunquam voluntarie effudit.

Formalis: est firma voluntas abstinendi in perpetuum ab appetitione et usu omnis delectationis venereae etiam licitae in matrimonio, imprimis illius, qua integritas carnis amittitur.

Completa: est virginitas formalis coniuncta cum virginitate materiali.

Incompleta: est vel sola virginitas materialis vel sola virginitas formalis.

Virginitas coram Deo et ecclesia completa est virginitas formalis coniuncta cum integritate carnis nunquam laesa per actum venereum (graviter culpabilem).

Virginitas coram solo Deo: est virginitas formalis coniuncta cum integritate carnis nunquam voluntarie, attamen involuntarie laesa per copulam cum viro (violentam saltem secundum quid; cfr. pag. 17, n. 9).

Virginitas coram sola ecclesia: est virginitas formalis cum integritate carnis nunquam per copulam, attamen per alium actum venereum voluntarium (graviter culpabilem) laesa.

4. **Puritas:** est abstinentia ab appetitione et usu ipsius delectationis venereae illicitae

Pudicitia: est abstinentia ab iis, quae delectationem veneream illicitam provocant.

5. **Delectatio corporalis:** Dividitur in veneream, sensibilem et sensualem; sensibilis in sensibilem carnalem et pure sensibilem.

Venerea: est sensus voluptuosus in genitalibus existens et ortus ex commotione genitalium et humorum generationi inservientium.

Sensibilis: est sensus voluptuosus in aliquo alio organo sensibili existens, praesertim in oculo vel manu et ortus ex bona applicatione obiecti proportionati ad organum sensus.

Sensibilis-carnalis: est delectatio sensibilis coniuncta cum commotione cordis et sanguinis.

Pure sensibilis: est delectatio sensibilis sine commotione cordis et sanguinis seu mera amoena affectio in aliquo sensu existens.

Sensualis: est delectatio in appetitu sensitivo tantum existens et orta ex vehementi sed honesto affectu voluntatis, quo quis amat personam aliam, orta praesertim ex visu vel tactu personae ita amatae et coniuncta cum commotione cordis et sanguinis.

6. **Divisio delectationis venereae:** dividitur in completam et incompletam.

Completa: quae naturam plene satiat et in puberibus coniuncta est cum effusione seminis (vel humoris vaginalis in feminis), sive in copula sive extra copulam.

Incompleta: est commotio genitalium, quae naturam non satiat nec coniuncta est cum effusione seminis vel humoris feminei.

7. **Impuritas:** est appetitio vel usus delectationis venereae illicitae; haec sola est luxuria proprie dicta.

Impudicitia: est illicita occupatio circa ea, quae quidem in se nondum continent delectationem veneream, tamen delectationem veneream provocant; est interna vel externa, prouti circa actus internos phantasiae, intellectus et voluntatis vel externos delectationem veneream provocantes versatur; haec est luxuria improprie dicta.

8. **Divisio luxuriae proprie dictae:** Dividitur in consummatam et non-consummatam, directe et indirecte voluntariam.

Consummata: in qua semen effunditur; est vel iuxta naturam vel contra naturam, prouti generatio fieri potest vel non.

Non-consummata: in qua semen non effunditur; in impuberibus est vel completa vel non completa, prouti genitalia usque ad ultimum terminum commoventur vel non.

Directe voluntaria: est delectatio venerea in se volita i. e. vel de industria excitata vel si in eam, etsi inculpabiliter orta sit, consentitur. Haec semper grave peccatum est.

Indirecte seu **in causa voluntaria:** est delectatio venerea non in se volita sed solum praevisa ut probabiliter oriunda ex actione aliqua libere posita, quae eam provocat. Haec est vel inculpabilis vel culpabilis, prout actio, ex qua oritur ex iusta causa ponitur aut sine iusta causa. Culpabilis est vel graviter vel leviter culpabilis, prouti actio ex natura sua

graviter vel leviter influit in delectationem veneream excitandam, dummodo semper desit proximum periculum consensus in delectationem veneream.

9. **Peccata luxuriae consummatae iuxta naturam:** sunt 6: fornicatio, adulterium, incestus, stuprum, sacrilegium, raptus.

Fornicatio: est copula carnalis ex mutuo consensu inter virum et feminam, qui matrimonium validum inire possent cum invicem.

Copula: est immissio membri genitalis virilis in vaginam seu vas mulieris.

Quotuplex est copula? R. est duplex: perfecta, si vir semen in vaginam effundit; imperfecta, si ibi non seminat.

Divisio fornicationis: dividitur in simplicem et qualificatam, prouti solum peccatum contra castitatem continet, vel etiam aliam virtutem specie diversam laedit.

Adulterium: sunt 1° actus luxuriae perfecti vel imperfecti coniugis cum persona extranea sive soluta sive coniugata (cfr. infra n. 16) et 2° peccata coniugum contra naturam sive solitaria sive cum comparte (cfr. infra n. 10).

Divisio: Dividitur adulterium in perfectum et imperfectum, prouti copula eaque perfecta locum habuit aut solum actus imperfecti acciderunt vel perfecti quidem sed absque copula perfecta; in duplex et simplex, prouti persona complex etiam coniugata est vel non.

Incestus: sunt actus perfecti et imperfecti luxuriae 1° cum consanguineis et affinibus usque ad 4^{um} gradum, item 2° cum persona spiritualiter vel 3° cum legaliter cognata.

Stuprum: est oppressio mulieris sine eius consensu per vim ei illatam sive physicam sive moralem. Cfr. pag. 17, n. 9.

Sacrilegium: est violatio personae, loci vel rei sacrae per luxuriam.

Quotuplex est? R. triplex: personale, locale et reale.

Personale: si persona voto castitatis ligata contra castitatem per actum internum vel externum peccat.

Locale: si quis in loco stricte sacro luxuriam consummatam committit. Cfr. pag. 80 et 387, n. 9.

Reale: si quis re aliqua sacra abutitur ad luxuriam.

Raptus: est violenta abductio maris vel mulieris de uno loco in alium locum libidinis explendae causa.

10. **Peccata luxuriae contra naturam:** sunt 4: pollutio, onanismus, sodomia, et bestialitas.

Pollutio seu **mollities:** est delectatio venerea completa cum seminis effusione (vel humoris vaginalis in feminis) sine ullo concubitu.

Divisio: Dividitur in involuntariam seu passivam et voluntariam; voluntaria in directe et indirecte voluntariam, in simplicem et qualificatam.

Involuntaria: est illa, quae nec in se nec in causa volita est.

Directe voluntaria: quae in se volita est. Cfr. supra n. 8.

Indirecte voluntaria seu **in causa:** quae 1° praeter intentionem sequitur 2° ex actione eam provocante, voluntarie posita cum eius praevisione probabili. Haec est vel inculpabilis vel culpabilis, prouti actio venerem provocans ponitur ex iusta causa vel sine iusta causa; culpabilis est vel grave vel leve peccatum, prouti actio venerem provocans ex natura sua graviter vel leviter in eam excitandam influit.

Simplex: quae solum peccatum contra castitatem continet.

Qualificata: quae etiam aliam virtutem specie diversam laedit vel 1° propter specialem circumstantiam peccantis vel 2° obiecti desiderati vel 3° si quis aliam personam tangendo se excitat (inductio vel cooperatio) vel 4° propter locum stricte sacrum, in quo quis peccat.

Sodomia: est applicatio membri genitalis ad corpus personae eiusdem sexus aut ad vas praeposterum mulieris.

Divisio: Sodomia est duplex: perfecta seu proprie dicta et imperfecta seu improprie dicta; utraque est vel consummata vel non consummata; proprie dicta dividitur in stricte et late dictam.

Perfecta: est applicatio genitalium ad corpus personae eiusdem sexus.

Imperfecta: est applicatio membri genitalis virilis ad vas praeposterum feminae.

Consummata vel non-consummata: prouti seminis effusio locum habet vel non.

Sodomia stricte dicta: est concubitus inter mares cum penetratione vasis praeposteri et seminatione inibi facta; omnis alia non est sodomia stricte dicta.

Bestialitas: est applicatio membri genitalis ad ipsum corpus bestiae, in quacumque parte fiat.

11. **Distillatio:** est modica effusio humoris subtilis, non prolifici cum levi tantum vel fere nulla commotione genitalium.
12. **Menstruatio:** est fluxus sanguinis in femina pubere ex vagina fluens et singulis mensibus rediens sine ulla delectatione venerea.
13. **Instructio sexualis:** est instructio iuventutis de venereis post pubertatem, necessitate exigente et pro ea.
14. **Hypersexualitas:** est appetitus delectationis venereae extraordinarie vehemens seu abnormis.
15. **Perversio sexualis:** est excitatio delectationis venereae per actus ex natura sua non aptos ad eam excitandam, sed per media abnormia.
16. **Actus luxuriae:** Quid sunt et quomodo dividuntur? R. sunt omnes actus, qui vel puritatem vel pudicitiam laedunt. Dividuntur in actus consummatos et non-consummatos; non-consummati in satiativos et non satiativos; non satiativi in perfectos

et imperfectos; imperfecti in internos et externos.

Perfecti: sunt illi, in quibus sentitur ipsa delectatio venerea, quamvis nec consummata nec completa seu satiativa; sunt commotiones et erectiones genitalium (motus carnales). Sunt vel vehementes et diuturni vel leves et transitorii, involuntarii vel voluntarii; voluntarii dividuntur in directe et indirecte voluntarios; indirecte voluntarii in inculpabiles et culpabiles; culpabiles in graviter et leviter culpabiles.

Imperfecti: sunt varii actus, in quibus non iam ipsa delectatio venerea habetur, qui tamen apti sunt, ut delectationem veneream vel etiam ipsam pollutionem provocent.

Interni: sunt phantasmata et cogitationes.

Externi: aspectus, tactus, oscula, amplexus, verba, lectiones, cantilenae.

Divisio: Actus imperfecti, sive interni sive externi dividuntur 1° in tales, qui per se i. e. ex natura sua adeoque ordinarie in omnibus hominibus influunt ad excitandam delectationem veneream et in tales, qui per accidens i. e. solum ex peculiari dispositione subiecti sive physica sive psychica excitant delectationem veneream; 2° utrique dividuntur in illos, qui vel vehementer influunt in delectationem veneream excitandam et in illos, qui leviter tantum influunt ad eam excitandam. Reliquas divisiones vide supra n. 6, 8, 10.

17. **Periculum castitatis:** Dividitur in periculum delectationis venereae oriundae et in periculum consensus voluntatis in delectationem veneream oriundam.

Periculum delectationis venereae: est omnis actus externus vel internus, qui per se vel per accidens influit in delectationem veneream excitandam.

Periculum consensus voluntatis: in delectationem veneream: est plerumque (exceptis personis piis et timoratis) omnis delectatio venerea, quae percipitur.
Utrumque periculum est vel proximum vel remotum, prout excitatio delectationis venereae aut consensus in eam valde probabilis est vel non ita.

18. **Onanismus** seu Neo-Malthusianismus: est copula viri et feminae de industria ita facta, ut conceptio impediatur.
19. **Sterilitas facultativa:** est copula viri et feminae rite facta, sed eo tempore, quo conceptio rarius accidere dicitur (14 dies post menstruationem nec proxime ante eam).
20. **Fecundatio artificialis:** est duplex: 1° immissio seminis virilis a marito extra vas uxoris illicite effusi (per pollutionem sive post sive citra copulam cum uxore), in vas mulieris; 2° promotio seminis virilis a marito intra vas uxoris rite effusi in interiora vaginae et uteri.
21. **Peccata gravia coniugum:** 1° adulterium, 2° penetrare vas praeposterum mulieris, et ibi seminare vel semen extra illud profundere, 3° onanismus, 4° sine iusta causa se vel compartem exponere proximo periculo pollutionis, 5° debitum coniugale sine gravi causa denegare coniugi serio nec immoderate et actum licitum petenti, 6° procuratio abortus.

PRINCIPIA.

1. Malitia tota essentialis peccatorum *luxuriae* consistit in *delectatione venerea* contra ordinem naturae, i. e. contra finem eius naturalem vel volita vel exercita; omnia alia praeter ipsam sunt in se omnino indifferentia et solum eatenus illicita sunt, quatenus hominem in periculum coniiciunt, ut in eo excitetur delectatio venerea contra

ordinem naturae vel etiam consentiat in eam.

2. Aliquid facere ob delectationem mere *sensibilem* vel ex affectu *sensuali* erga alium, non est peccatum, si ex rationabili fine et cum debita moderatione fit; secus est peccatum veniale otiositatis, modo desistatur a delectatione sensuali, si iam oritur delectatio venerea seu gravis commotio carnalis neque iusta causa adsit ad actionem nihilominus continuandam.

3. Delectatio venerea 1° *directe voluntaria* (extra matrimonium) non admittit parvitatem materiae, i. e. etiam exigua et brevis semper (obiective) est grave peccatum utpote gravis deordinatio contra naturam, quum omnis delectatio venerea libere quaesita vel admissa, etiam exigua, hominem ob proclivitatem naturae ad venerem saltem ordinarie periculo proximo delectationis venereae completae exponit (et pollutionis, si iam semen habet), quae certe peccatum grave est, quia eius finis a natura institutus solum conservatio et propagatio generis humani est per actum coniugalem. Tamen ex imperfectione actus etiam delectatio directe voluntaria peccatum veniale esse potest. Cfr. pag. 50 et 55 n. 7 et infra n. 7. 2° Delectatio venerea indirecte i. e. in causa voluntaria admittit parvitatem materiae, quia eius malitia consistit in periculo delectationis venereae oriundae, cui quis libere et sine sufficienti ratione se exponit; si periculum ex natura actionis grave est seu proximum, grave peccatum est; si leve seu remotum, veniale est. Cfr. pag. 54—55, n. 5—6. 3° Delectatio venerea non consummata, si satiativa fuit, non specie differt a non-satiativa, sed gradu tantum.

4. Delectatio venerea (motus carnales graves, pollutio) *indirecta tantum voluntaria* i. e. praevisa, sed non intenta nec approbata, quando oritur, sed mere permissa, absque iusta causa autem, tale peccatum est, quale

peccatum in genere luxuriae actio est, ex qua orta est; cfr. pag. 22, n. 11. Ergo: 1° si actio ex natura sua ideoque communiter in hominibus vehementer influit ad eam excitandam, seu ex se eius proximum periculum adducit, mortale est; si autem 2° ex natura sua non vehementer excitat, veniale est, saltem theoretice loquendo, etsi agens propter subiectivam dispositionem vehementer excitetur et frequenter pollutionem patiatur, sed practice loquendo saepe est grave peccatum ideo, quia si quis tale quid in his circumstantiis practicat sine ulla iusta causa, ipsam delectationem venereum et pollutionem in se intendere convincitur.

5. *Sine ulla iusta causa* habere cogitationes, lectiones vel sermones de obscoenis, item aspectus vel tactus (supra vestes) in partibus etiam inhonestis personae diversi sexus (non infantis) peccata venialia tantum sunt per se, si omnino obiter et breviter sine intentione libidinosa, ex ioco, levitate vel curiositate fiunt, quia ex natura sua non coniiciunt in proximum periculum delectationis venereae oriundae vel consensus in eam. Idem valet de tactu, aspectu, amplexu, osculo in parte honesta personae etiam diversi sexus, qui fiunt absque rationabili causa ob solam delectationem sensualem: non quidem ob periculum delectationis venereae, quod hic per se nullum est (sed vide pag. 119 n. 2), sed propter otiositatem, quae venialis est, utpote levis deordinatio contra rationem.

6. Si *iusta causa* habetur ad actionem ponendam, quae periculum delectationis venereae (motuum carnalium gravium, pollutionis) vel etiam consensus in eam adducit, nullum committitur peccatum, modo desit periculum proximum consentiendi in eam, quando actio ponitur neque in eam consentiatur, quando revera oritur; ratio est principium positum in pag. 54, n. 5; 22, n. 10. Ideoque 1° si actio ex natura sua proxi-

mum periculum delectationis venereae continet, necessitas et vera utilitas eam ponendi est sufficiens iusta causa; si haec non adest, tamen aliqua causa rationabilis habetur, leve peccatum est. 2° Omnis rationabilis causa vero sufficit, si actio ex natura sua non continet proximum periculum delectationis venereae excitandae, sed remotum, etsi per accidens ob subiectivam dispositionem subiecti proximum eius periculum adducat, suadendum autem est in hoc casu (exceptis scrupulosis et anxiis), eam solum ex necessitate vel vera utilitate ponere, propter periculum paulatim perveniendi ad ulteriora. 3° Actio aliqua qualiscunque, quae aliquem subiective ne leviter quidem excitat, nullum est peccatum contra castitatem, etsi obiective seu communiter in aliis hominibus vel leviter vel graviter influat in venerem, et quamvis absque ulla iusta causa ponatur.

7. *Proximum periculum consensus* voluntatis in delectationem veneream semper sub gravi vitandum est; cfr. pag. 54, n. 5, 3°; ideoque semper sub gravi abstinendum est ab actione etiam prorsus innocenti, quae aliquem subiective non solum in proximum periculum delectationis venereae (vel pollutionis), sed insuper etiam in proximum periculum coniiceret consentiendi in eam, quando deinde revera oritur. Tamen ordinarie illud periculum reddi potest remotum, si actio ex causa sufficienti ponitur et cautelae ad praecavendum consensum diligenter adhibentur, quia Deus tunc gratiam suam dat.

8. Delectatio venerea *consummata* 1° maris i. e. pollutio maris specie differt a delectatione venerea non consummata (i. e. non coniuncta cum effusione seminis) etiam completa, propter frustrationem seminis, quae specialem deordinationem contra naturam continet. 2° Pollutio feminae (i. e. delectatio venerea cum secretione humoris

vaginalis) specialem malitiam saltem gravem non superaddit ad delectationem veneream, quia ille humor non est tanti momenti, quanti semen virile est. Cfr. pag. 391, n. 29.

9. Diversi *modi* et varia media, quibus quis ad delectationem veneream (vel etiam ad pollutionem) se excitat, non differunt specie, si solum propriam delectationem sibi procurare intendebat. Cfr. autem pag. 115, n. 10.

10. Sicut pollutio directe volita grave peccatum est, quia, si non sub gravi prohibita esset, propagatio et conservatio generis humani per generationem prolium impossibilis fieret, ita *fornicatio* 1° est grave peccatum, quia, si non sub gravi prohibita esset, educatio prolis debita impossibilis fieret, quum vaga fornicatio universaliter praevaleret. 2° Fornicatio cum copula imperfecta et profusione seminis specie differt a fornicatione cum copula perfecta seu novum peccatum mortale ad illam addit propter frustrationem seminis virilis.

11. *Adulterium* est grave peccatum contra castitatem et iustitiam propter laesionem obligationis in contractu matrimoniali susceptae. Cfr. pag. 390, n. 26.

12. *Incestus* est grave peccatum contra castitatem et pietatem. Incestus omnes cum consanguineis eiusdem speciei sunt (saltem probabiliter), nec incestus cum consanguineo specie differt ab incestu cum affine, quia eadem reverentia i. e. sanguini debita laeditur. Incestus cum spiritualiter vel legaliter cognato tum inter se specie differunt, tum ab incestu cum consanguineo vel affine, quia propinquitatem specie diversam laedunt. Cfr. pag. 390, n. 27.

13. *Stuprum* 1° est grave peccatum contra castitatem et iustitiam propter laesionem iuris stricti, quod omnis homo in vas suum habet (scl. dominii utilis), nec 2° mulier semen receptum retinere debet, sed statim expellere potest. 3° Casus reservatus stupri

est violenta defloratio virginis tantum, nisi episcopus aliud declaraverit.

14. *Raptus* 1° est peccatum contra castitatem (saltem propter voluntatem peccandi cum rapta) et contra iustitiam propter vim illatam vel personae abductae vel, si haec minorennis est, iis, in quorum potestate est. 2° Casus reservatus raptus est violenta abductio feminae ex intentione cum ea peccandi, licet non per copulam.

15. Luxuria *sacrilega* est peccatum contra castitatem et religionem propter laesionem reverentiae Deo debitae per indignam tractationem personae vel rei sacrae vel loci s. Laesio sollemnis voti castitatis non specie differt a laesione voti simplicis in religione emissi et huius vel illius laesio probabiliter non specie differt a laesione voti in saeculo emissi, nec specie differt laesio sollemnis voti in religione emissi a laesione obligationis castitatis ex motivo virtutis religionis ab ecclesia subdiacono impositae; insuper laesio huius duplicis voti per sacerdotem regularem etiam numero unum idemque peccatum est, quia est laesio obligationis ad eandem rem ex eodem motivo religionis bis impositae. Cfr. pag. 387, n. 8, 400, n. 81.

16. Specie differt 1° *Sodomia* cum pollutione a pollutione simplici, quia speciali modo naturae repugnat et quia accedit peccatum contra caritatem cooperando ad peccatum proximi; item 2° sodomia consummata a sodomia non-consummata propter frustrationem seminis; et 3° sodomia perfecta a sodomia imperfecta, quia modo moraliter diverso naturae repugnant. 4° Casus reservatus sodomiae est sodomia stricte dicta.

17. *Bestialitas* 1° non committitur, si quis tangendo genitalia bestiae vel eo, quod a bestia se tangi sinit in genitalibus, in se delectationem (vel ipsam pollutionem) excitat, quia coniunctio corporum ipsorum non adest, et si solum propriam delectationem voluit, ne bestialitas in affectu quidem

adesset; 2° si vero affectus etiam specialiter in bestiam fertur, habetur bestialitas solum in affectu, non in effectu. 3° Casus reservatus bestialitatis est penetratio vasis naturalis bestiae feminei cum seminis effusione in eo facta, nisi episcopus aliud declaraverit.

18. *Distillatio*, quae sine delectatione venerea fit, non est contra castitatem; si autem cum delectatione venerea coniuncta est, diiudicanda est sicut delectatio venerea.

19. Qui sanae mentis est, affectus sexuales illicitos etiam vehementes vel perversos reprimere potest ac debet; iis autem, qui *animi morbo* laborant, excessus sexuales vel nullo modo vel solum in peccata levia imputari possunt, prouti aegritudo animi plena vel non plena est, quia in ipso actu vel nullo modo vel saltem non plene advertunt, se male agere.

20. ***De usu matrimonii.***

1° Peccata coniugum contra castitatem solum illa sunt gravia, quae contra finem matrimonii sunt.

2° *Copulae* a) *sodomiticae* et b) illi *onanisticae*, quae fit per usum mediorum, quibus semen virile vel enecatur vel eius descensus in uterum mulieris impeditur, uxor semper positive resistere debet, quia est actus ab initio intrinsece malus, ideoque solum pati eam potest, si eam impedire non potuit, et excluso consensu in voluptatem copulae. c) Copulam onanisticam, quae eo fit, quod vir copulam rite peragere incipit, sed ante suam seminationem se retrahit et semen extra vas uxoris effundit: α) uxor licite praestare potest et petenti etiam debet, adhibito etiam consensu in voluptatem copulae, sed exclusa approbatione peccati viri, quia actus est ab initio et in se licitus; uxor debet autem β) habere iustam causam excusantem ad hanc copulam permittendam (quae fere semper adest), quia ad peccatum viri cooperatur, et insuper γ) virum monere debet de copula rite facienda, si fructum

monitionis sperare et monitionem sine gravi incommodo facere potest, quia ex caritate peccatum viri impedire debet, si commode potest (cfr. pag. 73, n. 18); δ) a viro, qui hoc modo onanismum exercet, copulam etiam licite petere potest, quia id ab eo petit, quod licite praestare potest, si vult; cfr. pag. 74, n. 24.

3° Ad vitanda gravia incommoda uxor passive se habere potest ad recipiendum semen viri sui modo *artificiali* illicito, i. e. vel onanistice vel per solitariam pollutionem ab eo effusum. Tamen per hanc fecundationem artificialem matrimonium non consummatur, quia non est copula perfecta; cfr. pag. 391, n. 33.

4° Peccatum grave est, si quid faciunt cum intentione generationem prolis *impediendi*, quia est contra finem actus coniugalis; solum desiderare, ne generatio sequatur, non est peccatum, si id ex iusta causa optatur.

5° *Licita in copula coniugali:* a) non peccat vir, si cum consensu uxoris et ex iusta causa ante seminationem se *retrahit*, si hoc facere posset, quin eo se exponat proximo periculo pollutionis, quia sic est actus luxuriae mutuus; cfr. 6°; b) non peccant coniuges, si ex iusta causa aliquid faciunt ad conceptionem solum *difficiliorem* reddendam (solum partem vaginae uxoris penetrare, certum situm observare, uti matrimonio solum post quattuordecim dies inde a menstruatione uxoris elapsos); c) uxor licite se ad seminationem nondum a se factam excitat et seminat etiam post copulam rite peractam seu postquam vir se retraxit, quia eius seminatio est *complementum* idque utile actus coniugalis; eadem seminatio ei licet etiam ante seminationem viri; si autem seminaret, quando vir copulam quidem habet, sed non seminat, venialiter peccaret; cfr. pag. 391, n. 32. d) copulam licite habere possunt, etsi vir propter indispositionem aliquam plerumque semen extra vas uxoris *effundit*, modo spes pro-

babilis adsit, ut saltem aliquid de semine in vas eius perveniat; quia effusio per accidens fit; secus a copula abstinere debent; cfr. pag. 391, n. 31. e) copula licita est, etsi uxor post copulam rite factam semen viri ob indispositionem aliquam *retinere* non potest vel semper *abortum* patitur vel prolem mortuam editura est, vel iuxta sententiam medici partus uxori *mortem* allatura est (praedictio saepe falsa!), quia haec per accidens vel non certo eveniunt; f) etiam *senes et steriles* coniuges licite copulam habent, quia alterum finem essentialem matrimonii obtinent, scl. sedationem concupiscentiae; g) ante copulam coniugalem, et in ea coniugibus omnes actus luxuriae perfecti et imperfecti sive solitarii sive mutui exerciti *ad se excitandum* ad copulam, omnino liciti sunt, quia praeparatio vel executio actus liciti sunt; h) copula propter *solam voluptatem* exercita non est peccatum, si coniuges in ea praescripta rationis non excedunt; cfr. pag. 23, n. 18, 24, n. 21.

6° *Extra copulam*: a) *mutui* actus luxuriae externi, etiam perfecti, i. e. coniuncti cum delectatione venerea coniugibus liciti sunt, quamvis fiant ex intentione captandi delectationem veneream et sine intentione copulam coniugalem habendi, dummodo non excedant mensuram et modum a ratione praescriptum et exclusum sit proximum periculum pollutionis, quia sicut individuo humano voluptas ex cibo et potu, ita coniugibus, quibus incumbit officium conservandae speciei humanae, delectatio venerea mutuo habita licita est; cfr. pag. 392, n. 38. Imo etiam cum proximo periculo pollutionis illi actus liciti sunt, si exercentur ex iusta causa (quae fere semper adest: e. g. sedatio concupiscentiae, compensatio quaedam pro abstinentia ab actu coniugali ob numerosam prolem, manifestatio amoris etc.), modo desit proximum periculum consensus nec in eam consentiatur, quando eve-

nit; cfr. supra n. 7; possunt tamen relinqui in bona fide, si consensum licitum esse putant. b) Actus *solitarii* luxuriae externi, perfecti et imperfecti coniugum, exerciti ex intentione captandi delectationem venereamm, peccata venialia tantum sunt, si sine proximo periculo pollutionis fiunt; cum hoc periculo facti, mortalia sunt. Cfr. pag. 392, n. 39. c) Actus luxuriae *interni*: cogitationes, desideria, gaudia, delectationes morosae coniugum de venereis: α) non sunt peccata, etsi delectatio venerea excitetur et intendatur, si sunt de licitis in matrimonio sive factis sive faciendis, et ex rationabili fine foventur, modo desit periculum proximum pollutionis; β) si autem sunt de venereis illicitis sive cum comparte sive cum persona extranea factis vel faciendis, peccata sunt eaque gravia, si de graviter illicitis, venialia, si de leviter illicitis sunt.

7° Copula, quae alterutri coniugum certo *grave damnum* affert, a) solum ex causa proportionate gravi licita est (e. g. diuturna abstinentia a copula vel periculum incontinentiae), dummodo non inducat periculum certum et proximum mortis intra breve tempus subeundae. Cfr. pag. 392, n. 35. b) Nulla tamen obligatio adest petenti reddere debitum coniugale, si redditio fieri non potest absque gravi incommodo probabili, quia lex affirmativa non obligat cum tali incommodo.

8° Coniuges ex mutuo consensu licite *abstinere* possunt ab usu matrimonii vel etiam *votum abstinentiae* facere, si abstinentia absque periculo incontinentiae fieri potest (raro ita!). Votum a) non reddendi debitum coniugale petenti, qui ius petendi non amisit per adulterium (cfr. infra 10°) et votum viri non petendi debitum coniugale, si inscia comparte emissa sunt, invalida sunt, utpote de re illicita. b) Votum uxoris non petendi debitum coniugale validum quidem est, attamen eam non obligat in casu magni periculi incon-

tinentiae viri et etiam irritari potest a viro, si sine eius consensu emissum est, et dispensare in eo potest confessarius regularis. c) Si una pars votum abstinentiae fecit cum consensu alterius, utraque pars illicite petit, sed pars, quae votum fecit, illicite petenti reddere potest et debet, quia altera pars per consensum suum in votum ius petendi non amisit, et obligatio iustitiae gravior est quam obligatio religionis ex voto orta; imo votum etiam irritari potest a comparte. d) Si ambo coniuges mutuo consensu votum abstinentiae fecerunt, idem valet: scl. α) neuter licite petere potest, uterque autem illicite petenti reddere tenetur, quia per votum non amittitur ipsum ius petendi, sed solum obligatio suscipitur non utendi hoc iure; β) possunt autem sibi invicem votum irritare, nisi in emittendo voto expresse etiam iuri irritandi renuntiaverint, et sic etiam licite petere possunt; cfr. pag. 393, n. 43. γ) mortua comparte autem pars superstes voto tenetur, nisi dispensetur.

9° Si a) de validitate matrimonii iam contracti una pars coniugum positive *dubitat*, altera vero non dubitat, illa non potest petere, tenetur autem reddere debitum coniugale petenti, utrumque iuxta idem principium: in dubio melior est condicio possidentis. b) Ex eodem hoc principio neutra pars petere et reddere potest, si utraque pars dubitat; et c) petere possunt ac reddere debent, si post diligentem inquisitionem dubium insolubile manet. Cfr. etiam pag. 152, n. 13.

10° Coniux, qui copulam perfectam habuit cum persona, quae comparti *consanguinea* est, non potest petere debitum coniugale, quia vi legis ecclesiae ipso facto amisit ius petendi, nisi ignoraverit hanc poenam vel in magno periculo incontinentiae esset vel dispensetur (e. g. a confessario regulari); tenetur autem semper comparti petenti reddere debitum, quia haec non amisit ius petendi; cfr. pag. 393, n. 41.

VII.

DE SEPTIMO PRÆCEPTO DECALOGI

seu

DE IUSTITIA ET IURE ET DE CONTRACTIBUS.

I°.

DE DOMINIO EIUSQUE LAESIONE ET REPARATIONE DOMINII LAESI.

1. **Ius civile privatum:** sunt leges civiles circa iura civium in bona sua.
   Divisio: Leges civiles circa bona fortunae dividuntur in leges, quae determinant ipsa iura in bona fortunae, et in leges, quae formalitates praescribunt pro contractibus circa ea.
2. **Formalitates** seu **sollemnitates pro contractibus praescriptae:** sunt duplicis generis: substantiales, seu quae ad valorem contractus requiruntur, et accidentales, quae non ad valorem contractus requiruntur.
3. **Lex civilis contractum prohibens:** est quadruplex: mere actionem denegans, contractum mere prohibens, contractum rescindibilem faciens, contractum irritans.
   Actionem mere denegans: est illa, quae contractum nec prohibet, nec irritat, sed solum facit, ut contractum violans non possit accusari apud iudicem.
   Mere prohibens: quae contractum non irritum, sed solum illicitum facit. Est duplicis generis: vel est mere poenalis, vel mixta seu etiam ad omittendum contractum in conscientia obligans.
   Rescindibilem faciens: quae contractum irritum quidem facit, sed non iam ipso facto,

sed solum efficit, ut iudex eum solvere possit.

Irritans: quae contractum ipso facto nullum et irritum reddit. Est duplex: vel solum civiliter irritans: si in conscientia quidem contractus validus est, sed a iudice nullus et irritus habetur; vel etiam naturaliter seu in conscientia contractum invalidum reddit et quidem aut ita, ut contractus iam ante omnem iudicis sententiam declaratoriam aut solum post sententiam iudicis declaratoriam, haberi debeat ut invalidus in conscientia.

4. **Dominium** seu **ius strictum** (i. e. obligans vi iustitiae commutativae): est legitima facultas pro arbitrio disponendi de substantia alicuius rei vel de eius utilitate. Vide pag. 47, n. 3.

   Divisio dominii: dividitur in altum et humile, perfectum et imperfectum; imperfectum in directum et indirectum; indirectum in ius usus, ususfructus, servitutis.

   Altum: est potestas reipublicae, cives expropriandi bonis quibusdam suis, si bonum commune hoc exigit et data congrua compensatione.

   Humile: quod ipsi cives in bona sua habent.

   Perfectum: est ius pro arbitrio disponendi tum de substantia rei tum de tota utilitate eius.

   Imperfectum: est ius disponendi pro arbitrio aut de sola substantia rei, aut de utilitate eius tantum.

   Directum: est ius disponendi de substantia rei tantum.

   Indirectum seu **utile:** est ius pro arbitrio disponendi de utilitate rei tantum.

5. **Ius usus:** est ius utendi re aliena, salva eius substantia.

6. **Usus simplex:** est licentia data re aliena utendi, ad nutum dantis revocabilis.

7. **Ius ususfructus:** est ius utendi re aliena, et fructus percipiendi ex ea, salva eius substantia.
8. **Ius servitutis:** est ius alicui personae vel rei competens, ut aliqua res in eius utilitatem inservire debeat.
   Divisio: Servitus dividitur in activam et passivam; passiva in personalem et realem; in rusticam et urbanam, continuam et discontinuam.
   Activa: est ius, quod personae vel rei competit, ut res alia ei inserviat.
   Passiva: est obligatio, qua aliqua res alicui personae vel rei in eius utilitatem inservire debet.
   Personalis: est obligatio alicui rei inhaerens, ut alicui personae inservire debeat.
   Realis: est obligatio alicui rei inhaerens, ut alteri rei (et per rem etiam personae) inservire debeat.
   Rustica et urbana: prouti res, cui obligatio servitutis realis vel personalis inhaeret, est praedium rurale vel aliqua domus in urbe.
   Continua et discontinua: prouti res alicui personae vel rei semper aut solum in quibusdam casibus commodum praestare debet.
9. **Res propria:** est res, cuius dominium perfectum vel saltem directum aliquis habet, idque reale.
   Res aliena: cuius dominium saltem directum idque reale ad alium pertinet.
   Dominus: dominus alicuius rei ille est, qui eius dominium perfectum vel saltem directum, idque reale habet. Vide pag 47, n. 3.
10. **Fructus rei:** est id, quod ex re oritur. Dividuntur fructus in spontaneos, mere industriales et mixtos; in pendentes, percipiendos et perceptos; percepti in extantes in se et consumtos; consumti in extantes in aequivalenti, et in illos, qui neque in aequivalenti extant.

Spontanei: qui oriuntur ex re absque speciali industria hominis. Dividuntur in naturales, qui a natura ipsa producuntur, et in civiles, qui vi alicuius contractus facile ex re percipiuntur.

Mere industriales: quos res fert solum ex speciali industria hominis, etsi non extraordinaria.

Mixti: qui partim a re ipsa viribus naturalibus, partim per industriam hominis specialem oriuntur.

Pendentes: qui a re nondum separati sunt.

Percipiendi: quos possessor rei percipere potuisset ex re, sed non percepit.

Percepti: qui iam separati sunt a re.

Extantes in se: qui adhuc in se adsunt.

Consumti: qui non amplius in se existunt.

In aequivalenti extantes: est id, quo possessor fructus consumendo, ditior est factus, i. e. in quantum sumtibus ex aliis bonis suis pepercit.

Neque in aequivalenti extantes: si neque in se amplius extant, neque possessor ex eorum consumtione ditior factus est.

11. **Divisio bonorum fortunae:** dividuntur in res in commercio et extra commercium positas, mobiles et immobiles, fungibiles et infungibiles, primo usu consumtibiles, et primo usu non consumtibiles, corporeas et incorporeas.

In commercio positae: quae in dominio personae physicae esse possunt.

Extra commercium positae: quae non in dominio personae physicae, sed solum in dominio personae moralis seu alicuius societatis esse possunt. Sunt aut absolute extra commercium: quae solum in dominio totius generis humani vel totius societatis civilis seu status esse possunt; aut relative: si solum in dominio alicuius societatis minoris esse possunt.

Mobiles et immobiles: prouti salva sua substantia de loco in locum moveri possunt, vel non possunt.

Fungibilis: est res, cuius locum tenere potest alia res, i. e. res, in qua non individuum, sed solum valor eius attenditur.
Infungibilis: cuius locum alia res tenere non potest, i. e. res, in qua individuum attenditur, non valor tantum.
Primo usu consumtibilis: cuius substantia perit, si in usum ipsi naturalem adhibetur.
Primo usu non consumtibilis: cuius substantia non perit, si adhibetur in usum ipsi naturalem.
Corporeae: sunt omnia bona sublunaria, quae tangi possunt.
Incorporeae: sunt omnia iura.

12. **Collegium:** est pluralitas personarum physicarum, a republica vel ecclesia iure donata, bona temporalia in communi acquirendi, possidendi et administrandi.
Persona: Quid est persona in iure? R. persona iuridica est ens (scl. persona aliqua physica vel aliqua pluralitas rerum aut personarum) a republica vel ecclesia iure donatum bona temporalia acquirendi, possidendi et administrandi.

13. **Possessio:** est 1° detentio rei corporalis, quae 2° ex iure positivo capax est, ut possideatur, 3° cum intentione eam sibi habendi.
Divisio: Dividitur in possessionem iuris et facti: possessio facti in possessionem bonae, dubiae et malae fidei; in civilem et naturalem.
Possessio iuris: est illa, ad quam possidens legitimum habet titulum.
Possessio facti: ad quam non habet legitimum titulum.
Bonae fidei: est possessio facti cum ignorantia, physice vel moraliter invincibili, rem esse alienam.
Dubiae fidei: est possessio facti cum positivo dubio, annon res sit aliena; dubia fides vel est superveniens vel antecedens, prout aliquis rem incepit possidere cum bona vel cum dubia fide.

Malae fidei: est possessio facti cum certa scientia, rem esse alienam.

Naturalis: si quis corporaliter rem detinet, et animum habet, eam sibi habendi.

Civilis: si quis corporalem possessionem rei prius habuit, sed nunc amisit, tamen animum retinet, rem sibi habendi.

14. **Bona filiorumfamilias non libera et libera:** bona non libera sunt, quae filius ex bonis patris vel in negotio patris simul cum eo laborando acquirit; libera sunt ea, quae aliunde acquirit.
15. **Bona uxoris:** dividuntur in dotalia, praeterdotalia et communia.

Dotalia: quae uxor marito tradit ad onera matrimonii sustinenda.

Praeterdotalia: quae uxor ex bonis ante matrimonium possessis sibi retinet aut post matrimonium sibi acquirit vel proprio labore vel donationibus vel haereditate.

Communia: quae uxor et maritus acquirunt in cura rei domesticae, aut expresse in commune dominium conferunt sive ex lege sive ex pacto libero.

16. **Bona clericorum:** dividuntur in patrimonialia, quasi-patrimonialia et beneficalia.

Patrimonialia: quae clericus acquirit titulis, qui clericis cum hominibus laicis communes sunt.

Quasi-patrimonialia: quae clericus pro functionibus sacris vel officiis spiritualibus acquirit titulo sustentationis sive a fidelibus sive ex bonis ecclesiasticis, quae non desumta sunt ex beneficiis ecclesiasticis.

Beneficialia: sunt redditus, quos clericus ex beneficio ecclesiastico acquirit.

Divisio: Redditus, quos clericus percipit ex beneficio ecclesiastico, dividuntur in bona necessaria: quibus indiget ad honestam et moderatam sustentationem suam pro qualitate personae; in parsimonialia: quae seponit parcius vivendo, i. e. minus expendendo, quam posset pro honesta et moderata sustentatione; et in superflua:

quibus non indiget ad honestam et moderatam sustentationem suam, dignitati suae respondentem.

Modi acquirendi dominium: sunt 6: occupatio, inventio, accessio, labor, praescriptio, contractus.

17. **Occupatio:** est 1° apprehensio corporalis 2° rei nullius 3° cum animo eam sibi appropriandi.

Res nullius, vacantes, derelictae, amissae: Res nullius est illa, quae non habet dominum; est vel vacans: quae numquam habuit dominum, vel derelicta: quae aliquando habuit dominum, sed nunc non amplius habet, quia dominus abiecit materialem possessionem rei et animum, eam sibi habendi. Res amissa: quae etiam nunc dominum habet, qui tamen eius materialem possessionem amisit; cfr. n. 13.

18. **Inventio:** est occupatio rei amissae, cuius dominus inveniri non potest seu non amplius habet spem probabilem, eam recuperandi.

19. **Thesaurus:** est res 1° nullius, 2° antiqua, 3° abscondita.

20. **Accessio:** est adiunctio rei ad rem.

Quotuplex est? R. triplex: naturalis, industrialis et mixta.

Naturalis: quae per naturam fit sive fructificatione sive nativitate sive alluvione.

Industrialis: quae fit per specialem industriam hominis, sive specificatione seu novam formam dando rei, sive mera adiunctione sive commixtione vel confusione sive inaedificatione.

Mixta: quae partim per naturam partim per specialem hominis industriam fit, sive seminatione sive plantatione.

21. **Labor:** est omnis industria humana, corporalis et spiritualis, apta ad acquirenda bona fortunae.

22. **Praescriptio:** est modus acquirendi dominium alicuius rei per simplicem possessionem eius in bona fide, continuatam

per tempus a lege definitum, cum titulo colorato vel existimato.

Divisio: dividitur in acquisitivam et liberativam; liberativa in activam et passivam; in praescriptionem longissimi, longi, brevis, brevissimi temporis; in civilem et ecclesiasticam.

Acquisitiva: qua novum ius acquiritur.

Liberativa activa: qua quis se ab aliqua obligatione liberat.

Liberativa passiva: qua quis rem suam a servitute liberat.

Longissimi temporis: quae tempus ultra 30 annos requirit.

Longi temporis: quae 10—30 annos requirit.

Brevis temporis: quae fit infra 10 annos.

Brevissimi temporis: quae solum 2 vel 3 annos requirit.

Titulus possessionis: est factum ex sese capax ad transferendum dominium.

Quotuplex est? R. duplex: verus et apparens. Apparens vel est coloratus vel existimatus.

Verus: est factum, quo reapse dominium rei translatum est.

Apparens: quo reapse non est translatum dominium rei.

Coloratus: si factum de sese capax ad dominium transferendum intercessit, quo tamen propter occultum defectum eius reipsa dominium non fuit translatum.

Existimatus: si nullum factum de sese capax ad transferendum dominium intercessit, sed solum putatur intercessisse.

Bona fides: in praescriptione acquisitiva est persuasio, rem esse meam; in liberativa activa: me nullam habere obligationem; in liberativa passiva: me nihil facere contra ius alterius, et obtinet, si eum non impedio in usu iuris sui.

23. **Radices restitutionis:** Quid sunt? R. sunt causae, propter quas aliquis ad restitutionem tenetur; sunt 3: 1° possessio

rei alienae sive formaliter sive solum materialiter iniusta; 2° iniusta damnificatio, i. e. si quis fuit a) causa damni b) efficax, c) iniusta, d) theologice culpabilis; 3° efficax et theologice culpabilis cooperatio ad alterutram, sive moralis sive physica. Cfr. pag. 48, n. 4—5.

Iniuria seu **iniustitia:** est laesio iustitiae commutativae seu laesio iuris stricti, sive realis sive personalis; vide supra pag 47, n. 3; 48, n. 4—5; 65, n. 19; 139, n. 34.

24. **Furtum:** est 1° ablatio 2° rei alienae 3° cum animo eam sibi appropriandi, 4° inscio et rationabiliter invito domino facta.

Materia absolute et relative gravis: Prior est illa quantitas pecuniae, quam alteri auferre vel in qua alterum damnificare, semper est grave peccatum, etsi erga ditissimum fiat; sunt 7 doll. = ca. 29 marc. = 34 coron. Posterior est illa summa pecuniae, quae damnificato sufficit ad sustentationem suam et familiae per diem (pro victu, vestitu, habitatione); hanc auferre vel damnum huius valoris inferre, est etiam grave peccatum.

25. **Rapina:** est ablatio rei alienae, vi aperta domino illata.

26. **Occulta compensatio:** est acceptio eius, ad quod quis 1° ius personale idque 2° certum habet, 3° clam facta.

27. **Damnificatio iniusta:** i. e. quin damnificans inde possessor rei alienae fiat, est 1° actio vel omissio actionis ex iustitia debitae, qua quis rem alienam illicite destruit, aut 2° actio, qua quis alium a bono consequendo iniuste impedit, i. e. a) ad quod vel ius strictum habet, vel, si b) eum per medium iniustum impedit.

28. **Restitutio:** est redditio rei alienae ablatae, aut compensatio pro re aliena illicite destructa vel pro bono, a cuius consecutione proximus per te iniuste impeditus fuit.

29. **Expensae in rem alienam factae:** dividuntur in necessarias, utiles et mere voluptuarias. Necessariae sunt illae, sine quibus res periret vel peior fieret aut nullos fructus vel deteriores ferret. Utiles: quibus res ad usum communem aptior evadit aut plures vel meliores fructus fert. Mere voluptuariae sunt illae, quae nec rem nec fructus augent, sed solum ad ornatum vel voluptatem sunt.

30. **Casus evictionis rei alienae:** est apparitio domini rei apud possessorem eius, eiusque probatio, rem esse suam.

31. **Concursus:** est contractus onerosus, quo beneficium vel officium vel praemium exponitur dandum aut uni vel pluribus ex concurrentibus, si fuerint eo digni inventi, aut illi tantum, qui fuerit inter omnes concurrentes dignior inventus.

32. **Causa damni:** est actio vel omissio actionis, cuius influxu damnum oritur. Dividitur in positivam et negativam, prouti damnum sequitur ex positione actionis vel omissione actionis; causa positiva in causam per se et per accidens; causa negativa in iniustam vel non iniustam, prout quis ad ponendam actionem ex iustitia commutativa obligatus erat vel non.

Causa damni per se: quae ex natura sua ordinatur ad id, ut damnum inferat, ex qua ergo necessario et semper sequitur tale damnum.

Causa damni per accidens: quae non ex natura sua, sed solum concurrentibus quibusdam circumstantiis externis damnum efficit.

Occasio damni: est id, quod non influit in damnum efficiendum, sed ad cuius praesentiam aliqua causa damnum efficit. Haec non est causa damni.

Condicio damni sine qua non: est requisitum necessarium ad id, ut causa damnum efficiat, seu cooperatio (physica).

33. Culpa in damnificatione: est duplex: theologica et iuridica. Iuridica est vel mere iuridica vel iuridica et simul theologica; item vel lata vel levis vel levissima.

Culpa theologica: est culpa, quae verum peccatum iniustitiae coram Deo constituit; habetur, si damnificans non solum cognovit, se illicite agere, sed etiam praecognovit et saltem indirecte (et moraliter; cfr. pag. 21—22, n. 9—10) voluit iniustitiam actionis suae vel omissionis.

Culpa iuridica: est omissio illius diligentiae, quam lex civilis praescribit. Est vel lata, vel levis vel levissima, prout diligentia, quae omittitur, ab omnibus hominibus prudentibus communiter adhibetur vel solum a prudentioribus et cautioribus vel solum ab accuratissimis.

Culpa mere iuridica: est culpa iuridica absque culpa theologica.

Culpa iuridica et simul theologica: est culpa iuridica coniuncta cum culpa theologica.

34. Bona: In quaenam bona habet homo ius strictum (sive dominium perfectum sive utile tantum)? R. in bona fortunae, in famam suam, honorem sibi congruum, in vitam, in corpus, animam, facultates, actus internos et externos facultatum suarum, in libertatem corporis et animae, in integritatem membrorum, in virginitatem corporalem. Vide pag. 65, n. 19; 7—8, n. 4.

35. Cooperatio ad iniustitiam alterius: Quid est et quomodo dividitur? R. est concursus cum alio, qui furatur vel iniuste damnificat. Est vel cooperatio physica vel moralis seu inductio. Divisiones cooperationis physicae et inductionis vide pag. 68—70, n. 26—27.

Modi cooperationis: Iussio, consilium, consensus, palpo, recursus, participans, mutus, non obstans, non manifestans.

Modi praecipui cooperationis moralis positivae: consilium, mandatum, iussio, consensus, palpo.

36. **Consilium:** est suasio, ut alter iniustitiam committat.
Divisio: dividitur in impulsivum et doctrinale; impulsivum in nudum et vestitum.
Impulsivum: est adhortatio, quin via et modus ad iniustitiam committendam doceantur.
Impulsivum nudum: est adhortatio, in qua motiva ad iniustitiam committendam non adducuntur.
Impulsivum vestitum: si motiva adducuntur a suadente.
Doctrinale: est adhortatio, in qua adhortans viam et modum vel media alteri ostendit, quibus iniustitiam committere possit.
37. **Mandatum:** est suasio, ut alter nomine et loco suadentis iniustitiam committat.
38. **Iussio:** est imperium seu mandatum superioris subdito suo datum, ut iniustitiam committat.
39. **Consensus:** est praevia approbatio externa iniustitiae alterius.
40. **Palpo:** est is, qui alium laude vel vituperatione movet ad iniustitiam committendam.
41. **Modi cooperationis physicae positivae:** Praecipui sunt: participans et receptans.
Participans: qui in ipsa iniusta actione alterius participat, sive immediate sive mediate, sive proxime sive remote. Vide pag. 69, n 27.
Receptans: qui alteri custodiam aut securitatem praestat ad iniustitiam committendam vel continuandam.
Modi cooperationis physicae negativae: Mutus, non obstans, non manifestans.
Mutus: qui iniustitiam alterius ante eius executionem non impedit.
Non obstans: qui iniustitiam, dum actu fit, non impedit.
Non manifestans: qui iniustitiam ab alio iam commissam non revelat

42. **Bona et debita incerta:** Bona incerta sunt bona certo aliena, quorum dominus autem aut omnino ignoratur aut saltem adiri non potest. Debita incerta sunt debita certa quidem, quorum creditor autem plane ignoratur aut adiri non potest.
43. **Condonatio:** est remissio obligationis restituendi a domino facta. Est vel expressa vel tacita vel rationabiliter praesumta.
44. **Cessio bonorum:** est actus, quo debitor multis debitis oneratus et impotens ad omnia debita solvenda, omnia bona sua (sibi et suis non necessaria ad vitam et statum conservandum) creditoribus tradit, ut se indemnes faciant ex eis, ordine a lege positiva statuto, si cessio est iudicialis, ordine naturae autem, si privata est (scl. 1° loco: proprietarii, 2° loco: hypothecarii, 3° loco: alii pro rata crediti sui).

Divisio: dividitur in privatam et iudicialem; iudicialis in spontaneam et coactam; in inculpabilem et culpabilem, veram et fictam, de debitis ex contractu vel de debitis ex delicto.

Privata: quae fit libera conventione inter debitorem et creditores absque iudicis interventu.

Iudicialis: quae fit per iudicem; est spontanea, si fit ad petitionem debitoris; coacta, si debitor cogitur ad cedendum bonis suis.

Culpabilis et inculpabilis: prouti impotentia debitoris orta est ex eius culpa gravi vel non.

Vera et ficta: prouti impotentia debitoris vera est aut solum conficta ab ipso.

Debita ex contractu vel ex delicto: Debita ex contractu sunt ea, quae quis vi alicuius contractus solvere debet; debita ex delicto sunt debita restitutionis propter possessionem rei alienae formaliter iniustam aut damnificationem iniustam et theologice culpabilem aut cooperationem theologice culpabilem ad possessionem rei alienae vel iniustam damnificationem.

II°.

DE CONTRACTIBUS.

1. **Contractus:** est consensus duorum vel plurium de iure inter se permutando.
Divisio: Contractus dividuntur in unilaterales et bilaterales; bilaterales in gratuitos et onerosos; in consensuales et reales, in sollemnes et simplices, in formales et quasi-contractus, certi eventus et aleatorios, nominatos et innominatos, puros et qualificatos, validos et invalidos, firmos et infirmos, rescindibiles et irrescindibiles.
Unilateralis: in quo solum unus contrahentium obligationem in se suscipit.
Bilateralis: in quo uterque contrahens obligationem suscipit.
Gratuitus: in quo unus contrahentium commodum habet, quin ipse aliquid dare debeat.
Onerosus: in quo uterque contrahens aliquid dat et aliquid accipit.
Consensualis: qui essentialiter iam existit ante omnem traditionem rei ex parte contrahentium.
Realis: qui tunc demum existere incipit, quando unus contrahentium rem suam tradidit.
Sollemnis et simplex: prout ex iure positivo humano ad eius valorem sollemnitas aliqua requiritur vel nulla.
Formalis et quasi-contractus: prouti consensus ab utroque contrahente verbo vel signo exprimitur aut solum tacite manifestatur per factum consensum includens.
Certi eventus et aleatorius: prouti aliquid dandum vel faciendum est independenter ab eventu fortuito vel solum dependenter a tali eventu.
Nominatus et innominatus: prouti speciale nomen habet in iure positivo vel non habet.

Purus: qui non habet sibi annexam aliquam condicionem vel modum.
Qualificatus: cui addita est aliqua condicio aut aliquis modus.
Species contractus qualificati: contractus condicionatus, sub condicione turpi, sub fine, sub causa, sub demonstratione, in diem.
Condicionatus: si uterque contrahens vel unus eorum se obligare intendit tantum, si factum aliquod vel circumstantia aliqua verificatur.
Condicio: dividitur in condicionem de re impossibili vel possibili; de re praeterita, praesenti, vel futura; de re honesta vel inhonesta; condicio de re futura est vel suspensiva vel resolutiva.
Suspensiva: quae efficit, ut contractus in futuro demum incipiat obligare, quando condicio verificatur.
Resolutiva: si contractus statim quidem obligat, verificata condicione autem iterum solvitur et non amplius obligat. Reliqua patent.
Contractus sub condicione turpi: est contractus unilateralis, quo quis se obligat ad aliquid dandum vel praestandum alteri, si hic opus aliquod malum de facto posuit.
Sub fine: quo quis alteri aliquid dat (scl. proprietatem rei) ad certum finem, ad quem implendum hic se obligat.
Sub causa: si contrahens motivum significat, propter quod contractum init. Hoc motivum est vel causa motiva vel solum impulsiva seu secundaria; motiva est vel unica vel aeque movens simul cum alia.
Motiva: sine qua contrahens contractum non iniret.
Duae causae motivae: quarum utraque talis est, ut contrahens, si una non esset, contractum iniret propter alteram.
Impulsiva: quae sola non sufficit ad id, ut contrahens contractum ineat, sed propter quam facilius et libentius contractum init,

seu sine qua contractum nihilominus iniisset.

Sub demonstratione: si contrahens quantitatem rei, quam habere vult, non accurate determinat, sed potius rem digito monstrat; eam demonstrat vel demonstrative: si directe continens demonstrat, vel taxative: si directe contentum demonstrat.

In diem: in quo certus dies futurus designatur, quo contractus executioni demandandus est.

Contractus validus et invalidus seu **irritus:** prout obligationem producit vel non. Invalidus est vel civiliter et simul naturaliter invalidus: si nec in conscientia nec coram iudice obligat, vel civiliter tantum: si coram iudice quidem non obligat, attamen coram Deo in conscientia obligat. Vide supra 130.

Firmus: qui a iudice rescindi non potest.

Infirmus: qui a iudice rescindi potest.

Rescindibilis: qui ad arbitrium unius contrahentium auctoritate privata solvi potest.

Irrescindibilis: qui nec ab uno contrahentium nec ab utroque ex mutuo consensu solvi potest.

Persona habilis ad contrahendum: est homo, qui tum ex iure naturae tum ex iure positivo contractum validum inire potest.

2. **Error in contractu ineundo;** dividitur in antecedentem et concomitantem, substantialem et accidentalem; accidentalis in talem, qui versatur circa rem, quae est condicio sine qua non consensus (condicioni sine qua non, omnino aequivalet causa motiva unica vel unice principalis), aut circa rem, quae non est condicio sine qua non; in errorem, qui non est dolo causatus ab alio, et in errorem, qui dolo causatus est ab alio; hic dividitur in errorem dolo causatum ab altero contrahente vel ab aliquo tertio consentiente altero contrahente et in errorem causatum ab aliquo tertio, quin alter contrahens doli particeps fuerit.

Antecedens: qui est causa contractus i. e. contrahens, si non errasset, contractum non fecisset.

Concomitans: qui non est causa contractus, i. e. etsi contrahens non errasset, contractum nihilominus iniisset.

Substantialis: qui versatur circa aliquid essentiale vel obiecti, de quo contractus fit, vel speciei contractus, quae fit et quo ab aliis speciebus contractuum distinguitur.

Accidentalis, qui versatur circa condicionem sine qua non: qui versatur circa elementum accidentale vel obiecti vel speciei contractus i. e. sine quo tota substantia obiecti et speciei contractus salva consistere possunt, a cuius praesentia autem contrahens consensum suum in substantiam obiecti contractus vel in talem speciem contractus expresse dependentem reddidit, sive solum interius sive etiam exterius.

Error accidentalis, qui non versatur circa condicionem sine qua non: qui versatur circa tale accidentale elementum, a quo contrahens consensum suum in obiectum vel speciem contractus non dependentem reddidit.

Error dolo causatus: si quis sciens et volens contrahentem in errorem inducit.

Error non dolo causatus: si contrahens ex seipso tantum erravit. Alia patent.

3. **Promissio:** est contractus, quo unus contrahens ex iustitia (si est onerosa) vel ex fidelitate (si est gratuita) gratuito se obligat ad aliquid dandum vel faciendum alteri, et hic acceptat (vel etiam repromittit, si est onerosa).
4. **Donatio:** est contractus, quo unus contrahentium proprietatem rei suae gratuito dat alteri, et hic acceptat.

Divisio: dividitur in donationem inter vivos et donationem mortis causa; in verbalem et realem, ad causam piam et profanam.

Inter vivos: qua ius reale rei donatae ex voluntate donantis iam ante mortem eius transit in donatarium, etsi donatio facta sit intuitu mortis.

Mortis causa: qua ius reale rei donatae ex voluntate donantis demum post momentum mortis eius in donatarium transit.

Verbalis: quae fit verbis vel scripto absque traditione rei.

Realis: qua res donata statim reapse traditur.

Ad causam piam: si res donata 1° a donante destinatur pro opere, quod ex natura sua finem supernaturalem habet, aut 2° si saltem habere potest talem finem et insuper motivum donantis fuit finis supernaturalis.

5. **Testamentum:** est ultima voluntas, qua quis disponit, quid de bonis suis post mortem suam fieri deb'eat, sive heredem instituendo sive non.

Divisio: dividitur in sollemne et informe, scriptum holographum et nuncupativum, iudiciale et extraiudiciale.

Sollemne: quod formalitatibus a lege requisitis instructum est.

Informe: quod hisce formalitatibus caret.

Holographum: quod a testatore per totum propria manu conscriptum est (cum subscriptione sui nominis et cognominis).

Nuncupativum: quod oretenus tantum fit.

6. **Codicillus:** est dispositio testatoris accessoria circa testamentum, aliquid mutando in eo.
7. **Legatum:** est ultima voluntas, qua res aliqua determinata alicui relinquitur.
8. **Fideicommissum:** est ultima voluntas, qua heres iubetur alteri aliquid relinquere post mortem suam, sive totam hereditatem sive partem eius sive rem certam particularem.
9. **Depositum:** est contractus, quo quis se obligat ad rem alienam apud se deponendam et custodiendam, certo tempore domino iterum reddendam.

10. **Sequestrum:** est contractus depositi, quo res controversa apud tertium deponitur, ut lite diremta domino tradatur.
11. **Commodatum:** est contractus, quo quis rem suam, primo usu non consumtibilem, alteri gratis tradit ad usum, certo tempore sibi reddendam.
12. **Mandatum:** est contractus, quo quis se obligat versus alium ad negotium eius nomine gerendum.
13. **Gestio negotiorum:** est perfectio negotii alterius, nomine eius et in eius utilitatem facta, absque expresso mandato, sed solum ex praesumta voluntate eius.
14. **Mutuum:** est contractus, quo quis alteri dat rem primo usu consumtibilem, cum obligatione, ut statuto tempore aliam rem eiusdem naturae et bonitatis reddat.
15. **Usura:** est foenus excessivum ex mutuo pecuniario perceptum i. e. supra foenus usuale loci, nisi adsit titulus specialis (speciale lucrum cessans vel damnum emergens vel periculum sortis aut spontanea oblatio mutuatarii).
16. **Emtio-venditio:** est contractus, in quo unus contrahentium mercem, alter pecuniam dat ut pretium eius.

Divisio: dividitur in naturalem et artificialem; artificialis in industrialem et negotiatoriam.

Naturalis: si merx emitur ob necessitatem eius, ad usum proprium.

Artificialis: si res emitur ad id tantum, ut iterum vendatur maiore pretio.

Industrialis: si res emitur, ut per industriam immutata maiore pretio vendatur. Est vel simpliciter industrialis, si industria proprio labore peragitur; vel negotiatoria in sensu minus stricto, si industria per operarios tantum perficitur.

Negotiatoria: in stricto sensu: si res ad id tantum emitur, ut non immutata, maiore pretio iterum vendatur. Ideoque negotiatio stricte dicta in genere habetur,

si res quaedam, qualiscunque demum sit (merx, pecunia, actio, res immobilis, etc.), ex ea intentione tantum emitur, ut absque immutatione sui maiore pretio iterum vendatur.

Pretium: est triplex: legale, vulgare, conventionale.

Legale: quod lege constitutum est.

Vulgare: quod communi aestimatione hominum loci definitur quodque triplex est: infimum, medium, summum.

Conventionale: quod libera et expressa conventione contrahentium determinatur in casu, in quo deest pretium legale et vulgare, (mere conventionale), aut quod, si vulgare adest et ab utroque contrahente cognitum est, supra vel infra illud libere (i. e. absque fraude vendentis et necessitate emtorem ad emendum cogente) ab eis statuitur.

Venditio sub hasta (subhastatio): est venditio, qua res illi ex pluribus emtoribus tradenda est (sive pro pretio infra infimum sive supra summum), post cuius oblationem nullus alius emtor maius pretium obtulit. Fit vel libera voluntate domini rei vel coacte per iudicem.

Monopolium: est venditio rerum certi generis per unum vel paucos aut societatem particularem exclusive. Est vel monopolium iuris vel facti, prouti fit ex licentia reipublicae vel non; monopolium iuris est vel publicum, i. e. quod possidet ipsa respublica, vel privatum, quod aliquis privatus (e. g. auctor libri vel inventor rei) vel societas aliqua particularis ex concessione reipublicae habet.

Proxeneta: est ille, qui alterius nomine res emit vel vendit.

17. **Locatio:** est contractus, quo alteri pro certo pretio usus vel ususfructus alicuius rei sive mobilis sive immobilis aut servitii personalis datur. Est triplex: locatio rei, operae, operis. In locatione rei

usus vel usufructus alicuius rei mobilis vel immobilis datur; in locatione operae locans ad certum laborem personalem se obligat; in locatione operis se obligat ad certum opus perficiendum per operarios a se conducendos.

Merces pro labore: est duplex: individualis: quae pro operario diurno parco et morigerato, saltem stricte sufficit ad eius sustentationem per diem; familialis, quae etiam ad id sufficit, ut operarius matrimonium inire et familiam sustentare possit, saltem in ordinariis adiunctis.

18. **Contractus societatis:** est contractus, quo duo vel plures quaedam bona propria in commune conferunt, ut lucrum inde perceptum inter ipsos dividatur pro rata contributionis. Hae societates sunt vel industriales vel commerciales seu negotiatoriae, ad quas pertinent etiam societates actionariae et commandatariae. Cfr. supra n. 16.

Contractus trinus: est contractus societatis, cui adduntur 2 alii contractus: unus, in quo societas periculum boni contributi in se suscipit et socius de lucro annuo aliquid remittit; alter, in quo socius de lucro annuo adhuc aliam partem remittit et se contentum declarat cum certo lucro annuo moderato, dummodo hoc ei semper certo solvatur.

19. **Cambium:** est permutatio pecuniae unius speciei cum pecunia alterius speciei aut 1° statim vel postea in eodem loco, aut 2° postea et in alio loco tradenda.

20. **Contractus subsidiarii:** sunt contractus ad firmandos contractus alios principales; praecipui sunt: pignus, hypotheca, fideiussio.

Pignus: est res mobilis, quae a debitore datur creditori, ut hic fiat dominus eius, si debitor statuto tempore debitum non solverit.

Hypotheca: est res immobilis, quae a debitore datur creditori, ut sese indemnem ex ea faciat, si debitor statuto tempore debitum non solverit.

Fideiiussio: est contractus, quo tertius quidam se obligat ad debitum creditori solvendum, si debitor statuto tempore debitum suum non solverit.

21. **Sponsio:** est contractus, quo duo vel plures disputantes de aliquo eventu se obligant ad aliquod bonum dandum ei, ex cuius parte veritas steterit.

Ludus: est contractus, quo duo vel plures se obligant ad praemium dandum victori. Est vel mere aleatorius vel industrialis vel mixtus, prouti victoria praecipue a mera fortuna aut a dexteritate ludentium vel ab utroque momento simul dependet.

Loteria: est contractus, quo quis pro certo pretio soluto emit spem obtinendi rem expositam et lucrandam per sortitionem.

22. **Assecuratio:** est contractus, quo quis pro certo pretio soluto emit ab alio compensationem sibi vel suis dandam pro casu vel 1° mortis suae vel post certum annum aetatis suae vel 2° veri damni bonis suis sive corporalibus sive 3° bonis fortunae illati per infortunium vel malitiam alterius.

23. **Operationes bursae:** sunt duplicis speciei: ad terminum et ad praemium. 1° Ad terminum: est contractus, quo quis a bursa valores pecuniarios vel merces emit ea condicione, ut statuto die futuro pro eis pretium solvat, quod isto die in bursa viget, aut si hoc pretium maius est ac pretium in die contractus initi, emtor venditori differentiam inter utrumque pretium solvat; si vero minus sit, venditor emtori differentiam solvat. 2° Ad praemium: si idem emtor sibi ius reservat, contractum rescindendi certo die, et pro usu huius iuris ad certum praemium solvendum se obligat.

Principia.

I°.

1. Societas civilis imprimis in rebus iustitiae et iuris et speciatim circa *contractuum* validitatem et liceitatem leges ferre potest, quia ius naturae circa haec puncta saepe vel mancum vel dubium est.
2. *Ecclesia* proprium et nativum ius habet, a societate civili independens, bona temporalia acquirendi, possidendi et administrandi et proprias leges desuper statuendi, quia est societas perfecta, quae omnia potest, quae ad eius finem necessaria sunt.
3. Leges civiles, quae *iura* inter cives circa bonae fortunae statuunt, in conscientia obligant ex iustitia commutativa ante omnem iudicis sententiam, quia hoc ad bonum commune necessarium est.
4. Leges civiles, quae *formalitates* pro valore contractuum praescribunt, 1° certo post sententiam iudicis obligant in conscientia ex iustitia commutativa, quia secus inefficaces essent; 2° ante iudicis sententiam probabiliter per se non obligant in conscientia, nisi in paucis casibus, in quibus bonum commune id exigat. Cfr. pag. 393, n. 44.
5. ‚Res clamat ad *dominum*.'
6. ‚Res *perit* domino' i. e. naturaliter, tamen si res periit vel deteriorata est culpa alterius, hic damnum reparare debet, quando huius damni vera causa fuit eaque theologice culpabilis; cfr. pag. 136, n. 23, 137, n. 27.
7. ‚Res *fructificat* domino' i. e. ad dominum rei pertinent fructus spontanei percepti, sed non fructus industriales ab alio ex ea producti nec mixti, in quantum industriales sunt, quia hi sunt fructus industriae alienae, non rei.
8. ‚Ex re aliena non licet *ditescere*'; hic valet punctum praecedens, quia fructus industriales non ex re aliena, sed occasione rei alienae habentur.

9. Homo habet *dominium*, non quidem directum, attamen indirectum corporis et animae et potentiarum eorum, scl. ius usus et ususfructus ideoque etiam dominium perfectum in actus internos et externos potentiarum, quia earum fructus sunt, et in bona hisce actibus parta, quia horum actuum fructus sunt.
10. Res terrenae in initio non erant bona omnibus positive, sed negative tantum *communia*, i. e. a Deo omnibus datae, ut a singulis vi occupationis approprientur.
11. Sine *dominio privato* nulla pax et tranquillitas inter homines ideoque nulla felicitas temporalis generis humani; hinc ex lege naturae dominium privatum observari debet.
12. ‚Tres faciunt *collegium*.'
13. ‚In dubio melior est condicio *possidentis*' scl.: si quis rem incepit possidere in bona fide, i. e. cum persuasione certa, eam esse suam, et postea dubium positivum oritur de vero proprietario, haec illi relinqui debet, qui eam hucusque in bona fide possederat et adhuc possidet, usquedum certo probetur, eam esse alienam, quia praesumitur, ipsum esse dominum rei; haec praesumtio necessaria est ad bonum commune, quum secus nulla pax et tranquillitas possessionum inter homines. Cfr. etiam pag. 184, n. 3.
14. Bona non libera *filiorum* ad patrem, libera ad filium pertinent, sed eorum administrationem pater habet, si filius minorennis est. Sed filius maiorennis pro labore familiae non necessario, praesertim extraordinario, mercedem exigere potest, nisi gratis laborare intenderit.
15. Maritus, qui 1° *bona uxoris* dotalia vel praeterdotalia dilapidat, ad restitutionem tenetur, quia haec ad uxorem pertinent seu eorum dominium directum uxor retinet; si 2° bona communia dilapidat, ad restitutionem pro rata saltem in conscientia tenetur, quia uxor eorum condominium directum habet.

16. Quae ad honestam *sustentationem familiae* requiruntur, uxor clam sibi ex bonis mariti sumere potest, si hic ea dare renuit, quia ad haec ius strictum habet; cfr. pag. 137, n. 26; 154, n. 27.
17. Clerici bona certo *beneficialia superflua* ad causas pias expendere vel pauperibus dare debent sub gravi ex lege ecclesiae, quae hoc praecipit, idque ex motivo virtutis religionis, non vero iustitiae. Cfr. pag. 393, n. 45.
18. ‚Res nullius est primi *occupantis*'.
19. Animal ferum *piscatione* vel *venatione* captum 1° in loco omnibus pervio vel clauso quidem, sed magnae extensionis, capientis est, utpote res nullius ab eo occupata, nisi lex civilis contrarium statuat (quo in casu tamen probabiliter solum post sententiam iudicis animal reddendum est, quia probabiliter lex poenalis est); capiens vero peccat contra iustitiam legalem seu bonum commune, si tempore prohibito id fecit, et contra iustitiam commutativam, si alius (alii) ius exclusivum venandi vel piscandi ibi habet eique damnum forte illatum reparare debet. 2° Animal ferum captum in loco clauso, qui non est magnae extensionis, ad dominum loci pertinet, utpote ab ipso iam quasi occupatum per clausuram. Cfr. pag. 394, n. 46.
20. *Thesaurus* inventoris est: 1° totus, si ipse est dominus rei vel fundi, in quo eum invenit; 2° dimidium, si in re vel fundo alterius eum invenit, nisi inscio domino eum quaerebat, quo in casu ex lege civili totus thesaurus domini est, sed probabiliter solum post sententiam iudicis, quia probabiliter lex poenalis est.
21. Res *amissa*, si nulla spes prudens adest, ut dominus inveniatur, ex iure naturae fit inventoris vi occupationis, utpote res derelicta ideoque nullius.
22. ‚*Partus* sequitur ventrem', i. e. ad dominum animalis feminei animal ab eo par-

tum pertinet, etsi ex alieno animali conceptum sit.

23. ‚Accessorium sequitur *principale*' scl. hoc principium valet ex iure naturali quoad accessionem industrialem et mixtam, si res sibi adiunctae separari non possunt; sed is, cui res cedit, alium compensare debet, nisi hic in mala fide egerit.

24. Qui *laborat* in proprio negotio et proprio nomine, fit etiam dominus lucri laboris, quia fructus eius est, sed qui laborat in alterius negotio, cui operam suam locavit, nullum ius habet in lucrum labore partum, sed solum in mercedem.

25. ‚Non usucapies (i. e. non *praescribes* in conscientia), nisi sint tibi talia 5': sit res apta, scl. capax, ut a te possideatur — fides: i. e. bona — titulus: saltem existimatus — possessio: eaque continua (vide pag. 133, n. 13). — tempus: a lege positiva praescriptum, nisi sit brevissimum i. e. biennium vel infra. Cfr. pag. 394, n. 47.

26. Iura *defuncti* realia et personalia transeunt ad haeredes, item obligationes eius reales, non vero personales.

27. *Occulta compensatio* nunquam quidem iniusta, licita autem solum est, si alio modo ius meum sine gravi incommodo obtinere non possum.

28. Si quis in extrema vel quasi-extrema *necessitate corporali* est (cfr. p g. 65, n. 20), pro eo omnia bona fortunae fiunt negative communia, quia ratio dominii privati in hoc casu cessat, quum pax et tranquillitas hominum non in periculum adducatur, si in hoc casu raro res aliena sumitur, in quantum necessarium est ad se liberandum ab illa necessitate.

29. *Iniuriae* illae specie differunt, quae bona proximi diversae speciei laedunt (v de pag. 139, n. 34); furtum et damnificatio in bonis fortunae specie non differunt, quia utraque iniuria ius in bona fortunae laedit. Cfr. pag. 8, n. 4; 65, n. 19; 139, n. 34.

30. ‚*Scienti et volenti* non fit iniuria': scl. saltem ipsi non fit iniuria, si iuri suo omnino libere renuntiavit, i. e. sine necessitate et sine antecedenti errore vel dolo vel incusso metu, seu qui fuerint causa cessionis.
31. ‚Non remittitur peccatum, nisi *restituatur* ablatum'; scl.: laesio 1° iustitiae commutativae sive per ablationem et possessionem rei alienae sive per damnificationem 2° certo commissa, ad restitutionem obligat (cfr. n. 32) et quando 3° haec certo sub gravi facienda est (cfr. pag. 45. n. 11), nec 4° causa excusans ab ea deobligans habetur et 5° iniustus possessor vel damnificator haec sciens 6° non restituere vult, salvus fieri non potest.
32. Si quis positive *dubitat*, an aliquid solvere vel restituere debeat, aut si positive dubitat, utrum iam solverit vel restituerit, quod debebat, necne: 1° ad nihil tenetur, si ipse non est causa huius incertitudinis, quia lex dubia non obligat; 2° si autem ipse causa incertitudinis est per graviter culpabilem negligentiam vel dilationem: ad solvendum, respect. restituendum tenetur, et quidem pro rata dubii, quia incertitudinis causa iniusta theologice culpabilis est ideoque etiam probabilis damni domini.
33. Restitutio facienda pro iniusta laesione iuris in bona fortunae, neque debet neque potest fieri in *bonis alterius speciei*, quia nulla adest aequalitas inter haec bona et bona fortunae, dum iustitia commutativa exigit, ut usque ad mathematicam aequalitatem proximo tribuatur id, quod ipsi proprium est.
34. *Circumstantiae* furti vel damnificationis, ob quas maior materia, quam relative gravis requiritur ad peccatum grave constituendum, quia dominus minus invitus est de iniuria, sunt hae: si fiunt 1° a filiis, uxore, famulis (quoad esculenta); requiritur materia duplo maior; 2° pluribus vicibus in materia parva et materiae singulae parvae

coalescunt, quod obtinet: a) quando erga diversos dominos fiunt cum intentione perveniendi ad gravem materiam vel ex mutua conspiratione cum aliis; materia absolute gravis requiritur; b) quando erga unum dominum brevibus intervallis fiunt etsi absque intentione perveniendi ad gravem materiam; materia dimidio maior requiritur. Sed si quis res vel pecunias ablatas adhuc possideat sive in se sive in aequivalenti, valet n. 39, 2°, 48, 1° et 35.

35. Si res ablata vel damnificata ad plures *condominos* pertinet, materia absolute gravis ad peccatum grave requiritur, nisi condomini pauci sint.

36. *Possessor rei alienae*, si possessor *bonae fidei* est: 1° tenetur rem, a) si eam adhuc in se habet et nondum praescripsit, restituere; b) eius aequivalens restituere, i.e. id, in quo ex re aliena ditior est factus, scl. propriis propter ipsam pepercit, si aut res periit sive apud ipsum sive apud alium, cui eam dedit, aut dominus rem suam ex manu illius, cui possessor eam dedit, recuperare non potest; quia res clamat ad dominum. Si vero dominus eam sibi recuperavit ex manu illius, cui possessor eam dedit vel si hic sponte eam reddidit, huic possessor pretium restituere debet, si rem ei vendiderat, quia ad hoc implicite in contractu venditionis se obligavit erga emptorem, modo hic bonae fidei fuerit in emtione. Cfr. pag. 394, n. 49—50. 2° Fructus a) spontaneos perceptos, qui in se vel in aequivalenti adhuc extant et nondum praescripti sunt, tenetur restituere, quia res fructificat domino. b) Non autem tenetur restituere: fructus α) perceptos, qui nec in se nec in aequivalenti extant, quia res perit domino et possessoris culpa non perierunt, β) neque fructus percipiendos, quia huius damni domini non est causa iusta et theologice culpabilis, neque γ) fructus industriales et mixtos pro rata in-

dustriae, quia hos percipiendo non ex re aliena, sed solum occasione rei alienae ditior factus est. Cfr. pag. 394, n. 51. 3° Compensationem exigere potest pro *expensis* in rem factis, necessariis et utilibus, quia secus dominus plus haberet, quam quod ipsi debetur, non vero pro expensis mere voluptuariis.

37. *Possessor rei alienae*, si possessor *malae fidei* est: 1° quoad rem, aequivalens eius et fructus eius tenetur ad idem, ad quod possessor bonae fidei tenetur; 2° tenetur ad reparandum omne illud damnum domino ortum et omne illud lucrum, quod ei cessavit, quorum vera causa possessio eius fuit et quae saltem in confuso praevidebat, quia horum est causa efficax, iniusta et theologice culpabilis (cfr. pag. 394, n. 52); 3° non tenetur restituere fructus industriales et mixtos pro rata industriae suae, et 4° expensas necessarias et utiles exigere potest, ut sibi compensentur.

38. *Possessor* rei alienae, qui possessor *dubiae fidei* est: si cum bona fide incepit possidere, manet possessor bonae fidei, si in inquirenda veritate diligentiam ordinariam adhibuit; fit autem possessor malae fidei ab illo tempore, in quo inquisitionem post conceptum dubium cum gravi culpa neglexit; possessor dubiae fidei, qui iam incepit possidere cum dubia fide, habetur ut possessor malae fidei (a fortiori, si cum mala fide incepit possessionem). Ergo 1° si dominus comparet, primus obligationes possessoris bonae fidei habet, secundus et tertius obligationes possessoris malae fidei (hic pro toto tempore possessionis, ille inde a tempore negligentiae graviter culpabilis). 2° Si dominus non comparet et dubium, utrum res sit aliena necne, solvi non potest, a) primus ad nihil tenetur, quia in dubio melior est condicio possidentis; b) secundus pro rata dubii obligationes possessoris malae fidei implere debet erga dominum probabilem, nisi constet, iam tempore dubii

orti dominum nullam spem fundatam habuisse rem suam recuperandi, quia sic est res derelicta ideoque possessoris tamquam occupantis; si autem determinatus dominus probabilis inveniri non potest, ad nihil tenetur, quia saltem incepit cum bona fide possidere; c) tertius illi restituere debet, cui rem abstulit et si nemini abstulit, domino probabili, si determinatus talis adest, aut, si talis inveniri non potest, pauperibus (etiam sibi, si pauper est) vel ad causam piam, quia bonum commune non patitur, ut talis possessor unquam fiat dominus rei, etiam dubie alienae. Cfr. pag. 395, n. 53.

39. „*Tanta* est obligatio restituendi, quanta culpa fuit' commissa in laesione dominii: scl. 1° Hoc valet, si restituendum est propter damnificationem: gravis obligatio ad restituendum oritur solum ex damno gravi cum culpa theologica gravi illato, et levis est, si culpa levis fuit, licet grave damnum illatum fuerit, quia effectus non est supra causam suam; imo nulla adest obligatio restituendi, si culpa in damnificatione commissa ideo levis fuit, quia damnum illatum est per actum imperfecte humanum, quo vi propriae actionis et voluntatis ne levis quidem obligatio valide suscipi potest. Cfr. pag. 90, 394, n. 48. 2° Si quis autem restituere debet propter possessionem rei alienae, quam vel in se vel in aequivalenti habet, talis est obligatio restituendi, quanta est materia aliena, quam habet, ergo gravis vel levis, prouti materia haec gravis vel levis est.

40. *Negligentia levis* in implendo officio vel contractu, ex qua alteri damnum oritur, censetur esse inculpabilis in ordine ad damnum reparandum ideoque non obligat ad restitutionem, nisi officium sit gravissimi momenti propter gravissima pericula ex neg'igentia etiam levi oriunda.

41. Qui damnum intulit cum *culpa iuridica* tantum, solum post iudicis sententiam ad reparandum damnum tenetur, nisi ex-

presse et specialiter per contractum se obligaverit ad damnum cum sola culpa iuridica illatum reparandum: quia poena est et nemo sibi ipse poenam imponere tenetur.

42. Damnificatio commissa per *cooperationem* (scl. physicam) *licitam* ad iniustitiam alterius, non obligat ad restitutionem, quia non fuit theologice culpabilis. Cfr. pag. 75, n. 27.

43. Qui causam damni sive physicam sive moralem 1° inculpabiliter posuit, ratione positionis ad nihil tenetur, quia non fuit theologice culpabilis; tamen tenetur ex iustitia eam *removere*, si absque gravi incommodo potest, secus tenetur ad reparandum damnum ex non-remotione causae ortum, quia huius damni est causa efficax, iniusta, theologice culpabilis, dummodo cum plena advertentia et cum cognitione iniustitiae causam non removerit. 2° Qui causam gravis damni culpabiliter posuit, eam etiam removere tenetur idque cum gravi quoque incommodo, quia melior debet esse condicio innocentis (scl. damnificati) quam nocentis; et si causam removere non potuit, nihilominus ad restitutionem tenetur, quia ratione positionis causae, est et manet causa damni efficax, iniusta et theologice culpabilis. Cfr. tamen pag. 395, n. 56.

44. Qui est damni *causa per accidens*, tenetur ad restitutionem, si eam posuit ex unica vel unice principali intentione damnum inferendi, quia iniuste egit, quum quivis ius strictum habeat, ne alius actionem ponat ei damnosam solum ad id, ut damnum habeat.

45. Omnis Superior in republica et in ecclesia 1° ex iustitia legali officia et praemia *dignioribus* conferre tenetur, 2° non autem ex iustitia commutativa, nisi in casu concursus ad determinatum officium vel praemium publice pro ositum; 3° peccat vero contra iustitiam commutativam, si positive indigno officium dat, quia, ne hoc faciat, tenetur ex quasi-contractu cum republica vel ecclesia in susceptione officii inito. Cfr. pag. 395, n. 54.

46. Iustitia commutativa solum exigit, ne positiva actione tua alteri damnum inferas; sed damnum alterius *impedire* seu damnum ei imminens ab eo avertere non est iustitiae, sed caritatis, nisi quis ad damnum domini impediendum se obligaverit vel per formalem contractum vel per quasi-contractum, i. e. vi officii libere suscepti, in quo illa obligatio continetur. Ergo cooperatio negativa ad iniustitiam alterius, sive physica sive moralis, non obligat ad restitutionem, utpote non iniusta, nisi cooperans ex contractu obligatus fuit ad damnum impediendum et hoc facere omisit cum graviter culpabili negligentia.

47. *Confessarius*, qui 1° casum de restitutione falso solvit, tenetur ad restitutionem versus poenitentem, respect. versus tertium, si id fecit vel scienter vel ex graviter culpabili ignorantia vel negligentia, quia vi consilii sui sic dati existit causa damni efficax, iniusta et theologice culpabilis; secus ad nihil tenetur, quia non est theologice culpabilis; 2° non tenetur ad restitutionem, si solum tacuit, nisi eius silentium positivo responso falso aequivaluerit, quia vi officii sui, qua confessarius, solum damnum spirituale poenitentis sui, non vero damnum temporale sive poenitentis sive tertii impedire tenetur.

48. *Tantum* teneris restituere 1° ob possessionem rei alienae, quantum ex ea adhuc habes sive in se sive in aequivalenti; 2° ob iniustam et theologice culpabilem damnificationem, tantum debes restituere, in quantum obiective vera causa damni illati fuisti et simul etiam subiective illud saltem in confuso praevidisti.

49. Cooperatio necessaria sive physica sive moralis est *causa totius damni* illati; utilis est causa partis damni et quidem pro rata adiutorii physici vel influxus in voluntatem; indifferens non est causa damni. Cfr. pag. 395, n. 57.

50. Qui 1° causa unica principalis totius damni illati fuit, tenetur restituere *in solidum* i. e. totum damnum, idque *absolute* seu primo loco et quin a causa secundaria ullam compensationem exigere possit et si forte haec restituit, id, quod haec dedit, ei compensare debet; nam 2°: qui unica causa secundaria totius damni fuit, solum *condicionate* seu secundo loco totum damnum reparare debet, i. e. si causa principalis non restituit et ob hac compensationem totius exigere potest, si ipse restituit; 3° qui est causa partis damni tantum, tenetur solum *ad partem* damni reparandam idque pro rata adiutorii physici vel influxus moralis; et quidem a) absolute, seu ante alios, si in ordine principali fuit causa partialis damni, b) condicionate tantum seu in defectu causae principalis, si in ordine secundario fuit causa partialis damni et cum iure ab illa exigendi compensationem partis restitutae; 4° qui simul cum aliis fuit causa totius damni eaque aequalis sive in ordine principali sive in ordine secundario, tenetur a) totum damnum reparare, sed semper condicionate tantum in hoc sensu, quatenus totum reparare solum debet, si socii eius non restituunt et compensationem ab eis postea exigere potest, scl. tot partes, quot socios habuit in suo ordine; et quidem b) ad hanc condicionatam restitutionem totius damni tenetur α) ante cooperatores secundarios, si in ordine principali cum aliis erat causa aequalis totius damni; β) si vero in ordine secundario, tunc tantum, quando ille qui in ordine principali damnum causavit, non restituit et potest compensationem totius exigere $\alpha\alpha$) primum ab illo (si plures fuerunt causae principales aequales: ab unoquoque partem) et $\beta\beta$) deinde, si hic non solvit, a sociis suis in ordine secundario (scl. ab unoquoque partem).

51. 1° *Iubens* et *mandans* alteri iniustitiam

versus tertium committendam, item 2° *auctoritative in eam consentiens,* et 3° *consulens* eam *in propriam utilitatem tantum,* sunt causa principalis totius damni illati; si nullus talis adfuit, ille est causa principalis totius damni, qui physice illud intulit.

52. Restitutio gravis summae, quae 1° pluribus dominis ablata est, adeo, ut singulis levis tantum materia restituenda sit (e. g si societas assecurationis privata laesa fuit) ex rationabili causa *pauperibus* (ideoque sibi quoque, si restituens pauper est) licite fieri potest, quia a levi obligatione excusat causa rationabilis. 2° Idem valet, si fisco vel publicae societati assecurationis vel communitati civili restituendum est, quia sic implicite restitutio, ei, cui debetur, fit, quum eis hoc modo cura pauperum, ad quam tenentur, sublevatur. Cfr. pag. 395, n. 58.

53. Ut *dilatio* vel solutionis debiti ex contractu vel restitutionis ob possessionem rei alienae vel damnificationem faciendae, grave peccatum sit, requiritur, ut ex dilatione domino grave damnum oriatur et dilatio sine causa proportionate gravi fiat.

54. *Causae excusantes* a restitutione: 1° condonatio domini, non solum expressa et tacita, sed etiam ea, quae certo et rationabiliter praesumi potest; 2° impotentia physica et moralis; aliquando 3° cessio bonorum, 4° compositio per Papam (per S. Cong. Conc.).

55. *Impossibilitas moralis* restituendi vel solvendi adest, si restitutio vel solutio fieri non potest sine gravi damno sive proprio sive alieno in bonis altioris ordinis (famae, honoris, vitae, sanitatis, salutis animae) vel proportionate gravi incommodo in propriis bonis fortunae; sed hoc debet esse duplo maius, quam damnum domini, in possessore malae fidei et in damnificatore iniusto, theologice culpabili, in possessore bonae fidei autem et debitore ex contractu sufficit, si vere grave est. Certe autem unicuique

semper intacta relinqui debent illa bona fortunae, quae necessaria sunt ad vitam vel statum iuste acquisitum conservandum, cfr. pag. 141, n. 44; 154, n. 28; 396, n. 59.

56. *Cessio bonorum* 1° etiam iudicialis non excusat a solvendis debitis post cessionem adhuc restantibus, si facta est a) ob impotentiam graviter culpabilem aut b) mere confictam seu non veram aut c) de debitis ex delicto (cfr. pag. 141, n. 44), quamvis lex civilis declaret, per cessionem omnia debita exstingui, nisi condonatio domini expressa vel tacita adsit; sed 2° cessio bonorum a) iudicialis b) de debitis ex contractu solvendis, facta c) propter impotentiam veram et d) non graviter culpabilem, liberat pro semper a debitis restantibus solvendis, si e) lex civilis hoc statuit et f) in regione usus communis viget propter illam legem nihil amplius solvendi, etsi debitor postea ad meliorem fortunam pervenerit.

57. *Incerta* 1° *bona* a) a possessore bonae fidei occupari possunt, utpote res derelictae; b) a possessore malae fidei autem vel illo, qui cum dubia fide ea iam incepit possidere, occupari non possunt (nisi compositionem a Papa obtinuerit), quia bonum commune hoc non permittit, ideoque ab eo restituenda sunt vel causae piae vel pauperibus (etiam sibi, si pauper est). 2° A solvendis *debitis incertis* vero unusquisque excusatur, sive debita sint ex contractu sive ex delicto, quia obligatio ea solvendi probari non potest: domino solutio fieri non potest et bonum commune in hoc casu solutionem non exigit. Aertnys, Theol. mor. l. 3. n. 346, *q.* 2. Linzer Quartalschr. 1889, pag. 95—98.

58. *Praxis confessarii* circa casus restitutionis: 1° Si obligatio restituendi non est certa, poenitens ad restitutionem non est obligandus. Certa autem non est, si aliqua ratio solida vel sententia auctorum probabilis contra eam militat. 2° Poenitens, qui in bona fide est, i. e. invincibiliter igno-

rat, se ad restitutionem teneri nec cum certo fructu moneri potest, relinquendus est in bona fide sua, etsi obligatio restituendi certa sit: ne ex peccatore materiali formalis fiat. 3° Si obligatio certa seu supra omne dubium prudens est, nec poenitens in praedicta bona fide versatur vel saltem cum fructu moneri non posset, videndum est, an adsit causa a restitutione deobligans: scl. condonatio, quae saltem certo et rationabiliter praesumi possit — impossibilitas physica — duplo maius damnum in bonis fortunae vel grave damnum in fama vel bonis animae — cessio bonorum iudicialis de debitis ex contractu ex impotentia vera et inculpabili — compensatio mutua, scl. si creditor fere aequale damnum obligato intulit — si restitutio pauperibus fieri potest et poenitens ipse pauper est — donationes, quae post contractam obligationem factae sunt creditori aut pauperibus vel causae piae in casu, in quo restitutio pauperibus fieri potuit — si debita sunt incerta. 3° Si nulla causa excusans adest, poenitenti via et modus restituendi ostendi debent: e. g. diutius laborando — per fictam donationem sive inter vivos sive per legatum — per solutiones plures partiales — per solutionem saltem partis debiti — per eleemosynas, si restitutio pauperibus fieri potest — mediante confessario — parcius vivendo seu minores expensas faciendo creditori — aliquot missas legere et orare pro iam defuncto creditore, si haeredes pii sunt et consentire censeri possunt et restitutio difficilis est — si in utilitatem domini saepius plus laboravit, quam debuit.

II°.

1. *Ad validitatem* omnis contractus 3 requiruntur: 1° materia apta i. e. a) physice et moraliter possibilis, b) existens vel in re vel in spe probabili, c) licita, d) pretio temporali aestimabilis; 2° personae ha-

biles i. e. quae nec ex iure naturali nec positivo, sive divino, sive ecclesiastico sive civili inhabilis sint ad valide contrahendum; 3° consensus in obiectum saltem essentiale contractus isque a) internus et verus seu cum intentione se obligandi, b) plenus seu post plenam advertentiam, c) mutuus, scl. utriusque contrahentis, d) signo sensibili expressus et e) alteri contrahenti manifestatus. Cfr. pag. 396, n. 60.

2. *Error* 1° substantialis contractum reddit invalidum, sive antecedens, sive concomitans fuerit, quia deest consensus in substantiam contractus. 2° Error accidentalis, a) qui versatur circa accidens, quod fuit condicio sine qua non, etiam invalidat contractum, si condicio non fuit verificata, quia deest consensus in substantiam contractus, quum contrahens consensum suum in eam dependentem fecit ab existentia condicionis; b) omnis alius error accidentalis, etsi antecedens et etiam dolo causatus, non invalidum facit contractum (saltem bilateralem), quia de facto consensus adest. Tamen α) rescindibilis est contractus (excepto matrimonio, quod semel valide contractum solvi non potest voluntate contrahentium idque vi iuris divini positivi) ad arbitrium contrahentis, qui erravit, si error accidentalis fuit antecedens et dolo causatus ab altero contrahente (vel a tertio, praevie consentiente altero contrahente), quia hic iniuriam alteri intulit per deceptionem eius ideoque eius effectum, scl. contractum initum reparare seu removere debet, idque eo, quod eius rescissionem, si pars decepta eam vult, permittere debeat (cfr. pag. 136, n. 23); β) ne rescindibilis quidem contractus est, si error accidentalis fuit concomitans tantum, etsi dolo causatus, quia non est causa contractus, aut si antecedens quidem, sed non dolo causatus est nec ab altero contrahente nec a tertio cum praevio consensu alterius contra-

hentis, quia sic alter contrahens iniuriam non intulit; tamen γ) ad aequalitatem reducendus est contractus initus ex errore concomitanti et dolo causato, quia iniuria alterius saltem inaequalitatis causa est.

3. *Metus* 1° invalidum reddit contractum, a) si metuens ad evadendum malum imminens solum externe consensit, quia deest consensus internus, aut b) si metus usum rationis turbavit, saltem ita, ut metuens actus perfecte humani, scl. plenae advertentiae non fuerit capax, quia omnis contractus cum plena advertentia et pleno consensu iniri debet (cfr. pag. 90, n. 5; 158, n. 39). 2° Si autem metus usum rationis non turbavit et metuens etiam interne consensit, contractus (saltem bilateralis) est validus, etsi metus fuerit antecedens, et etiamsi iniuste incussus sit ab altero contrahente, quia consensus adest (excepto matrimonio et professione religiosa, quae vi iuris positivi ecclesiastici invalida sunt, si ex metu saltem relative gravi, iniuste incusso ab alio homine ad ea extorquenda facta sunt; cfr. pag. 323, n. 28). Est autem a) rescindibilis, si metus antecedens fuit et ad extorquendum contractum iniuste incussus ab altero contrahente (vel a tertio, praevie consentiente altero contrahente), quia hic iniuriam intulit alteri, cuius effectus eo removeri debet, quod contractus ad arbitrium contrahentis, qui metum passus est, rescindi possit. b) Ne rescindibilis quidem contractus est, si metus α) concomitans tantum fuit aut β) antecedens quidem, qui tamen vel a causa interna vel externa necessaria seu non ab homine incussus fuit vel ab homine quidem, non tamen ab altero contrahente (nec a tertio, praevie consentiente altero contrahente) vel ab altero contrahente quidem, tamen iuste vel saltem non in ordine ad contractum obtinendum, quia sic alter contrahens vel non est causa metus, vel non causa contractus vel non causa iniusta contractus.

4. Contractus unilateralis *gratuitus* ex errore antecedenti vel ex metu antecedenti iniuste incusso ab altero contrahente ad contractum extorquendum initus probabiliter est invalidus (ideoque certo ad nihil obligat), quia donatio vel promissio gratuita actus simpliciter, non solum perfecte voluntarius esse debet; cfr. pag. 12, n. 3 et 396, n. 61.
5. Contractus initus *sub condicione* sine qua non, saltem mentaliter ab uno contrahente explicite concepta, 1° de praeterito vel de praesenti, a) non valet (saltem in foro interno conscientiae, et neque in foro externo, si certo per testes probatur), si condicio non est verificata, qualiscunque demum fuerit, quia deest consensus; et hoc valet, etiamsi is, qui condicionem posuit, ignoret, condicionem non esse impletam vel erronee putet, eam esse impletam; b) si condicio autem impleta est, contractus valet, etsi eius verificatio ignoretur vel contrarium putetur, quia consensus adest. 2° Si condicio de futuro fuit, eaque a) suspensiva, contractus eo ipso tunc incipit valere, quando condicio impletur, quia tunc adest eo ipso consensus et quando haec non intrat, nunquam incipit fieri validus, quia nunquam adest consensus; b) si condicio de futuro resolutiva est, contractus eo ipso solvitur vel non solvitur, prouti ista condicio postea intrat vel non intrat (excepto matrimonio, quod intrinsece est prorsus insolubile).
6. Contractus initus sub condicione *turpi* obligat ex iure naturali ad rem alteri contrahenti promissam praestandam, si hic opus malum praestitit, quia valide suscipitur obligatio ad aliquid licitum alteri dandum pro eius actione illicita, quatenus haec promittenti utilitatem vel voluptatem praestat, quum haec pretio temporali aestimabilis sit.
7. Contractus initus *sub fine* iam tunc valet et dominium reale rei datae transfert, quando alter contrahens in finem rei sibi

datae consentit, imponit autem obligationem iustitiae, finem implendi, si dans eum ad finem implendum obligare voluit.

8. Si contractus initus est *sub causa* et haec causa falsa fuit, 1° contractus non valet, si causa est vel de substantia rei vel condicio sine qua non, cui condicioni aequivalet causa motiva unica vel unice principalis, 2° secus valet contractus, i. e. si falsa fuit solum causa impulsiva vel una ex causis motivis principalibus. Cfr. supra n. 2.

9. Omnis contractus bilateralis validus obligat ex *iustitia commutativa* et quidem sub gravi vel sub levi pro ratione materiae, de qua contractus fit.

10. Nullus contractus obligat ultra intentionem contrahentium; *includuntur* autem in contractu bilaterali oneroso ex eorum intentione, nisi expresse excludantur, ea omnia, quae ad eum pertinent: 1° ex communi sensu verborum, quibus usi sunt, et 2° ex communi praxi loci, in quo contractum ineunt, et 3° quae ex lege positiva ad eius valorem praescripta sunt. In dubio (positivo) standum est pro minimo.

11. *Iuramentum* validum, quo contractus initus firmatur, sequitur naturam contractus, ad quem confirmandum emissum est, quia accessorium sequitur naturam rei principalis, cui additum est.

12. *Promissio* est voluntas aliquid dandi vel faciendi cum intentione se obligandi ad rem dandam vel faciendam; sed merum propositum est voluntas aliquid dandi vel faciendi sine intentione se obligandi; hoc non obligat in conscientia.

13. *Ius reale* praevalet iuri personali circa eandem rem, quia fortius est.

14. Res uni iam valide *promissa* (sive homini, sive Deo), invalide quidem promittitur alteri, quia ad illicitum non potest suscipi obligatio, valide autem traditur alteri, etsi illicite, quia is, qui promisit, per promissionem rei non amisit ius reale in rem

suam, quod per traditionem rei transfert in alium; atqui ius reale praevalet iuri personali, quod ille habet, cui rem promisit.

15. *Promissio* onerosa ex iustitia, gratuita vero ex iustitia vel ex mera fidelitate obligat, prout promittens se obligare voluit ex iustitia vel ex fidelitate tantum; obligatio fidelitatis semper levis est.

16. Papa *ultimam voluntatem* defuncti ad causam piam factam potest ex iusta causa in alium usum convertere, quia res ecclesiae datae, post acceptationem eius bona ecclesiastica fiunt et Papa est supremus administrator bonorum ecclesiasticorum et causarum piarum.

17. *Donationes* sive a vivo sive a defuncto factae ad causam piam sine formalitatibus a lege civili praescriptis, certo validae sunt, modo de facto donationis certo constet (saltem per 2 testes), quia hae donationes iuri canonico subsunt, quod nullas formalitates ad earum valorem exigit.

18. ‚In ore 2 vel 3 testium stat omne verbum', seu Nemo tenetur credere *uni testi*.

19. *Voluntas defuncti*, si non certo de ea expresse constat, per praesumtionem eruenda est.

20. Pro ipso usu rei *mutuatae* nihil licet exigere, nisi adsit specialis titulus ad aliquid exigendum ultra rem eiusdem speciei iterum reddendam, quia usus rei primo usu consumtibilis a dominio directo in eam, quod per mutuum traditur, non distinguitur.

21 Nunc temporis *pecunia* aequivalet rei actu ex se frugiferae, quia facillime commutari potest cum rebus ex se naturaliter vel civiliter frugiferis, adhibendo eam ut medium negotii lucrativi ideoque pro mutuo pecuniario foenus exigi potest etiam tamquam pretium eius.

22. Deficiente pretio legali mercis, pretium eius vulgare est *pretium* iustum, quia valor rerum determinatur communi aestimatione hominum regionis.

23. Iniustitia est 1° *vendere* rem supra pretium legale vel summum vulgare, nisi adsit titulus specialis (speciale damnum, dilatio solutionis pretii, speciale periculum sortis, specialis utilitas vel voluptas vendentis) 2° aut emere infra infimum pretium vulgare, nisi venditor rem ultro vendendam offerat. Cfr. pag. 397, n. 64.
24. Iustitia *subhastationis* in eo est, ut ex parte emtorum et venditoris aequalis sit spes lucri et aequale periculum damni. Cfr. pag. 397, n. 65.
25. *Monopolium* iuris et illud monopolium facti, quod fit absque mediis iniustis et pretium statuit non supra summum, quod ante monopolium absque fraude adhibitum fuit, non est iniustum, est autem monopolium facti contra caritatem, si pro summo pretio res multis necessariae venduntur.
26. Operario diurno, qui operam suam alteri locavit, *merces* familialis solvenda est, quia haec sola valori laboris respondet, quum labor a natura ad id destinatus sit, ut homo, qui non aliunde habet, unde vivat, per eum sibi et suis possit ac debeat mediocrem sustentationem acquirere (victum, vestitum, habitationem, institutionem, liberorum, media pro consuetis casibus morborum et periculorum et senectute) et omnis homo ius habeat matrimonium ineundi.
27. Non licet esse membrum societatis *illegitimae*, seu quae ius existendi non habet, i. e. quae solum malum finem habet.
28. Ad *iustitiam:* 1° sponsionis requiritur aequalitas incertitudinis de re ex parte spondentium; 2° ludi: aequalitas spei lucrandi et periculi perdendi inter ludentes; 3° loteriae: proportio inter spem lucrandi rem per sortitionem et pretium solutum; 4° assecurationis: proportio inter quantitatem periculi et praemium, supposita potentia societatis; 5° operationum bursae: ut ludentes aut in re aut in spe probabili iam habeant, quod promittunt. Cfr. pag. 397, n. 66.

IX.

DE OCTAVO PRÆCEPTO DECALOGI

seu

DE MENDACIO, DETRACTIONE, CALUMNIA, IUDICIO TEMERARIO, CONTUMELIA ET SECRETO.

1. **Veracitas:** est virtus moralis hominem inclinans, ut conformet verba et signa sua menti suae.
2. **Fidelitas:** est virtus moralis hominem inclinans ad conformanda facta promissis suis.
3. **Mendacium:** est deliberata locutio contra mentem cum intentione audientem decipiendi.
4. **Simulatio:** est factum vel signum, deliberate positum, quod nec ex se nec ex circumstantiis aliter accipi potest nisi in sensu menti simulantis contrario; est vel formalis vel materialis, prouti fit cum intentione videntem decipiendi vel sine ea.
5. **Restrictio pure mentalis:** est locutio, quae nec ex se nec ex circumstantiis aliter ab audientibus intelligi potest, nisi in sensu difformi menti loquentis.
   Restrictio late mentalis: est locutio, quae ex sese i. e. ex sensu verborum communi menti loquentis difformis quidem est, tamen a prudenti auditore ex circumstantiis in sensu menti loquentis conformi intelligi potest.
6. **Amphibologia:** est usus verborum ambiguorum, i. e. quae iam ex sese diversa significare possunt.
7. **Detractio:** est narratio defectus vel peccati veri alterius, sed occulti, cum praevisione denigrationis bonae famae proximi i. e. bonae aestimationis communis vel multorum loci. Est vel iusta vel iniusta,

prouti fit ex iusta causa vel sine iusta causa; directa et indirecta, prouti fit cum intentione nocendi famae bonae proximi vel absque tali intentione.

8. **Calumnia:** est narratio defectus vel peccati falsi de proximo, scienter facta.
9. **Susurratio:** est detractio aut calumnia sparsa inter amicos ex intentione discordiam seminandi inter eos.
10. **Crimen occultum et publicum:** crimen est occultum, quod non est publice notum saltem in loco, in quo delinquens nunc est, neque notum fiet. Publicum: quod est publice notum. Publicum crimen aut publicitate facti aut publicitate iuris publicum est. Publicitate facti: quod de facto omnibus in loco vel saltem multis notum est (e. g. inter mille: 20 dispersis) aut quod commissum est in exercitio muneris publici; hoc est absolute publicum, si communitas, in qua notum est, patens est; relative publicum: si est clausa. Iuridice publicum est, si de eo constat per sententiam iudicis.
11. **Iudicium temerarium, suspicio, dubitatio et opinio temeraria:**
    Iudicium: temerarium est iudicium de peccato alterius firmum, i. e. sine formidine errandi idque sine ratione sufficienti.
    Suspicio: temeraria est inclinatio mentis ad iudicium de peccato alterius sine ratione sufficienti.
    Dubitatio: temeraria est suspensio iudicii de peccato alterius sine ratione sufficienti.
    Opinio: temeraria est iudicium de peccato alterius sine ratione sufficienti, at non firmum sed cum formidine errandi.
12. **Contumelia:** est dictum vel factum vel omissio eius, quibus quis contemtum suum versus alterum, aliquo modo praesentem, exprimit.
13. **Secretum:** est res occulta et occulte servanda. Est triplex: naturale, promissum, commissum.

Naturale: est res, ad quam occulte servandam aliquis se non specialiter obligavit, sed quae ex natura sua occulte servanda est.
Promissum: si quis ad silentium de re aliis quidem occulta sibi autem iam aliunde nota servandum se obligavit per promissionem expressam.
Commissum: si quis rem occultam ignoranti eam revelat sub condicione expressa vel tacita, quod silentium servet et hic consentit in silentium (secretum privatum) aut si quis ex quasi-contractu ad silentium tenetur (secretum officiosum).

PRINCIPIA.

1. *Mentiri* sive verbis sive facto (simulari) nunquam licet, quia repugnat fini naturali sermonis et signorum ad alterum, qui est: manifestatio mentis nostrae ad alterum.
2. *Restrictione* 1° *pure mentali* uti nunquam licet, quia est mendacium, quum id, quod in mente retines et per quod verba tua menti tuae facis conformia, ab audiente etiam prudenti non potest cognosci ex circumstantiis; 2° licitum vero est per se, uti restrictione *late mentali* (a fortiori amphibologia) eamque, si necessitas exigit, etiam iuramento confirmare, si fit ex iusta causa (e. g. ad evitandum incommodum proprium vel alienum aut si ne possum quidem veritatem licite manifestare) et interrogans ius non habet, totam veritatem cognoscendi, nam non est mendacium, quia ipsa locutio exterior menti meae conformis est, quum id, quod in mente retineo et locutioni additum, eam menti meae conformem facit, ab audiente, saltem prudenti et circumspecto, ex circumstantiis intelligi potest, etsi forte difficile; et quod verum habeo, etiam iurare possum; cfr. pag. 22, n. 10.
3. Mendacium est laesio virtutis veracitatis; per se (i. e. mendacium non iuratum nec

damnosum alteri) est solum *leve peccatum*, quia ex se nunquam gravem deordinationem contra naturam continet.

4. Homo (etiam mortuus) ius strictum in *famam* suam bonam habet, et quidem absolutum in famam veram, et condicionatum in falsam i. e. si per detractionem bonum commune laederetur; nam bonum commune generis humani tum temporale tum spirituale exigit, ne occulta delicta vera detegantur sine iusta causa, quia secus multa et gravia inconvenientia orirentur.

5. *Detractio iniusta* et *calumnia* peccatum grave vel leve sunt, prouti per defectum narratum de alio, ei grave vel leve damnum infertur, quia virtus iustitiae commutativae, quam laedunt, in re gravi sub gravi, in re levi sub levi obligat. Cfr. pag. 397, n. 67.

6. Calumnia *specie* quidem differt a detractione, quia ad iniustitiam peccatum contra veracitatem addit, at haec malitia superaddita solum levis est. Detractiones et calumniae in diversis materiis factae specie non differunt, quia eandem famam bonam laedunt. Cfr. pag. 398, n. 68.

7. *Crimen* 1° iure *publicum* a) ubique licet revelare absque iniustitia, etsi oblivione deletum et emendatum sit, quia delinquens in materia iudicata a iudice privatus est iure in famam; b) contra caritatem autem est tale crimen oblivione deletum et emendatum sine iusta causa et in damnum emendati revelare. 2° Crimen solo facto, sed absolute publicum a) *in loco*, ubi sic publice notum est, α) absque iniustitia nescientibus revelari potest, si nondum oblivione deletum vel nondum emendatum est, quia tunc iusta causa adest revelationis, quum ad bonum commune conferat, ut unusquisque talis habeatur, qualem publice se exhibuit et exhibet; β) si autem oblivione deletum et emendatum est, iniustitia est illud revelare, nisi alia iusta causa revelationis adsit, quia in hoc casu

delinquens ius in famam iterum acquisivit et praedicta ratio boni communis non adest. b) In alio loco revelare, contra iustitiam est, si ille homo ibi bona fama gaudet, nisi notitia criminis brevi et iuste in illum locum perventura sit. Cfr. pag. 398, n. 69. 3° Crimen facto et relative tantum publicum extra communitatem non licet absque iniustitia revelare, quia delinquens bonam famam suam, qua extra communitatem clausam gaudet, non amisit per crimen in tali communitate commissum.

8. Alium 1° *inducere* ad iniuste et in re gravi detrahendum alteri, est grave peccatum contra iustitiam; 2° solum non impedire detractionem alterius, grave peccatum contra caritatem est, si detractio fit a) in re gravi, b) certo iniusta est et insuper c) absque gravi incommodo et d) certo impediri potest.

9. Bona fama per iniustam detractionem vel calumniam ablata *restituenda* est et damna alia temporalia ex eis orta et saltem in confuso praevisa reparanda sunt ex iustitia, dummodo laedens cognoverit iniustitiam narrationis suae, quia horum omnium causa efficax est, iniusta et theologice culpabilis; et quidem sub gravi et cum gravi incommodo (non autem cum multo maiore damno in fama propria vel bonis fortunae), famam: si damnum in fama illatum certo grave est, damnum aliud: si hoc grave est; si utrumque leve est, sub levi tenetur nec cum gravi incommodo.

10. *Iudicium temerarium* deliberatum in materia gravi, est grave peccatum contra iustitiam, quia unusquisque ius strictum habet, ne in ulla re malus iudicetur sine ratione sufficienti; sed opinio, suspicio et dubitatio temeraria peccata venialia sunt, quia non penitus auferunt de corde nostro bonam aestimationem proximi. Cfr. pag. 398, n. 70.

11. *Hominem ignotum* non teneris positive iudicare bonum, sed sufficit, ut eum non

positive iudices malum; item licitum est iudicare, eum posse esse malum et ideo tibi sic providere, ac si esset malus.

12. *Contumelia*, quae honorem alteri debitum notabiliter laedit, est grave peccatum contra iustitiam commutativam, quia unusquisque in honorem sibi debitum ius strictum habet; ideoque obligat etiam ad restitutionem honoris et ad reparanda damna ex laesione honoris theologice culpabili orta et in confuso praevisa, quia horum omnium iniuriosus est causa efficax, iniusta et theologice culpabilis.

13. Homo ius strictum habet in suum *secretum* i. e. in rem a se inventam ideoque non licet absque iniustitia secretum mediis iniustis explorare vel aliis manifestare vel uti notitia secreti iniuste acquisita vel secreti commissi.

14. *Secretum* 1° *naturale* ex iustitia sub gravi obligat, si ex manifestatione dominus grave damnum pateretur, secus est peccatum grave contra caritatem, si rationabiliter gravi tristitia afficeretur. 2° Secretum *promissum* per se ordinarie ex fidelitate ideoque sub levi tantum, et nonnisi per accidens sub gravi obligat, i. e. si ex manifestatione grave damnum domino oriretur. 3° Secretum *commissum* ex iustitia obligat, quia ex contractu oneroso servandum est, ideoque in re gravi sub gravi, excepto casu, in quo uni tantum revelatur sine ullo periculo, quominus hic ulterius rem evulgaturus sit neque hic praecise ille sit, cui committens rem celare vult; insuper secretum commissum consilii et officii etiam ob bonum commune servari debet.

15. *Secretum* a) naturale et promissum *licet revelare*, si sine gravi incommodo servari non potest aut si Superior de ea re interrogat; cfr. pag. 90, n. 6. b) Secretum commissum revelare licet, si revelatio necessaria est ad avertendum grave damnum vel commune vel committentis vel

tertii innocentis, quod committens illaturus est, quia committens non potest esse rationabiliter invitus; vel ad avertendum grave damnum proprium, quia nemo censetur cum tali incommodo se voluisse obligare, nisi expresse susceperit obligationem etiam pro hoc casu. Cfr. pag. 421, n. 119.

16. Quivis ius strictum habet in *literas suas*, utpote secretum eius; ideoque absque iniustitia aperiri non possunt, nisi adsit licentia vel scribentis vel adressati vel necessitas eas aperiendi.

B.

DE PRAECEPTIS ECCLESIAE.

1. **Abstinentia ecclesiastica:** est abstinentia a carnibus animalium mammalium, nisi in aqua ordinarie vivant, avium et partibus horum animalium (excepta pinguedine liquefacta), diebus ab ecclesia statutis.
2. **Ieiunium:** est duplex: naturale: quod est abstinentia ab omni cibo et potu; ecclesiasticum: est unica refectio plena intra 24 horas seu a media nocte usque ad mediam noctem.
3. **Parochus proprius:** alicuius fidelis: est ille parochus, in cuius territorio habet domicilium vel quasi-domicilium.
   Episcopus proprius: ratione domicilii: est episcopus illius dioecesis, in cuius parochia quadam fidelis habet domicilium aut quasi-domicilium.
4. **Tempus paschale:** est tempus, quod ex iure communi se extendit a Dominica Palmarum inclusive usque ad Dominicam in Albis inclusive.
5. **Annus discretionis:** est tempus, quo puer iam distinguit inter bonum et malum, adeo ut peccati saltem venialis capax sit: communiter septennio completo.

6. **Index librorum prohibitorum;** est catalogus librorum periculosorum ab ecclesia prohibitorum, ne edantur, vel legantur vel retineantur.

Liber: est scriptum habens saltem 160 paginas, quae de una materia tractant, typis impressum et tantae molis, ut liber, non libellus censeatur.

Censura librorum: est duplex: praeventiva: consistit in eius examine; repressiva: est eius reprobatio. Approbatio libri est declaratio, librum legi posse absque periculo in fide et bonis moribus.

Liber obscoenus: qui saltem in maiore sua parte de obscoenis agit et quidem ad lectorem ad libidinem excitandum.

PRINCIPIA.

1. Sola *abstinentia* 1° praecepta est omni fer. VI^{a}, nisi incidat in diem festum vel in festum patrocinii, quod sollemniter et cum magno concursu populi celebratur. 2° Singulis comestionibus moraliter distinctis laeditur de novo et quidem graviter per comestionem materiae gravis (ultra 60 gram.). 3° Obligat post septimum aetatis annum completum.
2. 1° Nostro tempore fere ubique saltem haec valent: a) Ieiunium simul cum abstinentia servandum est: fer. IV^{a} et VI^{a} quatuor temporum et in vigiliis nativitatis Christi, singulis feriis VI. in Quadragesima, feria IV^{a} Cinerum, et ultimis 3 diebus hebdomadae sanctae. Si dies festus incidit in diem ieiunii (ut supra n. 1) ieiunium cessat. b) Solum *ieiunium*: Reliquis diebus Quadragesimae, exceptis dominicis, in vigiliis Pentec. ,Petri et Pauli, assumtionis B. M. V., Omnium Sanctor. et sabbat. quatuor tempor. 2° Praeter ientaculum (60 gr. in materia nutritiva) prandium (usque ad 2 horas) et coenam vespertinam (240 gr. vel

dimidia pars prandii) alia comedere usque ad plenam refectionem, grave peccatum est, si advertenter fit, sive una vice sive pluribus vicibus per comestiones in se parvas fiat. 3° Laeso ieiunio per secundam plenam refectionem sive inculpabiliter sive culpabiliter sumtam, lex ieiunii cessat, quia, laesa eius essentia, lex non potest amplius observari, manet autem obligatio abstinentiae, si etiam haec die ieiunii praecepta est, quia hoc praeceptum, quod diversum est a praecepto ieiunii (quantitas — qualitas ciborum) servari potest. 4° Obligat lex ieiunii post annum aetatis 21um completum usque ad inceptum 50um in feminis, 60um in viris. Cfr. pag. 398, n. 71—72.

3. ‚*Liquidum* non frangit ieiunium': scl. potus, qui ex usu regionis communi principaliter ad sitim pellendam vel iuvandam digestionem sumitur.

4. Qui dispensatus est ad carnes, non potest die ieiunii licite *in eadem refectione* etiam *carnes piscium* (i. e. animalis cum frigido sanguine) comedere; ille autem licite hoc facit, qui ab abstinentia excusatus est (e. g. ob aegritudinem).

5. Qui dispensatus est ad carnes, diebus ieiunii non potest licite *in collatione vespertina*, nisi vel a) adsit consuetudo in dioecesi, diebus, in quibus data est dispensatio ad carnes, etiam in collatione vespertina carnes comedendi, vel b) dispensatus ad carnes a ieiunio excusatus sit (a fortiori, si non dum subiectus est legi ieiunii) idque vi voluntatis Papae, nisi episcopus aliud statuerit.

6. Qui a ieiunio solum dispensatus est, non est eo ipso etiam ad carnes dispensatus.

7. Qui soluta eleemosyna summarium *bullae cruciatae* (a Julio II. anno 1509 Hispanis concessae) recepit, in territorio, cui concessa est, licite diebus ieiunii (paucis exceptis) carnes comedere potest.

8. Parochi (et quasi-parochi) ex consuetudine universali *dispensare* possunt parochianos suos a ieiunio, abstinentia et ad opera servilia diebus prohibitis, sed solum personas singulares et in casu particulari tantum.
9. Qui post septennium completum grave peccatum formale commisit, tenetur ex lege ecclesiae sub gravi intra annum *confiteri*, secus, si est peccator publicus et usque ad mortem impoenitens, privandus est sepultura ecclesiastica. Fieri autem potest confessio annua ex consuetudine iam universali apud quemlibet confessarium approbatum. Cfr. pag. 399, n. 74.
10. Qui ad usum rationis pervenit, ita ut saltem a pane communi panem eucharisticum discernere possit, sub gravi tenetur 1° ex iure divino-ecclesiastico saltem semel in anno (computando a paschate usque ad pascha) *eucharistiam sumere*, et 2° ex lege ecclesiastica id facere tenetur tempore paschali et quidem 3° in propria ecclesia parochiali, nisi sit impeditus ad eam accedere aut peregrinus vel vagus aut consuetudo contraria vigeat (quae nunc fere ubique adest), aut parochus consentiat in communionem alibi sumendam. Ergo qui tempore paschali sive culpabiliter sive inculpabiliter non communicavit, tenetur alio tempore per annum communicare. Cfr. pag. 399, n. 73.
11. Praecepto annuae confessionis et communionis non satisfit per indignam seu *sacrilegam* susceptionem horum sacramentorum, quia digna susceptio praecepta est; tenetur ergo talis fidelis denuo communicare.
12. *Librum* periculosum et ideo *ab ecclesia prohibitum* 1° ultra mensem in proprio suo cubiculo retinere vel in eo 3—4 paginas legere in parte graviter periculosa (pro fide vel bonis moribus) vel 30 paginas in parte non graviter periculosa, grave peccatum est, si id sine dispensatione et sine necessi-

tate fit. 2° Iterum edere talem librum est grave peccatum propter grave periculum multorum. 3° Librum omnino pravum, i. e. qui totus ex professo religionem vel bonos mores impugnat, edere (scribere, impressionem suscipere) vel vendere nunquam licet, ne ex necessitate quidem, quia est actio in se mala.

13. Librum non periculosum 1° sine debita *approbatione* edere, ordinarie non est grave. 2° Eum legere licet, si a) editus est absque approbatione ante annum 1897 (annus constitutionis Leonis XIII. ‚Officiorum ac munerum') nec ab ecclesia iam ante annum 1897 prohibitus, aut b) editus post 1897 absque praescripta approbatione quidem, qui autem *α*) neque versio est S. Scripturae in lingua vernacula neque *β*) liber vel libellus precum, devotionis vel doctrinae relig., moral., ascet. mysticae etc. neque *γ*) novas apparitiones, visiones, revelationes narrat.

14. Libri propter periculum, damnum patiendi in fide vel bonis moribus, *omnibus fidelibus* ab ecclesia *prohibiti* sunt: a) qui haeresim vel schisma propugnat vel fundamenta religionis (naturalis) evertit; b) obscoeni, nisi classici sint sive auctoris antiqui sive recentioris; hi post annum aetatis 25^{um} illis permittuntur, qui magistri vel scriptores vel iudices literarum sunt aut ad haec officia se praeparant; c) qui saepius vel in notabili parte detrahit B. M. Virgini vel Sanctis vel ecclesiae catholicae eiusque cultui vel sacramentis vel Papae; d) qui certam notionem inspirationis S. Scripturae vel eius extensionem certam argumentis allatis impugnat; e) qui saepius vel in notabili parte hierarchiam aut statum clericalem vel religiosum probris afficit; f) qui artem superstitiosam docet vel commendat; g) qui licentiam divortii perfecti vel duelli vel suicidii rationibus demonstrare conatur; h) qui

in magna parte sua probare conatur, societatem aliquam, quae contra ecclesiam vel societatem civilem machinatur, non esse perniciosam; i) qui errorem a S. Sede proscriptum tuetur; k) diaria, folia periodica et libelli periodici, si frequenter religionem vel bonos mores impugnant; l) imagines impressae Christi B. Mariae V., sanctorum vel angelorum, si occasionem erroris praebent vel propter venustatem ad libidinem provocant; m) libri precum etc. vel qui novas revelationes etc. narrant (vide n. 13), si non sunt approbati; n) liber auctoris non catholici, qui totus vel in magna parte sua de disciplina aliqua theologica tractat, nisi ante lectionem laico fideli constet, eum nihil contra fidem continere; o) versio S. Scripturae in lingua vernacula, etsi a catholico facta, nisi aut a S. Sede approbata sit aut ab episcopo approbationem et simul quoad res fidei et morum notas adiectas habeat desumtas ex SS. Patribus vel doctis et catholicis scriptoribus; illis autem, qui studiis theologicis vacant, quaelibet editiones S. Scripturae cuiuslibet auctoris permittuntur, modo nullum dogma ne obiter quidem impugnent nec in prolegomenis nec in adnotationibus. Cfr. pag. 399, n. 77.

15. *Lectio* alicuius scripti potest esse *prohibita sub peccato* 1° ex lege ecclesiae tantum, i. e. si legenti nullum periculum creat nec in fide nec in bonis moribus, tamen ab ecclesia scriptum prohibitum et legens nec dispensatus nec ob necessitatem excusatus est; 2° ex lege naturae et divina positiva tantum, si scriptum ab ecclesia non est prohibitum quidem, tamen eius lectio legenti periculum creat in fide catholica vel in bonis moribus: si proximum periculum gravis damni in fide vel bonis moribus affert, quod quis aut sine gravi causa excusante subit aut non remotum facit adhibendo cautelas vel non

potest remotum facere, grave peccatum est; si remotum periculum gravis vel proximum levis damni creat, quod non excusat causa rationabilis, leve peccatum est; 3° ex lege naturali et divina positiva et ecclesiae, si lectio tum periculum creat legenti, tum ab ecclesia prohibita est et legens neque dispensatus est nec excusatus ad licite legendum.

16. Ubi pastor animarum de *collectis fidelium* vivit, parochianus, qui pro suis facultatibus non contribuit ad sustentationem pastoris, quamvis sine gravi incommodo posset, graviter peccat, si pastor ideo eget aut ceteri fideles inde nimis gravantur.

17. Qui sciens prohibitionem ecclesiae nihilominus voluit vel mandavit, ut eius *cadaver concremetur* et in hac voluntate certo et notorie usque ad mortem libere permansit, privandus est sepultura ecclesiastica.

C.

DE PRAECEPTIS QUIBUSDAM PARTICULARIBUS.

1. **Competentia iudicis:** est iurisdictio iudicis in causam et personam iudicandam.
   Causa civilis et criminalis: causa civilis est, in qua agitur de proprietate alicuius rei. Criminalis, in qua agitur de poena reo imponenda.
2. **Iudex iuratus:** est vir publica auctoritate assumtus, qui sub iuramento se obligat, se nunquam crimen rei affirmaturum esse, nisi sibi certo et ex intima persuasione constet de crimine (cum culpa gravi theologica) commisso.
3. **Testis:** sciens in iudicio solum ille habetur, qui factum propriis sensibus percepit.

4. **Hypnosis:** est somnium profundum ab hypnotizante in alio causatum, quo hic sub influxu hypnotizantis constituitur, cui per aliquod tempus nolens volens oboedit tum in somnio tum post somnium in statu vigiliae.
5. **Clericus:** in sensu stricto est vir, qui saltem primam tonsuram habet; in sensu minus stricto seu persona religiosa est omnis persona servitio divino per auctoritatem ecclesiae deputata, praesertim si etiam aliquod votum habet, vel in communitate religiosa vivit. Cfr. pag. 262, n. 24.

PRINCIPIA.

1. ‚Quod non est in actis, non est in mundo' scl.: *iudex iuris* iudicare debet non secundum scientiam privatam, sed iuxta allegata et probata et deinde sententiam ferre secundum legem, nisi certo iniusta sit, i. e. certo contra legem naturae vel divinam positivam. *Iudex facti* autem seu iuratus semper iudicare debet iuxta persuasionem suam intimam, quam sibi comparare debet tum ex actis et probatis, tum ex privatis notitiis, quas habet, ita ut absolvere debeat tum illum, qui ex actis non est probatus reus, tum illum, quem privata tantum scientia innocentem habet. Cfr. pag. 399, n. 78—79.
2. ‚In dubio favendum est *reo*' seu dubie criminosum i. e. de cuius crimine non certo constat, iudex absolvere debet, quia nemo licite privari potest aliquo iure, quod hucusque possidebat, nisi certo constet, eum privandum esse, quum in dubio melior sit condicio possidentis.
3. *Rem dubiam* i. e. cuius dominus dubius est, iudex illi tribuere debet, qui eam hucusque certo in bona fide possedit; si autem neuter litigantium certo possedit in bona fide, ei res tribuenda est, pro quo maior

probabilitas stat, eum esse dominum rei; si aequalis probabilitas pro utroque militat, iudex alterutri, cui vult, eam dare potest, si res dividi non potest, secus dividenda est inter ipsos.

4. ‚In dubio standum est pro superiore' i. e. si sententia iudicis in re civili non certo, sed *dubie iniusta* est, ei parendum est, usquedum certo eius iniustitia probetur, quia bonum commune hoc exigit, dummodo iudex competens fuerit et ordinem iudicialem a lege praescriptum in omnibus observaverit.
5. Iudex, 1° qui scienter vel ex graviter culpabili inscitia vel negligentia *sententiam falsam* tulit, damna inde secuta reparare debet, utpote eorum causa efficax, iniusta et theologice culpabilis, quia omnis civis ius strictum habet in sententiam iustam; 2° ad idem tenetur, si sententiam falsam inculpabiliter quidem tulit, tamen eam adhuc revocare potuisset sine gravi damno, et non revocavit.
6. Non licet iudici 1° *munera accipere*, etsi non pro sententia iudiciali, sed ex mera liberalitate oblata, nisi parva sint, quia haec munera iudices in periculum iniustae sententiae ferendae inducunt adeoque bonum commune in discrimen vocant et quia etiam lege positiva eorum acceptatio interdicitur; non autem restituere debet munera sic accepta, nisi post sententiam iudicis, quia haec lex positiva non est irritans, sed solum prohibens. 2° Munera accepta pro ipsa sententia obtinenda vel lata a) eaque iusta, iudex restituere debet, quia non solum illicite, sed etiam invalide ea accepit, quum pro re ex iustitia iam alteri debita, ab hoc nihil valide accepi possit; b) item munera accepta pro sententia iniusta adhuc ferenda, reddere debet, quia ei non licet id facere, pro quo munus accepit, c) retinere ea potest autem, si iniusta sententia iam lata est, quia est contractus sub

condicione turpi, qui validus fit condicione turpi impleta; cfr. pag. 167, n. 6.

7. Nemo tenetur 1° ex iustitia commutativa *delinquentem accusare*, nisi ex officio seu ex quasi-contractu ad hoc teneatur; 2° ex iustitia legali vero quivis ad hoc tenetur (vel testem facere) etiam cum gravi incommodo, si quis crimen certo commisit eiusque denuntiatio necessaria est ad damnum grave commune avertendum, quia bonum commune praevalet bono privato; 3° ex caritate tenetur, sed non cum gravi incommodo, si necessaria est ad damnum grave a tertio avertendum, quia caritas nos obligat proximo bonum procurare et damnum ab eo avertere, si commode fieri potest.

8. Nemo tenetur propter crimen commissum *seipsum accusare*, nisi ipse non solum occasio, sed vera causa eaque graviter culpabilis fuerit, cur innocens loco eius puniatur, modo damnum ipsius non multo maius quam illius innocentis sit. Cfr. pag. 162, n. 55.

9. Criminoso, etiam capto et etiam iudicialiter ad poenam iam damnato licet *aufugere* et ad hoc media honesta vel in se indifferentia adhibere, quia reo solum positiva resistentia contra vim ei iam illatam prohibita est, quum haec abstinentia reorum a positiva resistentia erga ministros iustitiae legalis ad bonum commune servandum sufficiat. Cfr. pag. 400, n. 80.

10. *Advocato* non licet absque iniustitia vel 1° defendere causam civilem certo iniustam vel 2° in causa iusta vel dubia mediis iniustis uti, vel 3° clienti sine eius consensu sumtus causare inutiles vel 4° partem adversam adiuvare vel 5° taxam exigere ultra usualem; secus ad restitutionem tenetur, si in his theologice et graviter culpabilis fuit.

11. *Testis* rite citatus 1° tenetur ex iustitia legali apparere et iudici legitime et iuridice, i. e. in ipso processu iudiciali iuxta statutum legis rite interroganti id testari

iuxta conscientiam suam, de quo interrogatur (non plus), nisi legitime excusetur, quo in casu ad omnia quaesita respondere potest: nescio. 2° Testis, qui in iudicio falsum dixit (i. e. contrarium ipsius rei, de qua agitur, non solum: nescio, nisi ex contractu ad verum testandum teneatur; cfr. pag. 173, n. 2) idque cum culpa theologica i. e. cum cognitione, se iniuste agere, tenetur ad reparanda damna alteri parti inde vere causata et saltem in confuso praevisa, tum si scienter vel ex graviter culpabili incuria vel inadvertentia falsum dixit, tum si in bona fide et inculpabiliter falsum dixit quidem, sed cum gravi culpa theologica testimonium suum non revocavit, quamvis sine gravi incommodo revocare potuisset; cfr. pag. 159, n. 43. 3° Excusatur a testando: a) qui factum ab homine fide non digno audivit; b) si delictum rei non fuit peccatum grave formale; c) qui solus novit illud vel si illicite in eius cognitionem pervenit vel si sub secreto commisso scit, nisi obligatio secreti cesset (cfr. pag. 176, n. 15); d) qui sibi vel cognatis suis grave damnum timet, nisi negato testimonio damnum commune vel privatum damnum alterius innocentis multo maius oriretur.

12. *Medico* 1° non licet absque gravi peccato, a) remediis vel operationibus illicitis uti; b) aegrotum, etsi consentiat, gravi periculo vitae vel sanitatis exponere, nisi hoc fiat ad aliud grave damnum vel incommodum corporale aegroti auferendum; c) turpia feminae sine necessitate vel manifesta utilitate inspicere; d) aegrotum in sua ignorantia de proximo periculo vitae relinquere, si eius monitio necessaria est vel ad damnum salutis aeternae ab eo avertendum vel (sed non cum gravi incommodo) ad damnum grave ab aliis avertendum; e) morientem pro toto tempore agoniae morphio usu rationis totaliter privare, quia ad talem privationem usus

rationis sola liberatio a doloribus non est sufficiens causa pro tempore mortis. Cfr. pag. 385, n. 12. 2° Medicus non solum illicite, sed etiam iniuste agit, utpote peccans contra contractum, si a) sine consensu aegroti saltem interpretativo *α*) remedium dubium vel minus probabile adhibet, ubi certum vel probabilius praesto est vel *β*) merum experimentum in eo facit cum periculo mortis vel sanitatis vel *γ*) aegroto expensas inutiles facit vel *δ*) ea aliis revelat, quae solum ex cura infirmi scit, nisi revelatio necessaria sit ad damnum grave a tertio innocente avertendum; b) si stipendium exigit ultra usuale, nisi expresse conventum fuerit de maiore stipendio.

13. Effectus *hypnoseos* (absque spiritismo factae) mere naturales sunt. Tamen non licet hominem, etiam cum eius consensu, hypnosi seu somnio profundo artificiali subiicere et suggestioni in somnio, propter pericula damni tum corporis tum animi inde sequentis, nisi fiat ad morbum nervorum liniendum (scl. ad quosdam effectus eius ad tempus removendos) vel ad fines scientificos, et cautelae adhibeantur.

14. .Ne clerici et monachi saecularibus negotiis se immisceant' scl. 1° clericis tum saecularibus tum regularibus, in ordinibus maioribus constitutis a) certo prohibita est per legem universalem ecclesiasticam emtio-venditio, quae certo est *negotiatio* stricte dicta, sive clericus eam per seipsum sive eam per alium exerceat. Cfr. pag. 147, n. 16. b) Emtio-venditio simpliciter industrialis certo licita est, modo industria honesta sit; habetur, si clericus rem emtam per seipsum labore personali immutat et maiore pretio vendit aut si rem sive solus sive cum sociis condominis emtione acquirit et solum fructus ex ea partos vendit, etsi totus labor per alios fiat. c) Utrum *α*) res emere et eas iterum vendere post immutationem

earum per industriam seu laborem aliorum, aut β) actiones a societate etiam stricte negotiatoria, solum emere et foenus ac dividendas annuas percipere: sit negotiatio stricte dicta per alium exercita, non est decisum, ideoque licitum est et a S. Sede permittitur, dummodo $\alpha\alpha$) non fiat cum bonis ecclesiae, sed bonis propriis clerici $\beta\beta$) finis societatis honestus neque suspectus sit; $\gamma\gamma$) periculum desit sive amittendi bona contributa, sive solvendi in casu impotentiae societatis; $\delta\delta$) clericus non se ingerat in administrationem societatis; $\varepsilon\varepsilon$) non ematur actio solum ex intentione, eam postea maiore pretio vendendi vel speculationem faciat cum actionibus suis in bursa pecuniaria; $\zeta\zeta$) paratus sit stare mandatis S. Sedis. Cfr. pag. 396 n. 63. 2° Iisdem clericis prohibitum est, quominus in aliquo instituto pro bono temporali (licet non exclusive) fidelium fundato munus suscipiant, quod *curas et pericula administrationis* pecuniarum secumfert, scl. directoris, administratoris, inspectoris, secretarii, thesaurarii, etc. Ab utraque lege solum licentia S. Sedis deobligat.

DE POENIS ECCLESIASTICIS.

1. **Poena ecclesiastica:** est privatio boni externi ab auctoritate ecclesiastica potestatem coactivam pro foro externo habente inflicta ob culpabilem transgressionem legis gravioris.

   Divisio: poenae dividuntur in ordinarias et extraordinarias, spirituales et temporales, ferendae et latae sententiae, vindicativas et medicinales.

   Ordinaria et extraordinaria: prouti mensuram communem non excedit vel excedit.

Ferendae sententiae: quae post transgressionem legis a iudice per sententiam condemnatoriam infligenda est.

Latae sententiae: quae ipso facto et momento transgressionis legis incurritur absque sententia iudicis condemnatoria. Sunt duplicis generis: aliae incurruntur ante, aliae demum post sententiam iudicis declaratoriam, delinquentem poenam incurrisse.

Vindicativa et medicinalis: Vindicativa ea est, quae per punitionem delinquentis principaliter intendit reparationem ordinis socialis externi, per crimen laesi. Medicinalis, quae principaliter tendit in emendationem delinquentis. Vindicativa et simul medicinalis est, si utrumque intendit; haec iterum est vel principaliter vindicativa et secundario medicinalis vel viceversa vel aeque principaliter vindicativa et medicinalis.

2. **Species poenarum ecclesiasticarum:** sunt 3: censurae, poenae vindicativae, poenitentiae.
3. **Censura:** est poena medicinalis, qua ecclesia christianum vivum et contumacem quibusdam bonis spiritualibus externis privat ad frangendam eius contumaciam; tres sunt species censurae: excommunicatio, suspensio, interdictum.
4. **Divisio:** censurae dividuntur in censuras a iure et ab homine statutas, in censuras ferendae et latae sententiae, in notorias et occultas, in episcopales et papales, reservatas et non reservatas; a Papa reservatae in illas, quas Papa episcopis et quas sibi ipsi reservavit; Papae reservatae sunt ei reservatae vel simpliciter vel speciali modo vel specialissime.

A iure et ab homine: prouti a Superiore per legem generalem stabilem statuitur vel solum per modum praecepti (temporanei), sive particularis seu pro persona aliqua singulari sive generalis seu pro omnibus.

Notoria: si delictum (cum condicionibus ad incurrendam censuram requisitis: 1°—3° in pag. 192, n. 6) ex quo censura oritur, publice notum est, sive de facto, eo quod in loco omnes illud sciunt et simul delictum in loco publico patratum est, sive iuridice i. e. per sententiam iudicis vel condemnatoriam vel declaratoriam aut ex actis publicis.

Occulta: si delictum, ex quo censura oritur, neque iuridice notum est neque in loco, ubi censuratus nunc versatur, de facto publice notum est neque fiet.

Episcopalis et papalis: prouti ab episcopo aut a Papa statuta est.

Reservata: reservata habetur, si a peccato et a poena censurae nemo absolvere potest nisi ferens, eius successor, eius Superior et ille, qui facultatem absolvendi accepit ab uno ex dictis. Reservata est duplicis generis: aut censura reservata est propter peccatum, i. e. absolutio a censura ideo reservata est, quia absolutio a peccato reservata est; aut peccatum propter censuram reservatum est, i. e. absolutio a peccato ideo reservata est, quia absolutio a censura reservata est. Vide pag. 263, n. 26.

Nemini reservata: si absolutio a peccato et a censura pro utroque foro dari potest ab omni simplici confessario approbato (tum intra tum extra confessionem).

Papae simpliciter reservata: a qua absolvere potest, qui a Papa accepit facultatem generalem absolvendi a censuris papalibus reservatis.

Papae speciali modo reservata: ad cuius absolutionem non sufficit generalis facultas absolvendi a censuris papalibus reservatis, sed specialis facultas requiritur.

Specialissime: ad cuius absolutionem non sufficit facultas absolvendi a censuris papalibus speciali modo reservatis, sed

facultas specialis pro censura specialissimo modo reservata requiritur.

5. **Effectus censurae latae sententiae quoad forum:** est triplex: aut censuratus effectus eius subire debet tum in foro interno conscientiae tum in foro externo, aut solum in foro interno conscientiae aut solum in foro externo.

   Quinam censuratus vitandus? R. 1° qui a Papa vel alio iudice ecclesiastico nominatim et publice censuratus vel tamquam censura innodatus declaratus est; 2° qui clericum percussit, si percussio iuridice notoria est (excommunicatus). Alii censurati omnes sunt tolerati.

6. **Condiciones ad incurrendam censuram:** 1° in foro interno: sunt 5: a) actus externus prohibitus positus esse debet; b) ordinarie etiam effectus actus externi, propter quem actus prohibitus est, secutus esse debet isque completus; c) ut actus externus obiective grave peccatum sit, et d) subiective seu commissus fuerit cum plena advertentia et pleno consensu, et e) cum scientia censurae; scl. excusat ignorantia censurae, si est invincibilis vel vincibilis leviter culpabilis. 2° Ut incurratur in foro externo, requiritur insuper: ut 3 priores condiciones sint publice notae vel notorietate iuris vel facti; 2 posteriores vero a iudice praesumuntur, si delictum est notorium (a—c), usquedum contrarium probetur, nisi censura lata sit praecise in scienter vel ausu temerario agentes.

   Absolutio a censura: est sextuplex: pro foro interno, pro foro externo, ad reincidentiam, ad cautelam, ad effectum, condicionata.

   Pro foro interno: quae effectus censurae solum pro foro interno conscientiae aufert.

   Pro foro externo: quae eos aufert pro utroque foro.

   Ad reincidentiam: est absolutio sub condicione quadam ita data, ut si absolutus

postea eam non implet, iterum eandem censuram incurrat.

Ad cautelam: quae datur in dubio, an quis censuram incurrerit.

Ad effectum: quae datur tantum ad id, ut censuratus gratiam aliquam ei a Papa concessam valide accipere possit, alios vero effectus censurae non aufert.

7. **Excommunicatio:** est censura, qua homo christianus communione externa fidelium eiusque fructibus spiritualibus privatur.
8. **Excommunicatus vitandus et toleratus:** Vitandus in spiritualibus nec ipse cum fidelibus licite communicare potest nec fideles cum ipso. Toleratus ultro cum fidelibus in religiosis licite communicare non potest, sed fideles licite eum adire possunt, et sic ab ipsis rogatus licite communicare potest cum eis.
9. **Effectus excommunicationis:** sunt 7: privat 1° licita susceptione et administratione sacramentorum, 2° suffragiis seu precibus, quae a ministris ecclesiae nomine eius fiunt, effectibus sacramentalium et indulgentiis (excepto excommunicato occulto), 3° assistentia licita in officiis divinis i. e. in functionibus sacris, quae publice et sollemniter ab ecclesiae ministris in templo fiunt, 4° iurisdictione ecclesiastica (si est vitandus), 5° capacitate valide acquirendi beneficium ecclesiasticum vel rescriptum Papae, quo gratia aliqua vel potestas datur, 6° sepultura ecclesiastica (excepto excommunicato occulto), 7° potestate, actum aliquem in foro iudiciali ecclesiastico valide ponendi. Ad vitandum grave incommodum autem enumerata sub 1° et 3° etiam vitando licent.
10. **Suspensio:** est censura, qua clericus privatur exercitio potestatis, quam habet vel 1° ratione ordinis vel 2° officii vel 3° beneficii.

Divisio: dividitur in generalem et specialem, specialis in totalem et partialem; in sus-

pensionem, quae est censura seu poena medicinalis et in suspensionem, quae est vel poena vindicativa vel mera prohibitio non poenalis seu non propter culpam inflicta; in suspensionem latam in personam singularem et in totam communitatem; latae et ferendae sententiae; ferendae sententiae in suspensionem iudicialem et extraiudicialem seu ex informata conscientia.

Generalis et specialis: prior est suspensio ab ordine et officio et beneficio simul; posterior suspendit aut 1° ab ordine aut 2° ab officio aut 3° a beneficio tantum. Suspensio ab ordine (a divinis) privat licito exercitio potestatis ordinis; ab officio: privat exercitio iurisdictionis (si est vitandus: valido; si est toleratus: licito) et licito exercitio functionum sacrarum et pastoralium; a beneficio: privat potestate valide administrandi bona beneficii et fructus percipiendi ex eis.

Totalis et partialis: prout vel totaliter vel solum partialiter eum suspendit aut ab ordine aut ab officio aut a beneficio i. e. prout eum ab omni exercitio potestatis unius speciei privat vel solum ab hoc vel illo actu eius.

Iudicialis: quae fit praevia monitione, declarata causa et per sententiam iudicialem scriptam; contra eam datur appellatio.

Ex informata conscientia: quae fit extraiudicialiter ob causam episcopo notam absque praevia monitione; contra eam datur solum recursus. Alia patent.

11. **Suspensus vitandus et toleratus:** vitandus nec ultro nec rogatus a fidelibus functiones sibi prohibitas licite exercere potest; toleratus: non ultro quidem, attamen rogatus a fidelibus functiones sibi prohibitas licite exercet.

12. **Interdictum:** est censura, qua prohibetur 1° usus divinorum officiorum, 2° admi-

nistratio sacramentorum: eucharistiae (nisi sit viaticum), extremae unctionis (nisi moribundus confiteri non possit) et ordinis, 3° sepultura ecclesiastica.

Divisio: dividitur in interdictum, quod est censura et quod est poena vindicativa vel mera prohibitio; in locale, personale et mixtum; locale et personale in generale et particulare; dividitur etiam in totale et partiale.

Locale, personale, mixtum: prouti immediate locum afficit vel personas vel locum et personas simul.

Locale — generale et particulare: prouti vel integrum territorium vel determinatum locum territorii afficit.

Personale — generale et particulare: prouti in integram communitatem vel solum in unam vel plures personas fertur. Solum interdictum personale particulare est censura.

Totale et partiale: prouti prohibet officia divina, sacramenta et sepulturam ecclesiasticam aut solum unum ex hisce vel alterum.

Interdictus vitandus et toleratus: cfr. supra n. 5, 8, 11.

13. Quaedam censurae notatu dignae:

I. Excommunicationes:

1° Excommunicationem Papae speciali modo reservatam incurrunt:

a) apostatae a fide (atheistae, deistae, monistae, modernistae, indifferentistae theoretici, materialistae, pantheistae, rationalistae, liberi cogitatores), haeretici (e. g. catholici liberales, socialistae) malae fidei seu formales, etsi nulli sectae se adiungant, dummodo apostasia et haeresis sit externa; illi, qui hisce credunt, consensu suo exterius manifestato; eorum fautores, i. e.: qui positive vel negative cooperantur ad spargendos errores eorum; catholici contrahentes matrimonium coram ministro acatholico; parentes, qui educationem prolis in religione acatholica positive permittunt;

qui laudant vel approbant doctrinam haereticam. Cfr. pag. 361, n. 45.

b) scienter legentes, defendentes, imprimentes, retinentes (nisi sit bibliotheca publica) librum vel publicationes in fasciculos ligatas apostatae vel haeretici, in quo haeresis allatis argumentis propugnatur, vel librum, qui ab ipso Papa nominatim sub excommunicatione reservata prohibitus est. Cfr. pag. 401, n. 2.

c) schismatici, et illi, qui Papae oboedientiam in rebus spiritualibus denegant.

d) sacerdos, qui suum complicem in peccato turpi (quem sacerdos tempore absolutionis certo cognoscit ut suum complicem, et a quo tamquam sacerdos aliquando cognitus est) illicite absolvit i. e. vel 1° directe a peccato complicitatis, si hoc adhuc materia necessaria confessionis est, nisi id fiat in casu necessitatis, i. e. si poenitens complex (sive in periculo mortis sive extra illud) sine gravi damno spirituali vel sine gravi infamia sive propria sive sacerdotis vel periculo gravis scandali non potuit abstinere a confessione apud sacerdotem complicem instituenda, vel 2° absolvere fingit a peccato complicitatis, si est materia necessaria confessionis, vel 3° eum ab aliis peccatis absolvit, postquam eum directe vel indirecte induxit, ut peccatum complicitatis omittat, quod $\frac{1}{8}$ est materia necessaria confessionis. Haec censura est specialissime reservata. De peccato complicitatis vide infra pag. 265, n. 27; 283, n. 34; 401, n. 3—4.

e) impedientes exercitium iurisdictionis ecclesiasticae et pro hoc ad forum saeculare recurrentes; edentes leges contra libertatem et iura ecclesiae; impedientes promulgationem literarum S. Sedis.

f) quilibet, etiam privatus, qui personam ecclesiasticam ad tribunal iudicis laici trahit (nisi hoc licitum sit ob licentiam expressam a S. Sede vel episcopo datam aut ob consuetudinem ab ecclesia toleratam).

2° Excommunicationem Papae simpliciter reservatam incurrunt.

a) docentes vel defendentes aliquam propositionem a S. Sede sub excommunicatione damnatam (e. g. modernismi) aut licitum esse confessario, a poenitente nomen complicis directe seu formaliter et sub poena denegandae absolutionis exigere. Vide infra pag. 257, n. 14; 277, n. 19.

b) puberes, qui scienter personam religiosam iniuria reali gravi, graviter culpabili afficiunt, sive corpus sive libertatem sive honorem laedendo. Cfr. pag. 184, n. 5; 402, n. 5.

c) duellantes, serio et efficaciter provocantes ad duellum, illud serio acceptantes, etsi ex metu gravi acceptetur et duellum non sequatur; item patrini, testes, mandantes, assistentes, qui sua assistentia duellantibus animum addunt ad duellum, item principes et duces militares duellum non impedientes, dummodo duellum reipsa patratum sit. Cfr. pag. 107, n. 19.

d) qui scienter nomen dant vel favorem efficacem praestant societati, cuius 1° membra statuta occulta habent et ducibus occultis reguntur, et 2° cuius finis simul est eversio reipublicae vel ecclesiae (e. g. massonica, carbonaria, fenaniorum, nihilistica vel anarchistica), item non denuntiantes occultos duces talis societatis. Cfr. pag. 402, n. 6.

e) qui stipendia pro missis 1° manualibus colligunt, et parte stipendii retenta 2° eas celebrari faciunt pro minore stipendio et 3° reapse partem stipendii 4° sine licentia 5° in proprium lucrum sibi retinent. Vide pag. 239, 407, n. 32.

f) religiosi sollemniter professi administrantes extremam unctionem aut viaticum clericis saecularibus vel laicis sine licentia parochi proprii eorum saltem rationabiliter praesumta, nisi sint de eorum familia vel peregrini vel vagi aut adsit casus necessitatis i. e. infirmus sit in peri-

culo mortis et parochus non possit facile advocari. Vide pag. 262, n. 24.

g) qui aliquem ab excommunicatione Papae speciali modo reservata absolvit, quin habeat specialem facultatem, nisi 1° absolvendus sit in periculo mortis, aut 2° adsit alia vera necessitas eum absolvendi. Cfr. pag. 204, n. 15.

h) qui cum sollemni voto castitatis vel ordine maiore insigniti ineunt matrimonium (invalidum), et illi, qui cum his ineunt matrimonium, scientes, compartem habere votum sollemne castitatis.

3° Excommunicationem episcopo reservatam incurrunt:

a) qui mulieri aliquo tempore post copulam medium dant, quod ex natura sua abortum efficit, et cum unica intentione abortum efficiendi, dummodo abortus revera secutus sit; item mandantes abortum sive mulieri sive alteri, ut mulieri tale medium tradat, effectu secuto. Vide pag. 106, n. 8. 402, n. 7.

b) laici, qui stipendia pro missis manualibus vel ad instar manualium sibi a fidelibus data imminuunt vel eorum loco aliquid aliud tradunt vel ea non sacerdoti tradunt, qui missas legat sive per seipsum sive per sacerdotes sibi subditos, vel qui pro missis, quas ipsi ad propriam suam intentionem legendas petunt vel quae iam lectae sunt, frequenter loco pecuniae alias res vendunt in subsidium commercii. Cf. pag. 239.

c) rei simoniae realis vel confidentialis in beneficiis quibuslibet.

4° Excommunicationem nemini reservatam incurrunt:

a) rectores locorum sacrorum vel religiosorum (cfr. pag. 80), qui bona vel immobilia vel mobilia pretiosa (valoris 500M = 125 D) ad ea pertinentia sine licentia S. Sedis (episcopi in casu repentinae necessitatis) alienant i. e. eorum dominium directum

vel utile contractu ex utraque parte perfecto in alium transferunt aut ea onerant (nisi id fiat ad triennium tantum), et qui ea scienter sic recipiunt. Cfr. pag. 402, n. 8.

b) a sacerdote sollicitatus ad turpia in confessione vel occasione confessionis eumque scienter et sine causa excusante non denuntians episcopo loci intra mensem a die cognitae obligationis. Cfr. pag. 265, n. 28; 285, n. 36; 282, n. 31.

c) auctor, typographus editor, qui edunt sine approbatione episcopi S. Scripturam aut commentarium vel adnotationes in eam. d) contradicentes iis, quae in decreto „Lamentabili" et constitutione „Pascendi" Pii X. 1907 continentur contra modernismum.

II. Suspensiones:

a) qui ordinem suscipit ab alieno episcopo sine literis testimonialibus episcopi proprii, incurrit suspensionem ab exercitio ordinis sic suscepti episcopo proprio reservatam. Cfr. pag. 402, n. 13.

b) suspensionem a divinis Papae simpliciter reservatam incurrunt sacerdotes, qui aliquid faciunt ex dictis sub I 3° b.

14. Cessatio a divinis: est mera prohibitio clericis facta celebrandi missam, administrandi sacramenta et peragendi divina officia in determinato aliquo loco sacro ob enorme et publicum crimen in eo loco commissum, in signum tristitiae et ad reparandam iniuriam.

15. Poenae vindicativae: aliae sunt pro laicis et clericis, aliae pro solis clericis. 1° Pro utrisque: a) infamia ecclesiastica, b) privatio sepulturae ecclesiasticae, c) privatio quorundam iurium et privilegiorum, uti vocis activae et passivae, d) poenae temporales: mulcta pecuniaria, correptio publica, monitio canonica, e) cessatio a

divinis. 2° Pro clericis tantum: a) poena carceris, b) privatio fructuum beneficii, c) translatio in deterius beneficium, d) privatio beneficii, e) privatio tituli servitii dioeceseos, f) depositio, g) degradatio.

Depositio: est poena vindicativa, qua clericus ob enorme crimen privatur omni exercitio ordinis, omni iurisdictione, omni officio et beneficio (ideoque etiam titulo sustentationis in ordinatione ab ecclesia ei dato) idque in perpetuum, relicto solo privilegio fori et canonis ac iure ad sustentationem ab ecclesia accipiendam (i. e. titulo sustentationis necessariae ad vitam).

Degradatio: est depositio clerici coniuncta cum privatione omnium privilegiorum status clericalis (ideoque etiam omnis tituli sustentationis) ob atrox crimen. Reliqua patent.

PRINCIPIA.

1. ‚Poena sequitur *culpam*', i. e. ubi nulla culpa commissa est, poena non incurritur
2. *Ignorantia* 1° legis et poenae ecclesiasticae certo excusat ab omni poena ecclesiastica incurrenda, sive ignorantia antecedens sive concomitans fuerit, quia vel omnis culpa deest: si ignoravit, se male agere, vel saltem culpa contra ordinem socialem: si saltem nescivit, id, quod facit, lege etiam ecclesiastica esse vetitum. 2° Ignorantia solius poenae: a) certo excusat (saltem pro foro interno; cfr. infra n. 3) ab incurrenda poena medicinali seu censura, modo non fuerit crassa, quia deest contumacia contra legem ecclesiae, quam censura frangere vult; etiam crassa ignorantia excusat, si censura expresse lata est in ‚temere', ‚scienter', ‚consulto' delinquentes, imo etiam affectata excusat, si lata est in ‚scienter' agentes. Sed b) ab incurrenda poena vindicativa: α) non excusat

ignorantia solius poenae. si poena est ordinaria, β) si autem extraordinaria est (talis censetur omnis poena latae sententiae) probabiliter excusat ignorantia invincibilis vel vincibilis et leviter culpabilis i. e. non crassa (cfr. pag. 15, n. 6). Tandem 3° ignorantia solius reservationis censurae reservatae non excusat ab incurrenda reservatione censurae iam contractae, quia reservatio censurae iam contractae poena vindicativa est eaque omnino ordinaria seu naturale consequens censurae a te iam contractae. Cfr. pag. 401, n. 1.

3. Si quis delictum, cui censurae annexa est, commisit cum ignorantia censurae, a) censuram non quidem *in foro interno*, sed tamen b) *in foro externo* incurrit, adeoque absolutione a censura pro foro externo indiget, si delictum est notorium, quia in foro externo praesumitur scientiam censurae adfuisse, quousque ignorantia non certo probatur; c) solum si censura lata est in ‚scienter' vel ‚temerarie' agentes, etiam scientia censurae a delinquente habita notoria esse debet, ut censura etiam in foro externo incurratur.
4. Si quis legem, cui censura annexa est, ex *metu* gravis damni transgressus est, censuram non incurrit, si damnum grave eum ab illa lege, saltem quatenus ecclesiastica est, excusavit, quia vel generatim nulla culpa adfuit vel saltem contumacia contra legem ecclesiae defuit; imo etiam metus levis excusat ab incurrenda illa censura, quae lata est in ‚temere' vel ‚sponte' agentes.
5. Leges, quarum transgressioni poena annexa est, sunt *strictae interpretationis*, utpote res odiosae.
6. ‚Quot transgressiones, *tot poenae*', i. e. 1° ex tot titulis aliquis poenam eandem incurrit, a) quot crimina commisit, specie distincta, quorum cuilibet poena eadem annexa est sive per plures diversas leges sive per unam; b) quoties idem crimen

sub poena eadem prohibitum commisit; 2° tot diversas poenas aliquis incurrit, quot leges laedit sub diversis poenis statutas.

7. *Impuberes* non subiacent censuris, excepta excommunicatione propter ingressum in monasterium monialium claustralium i. e. quae habent clausuram papalem. Cfr. pag. 263.

8. ‚Ubi delictum, *ibi iudex*', i. e. ratione delicti delinquens subiicitur iurisdictioni iudiciali et coactivae Superioris illius territorii, in quo delictum commisit, etsi eius subditus non sit, sed peregrinus, ideoque ab eo puniri potest poena infligenda per sententiam particularem.

9. ‚*Extra territorium* praecipienti impune non paretur; scl. 1° poena a) latae sententiae, quae lata est per modum legis vel praecepti generalis non incurritur a subdito existente extra territorium sui Superioris, qui eam statuit, neque b) poena a Superiore in subditum suum extra eius territorium existentem ferri potest propter delictum extra eius territorium commissum, neque c) Superior extra suum territorium existens in subditum suum poenam ferre potest per sententiam iudicialem sine licentia episcopi loci, in quo est; cfr. pag. 33, n. 4. Sed 2° poena a) latae sententiae a Superiore subdito suo imposita per modum praecepti particularis ipsi dati incurritur a subdito, etsi extra territorium Superioris existat; item b) in eum poena a Superiore in suo territorio existente ferri potest etiam per sententiam iudicialem propter delictum prius in eius territorio commissum; insuper c) semel censuratus, ubique censuratus manet, i. e. a Superiore suo censuratus, censuram observare debet, etiamsi extra eius territorium versetur vel etiam eius subditus esse desinat, quia omnis censura semel contracta sola absolutione tolli potest.

10. Poena 1° *ferendae sententiae* non incurritur, nisi post sententiam iudicis condem-

natoriam et huic sententiae praecedere debet saltem una monitio canonica cum spatio 6 dierum, nisi necessitas aliud suadeat. Poena 2° *latae sententiae* autem per se incurritur iam ante omnem sententiam condemnatoriam, imo etiam declaratoriam, sed, si per eam delinquens iure aliquo iam acquisito privatur, cuius privatio sine actione Superioris executioni dari non potest, per se incurritur demum post sententiam iudicis declaratoriam.

11. Ab observatione censurae *excusat* grave incommodum proprium vel alienum, quia leges ecclesiasticae prohibentes non obligant cum tali incommodo.

12. Censura semel contracta non aufertur per emendationem censurati vel eius mortem neque per mortem censurantis, sed solum per *absolutionem*.

13. Absolutio 1° pro foro interno sufficit, si censura contracta est solum pro foro interno aut pro foro etiam externo quidem, tamen censura non est reservata, licet notoria, et de absolutione pro foro interno accepta publice constat, quia tunc etiam pro foro externo valet. 2° Absolutio pro foro externo requiritur, si censura pro foro externo contracta est, excepta censura non reservata, licet notoria, de cuius absolutione pro foro interno data publice constat. 3° Si confessarius potestatem a censura absolvendi pro foro interno tantum habet et censuratus eam incurrerat in utroque foro, absolutio non valet pro foro externo seu absolutus se ad extra gerere debet tamquam censuratum.

14. Absolutio a censura 1° valide et licite etiam extra sacramentum poenitentiae dari potest; item 2° ut valide detur, sufficit solus actus voluntatis signo sensibili manifestatus absque certa formula, sed 3° ut licite fiat, determinata formula requiritur et quidem pro foro interno formula con-

tenta in forma rubricali absolutionis sacramentalis, pro foro externo autem specialis formula in Rituali (tit. 3 c. 3).

15. Quilibet sacerdos 1° constitutum *in periculo mortis* vi potestatis a Trident. sibi datae directe absolvere potest ab omnibus censuris quibuslibet et quidem a) absque ulla alia obligatione moribundo imponenda, si censura Papae non est speciali modo reservata; si autem b) Papae speciali modo reservata est, ei obligationem imponere debet, ut, si convaluerit, vel confessarium privilegiatum adeat pro nova absolutione obtinenda ab eadem censura, vel ad S. Sedem recurrat sive per seipsum sive per alium ad mandata accipienda; quae obligatio gravis et intra mensem implenda est, si observatio possibilis est, idque sub poena reincidentiae. Imo 2° quilibet confessarius approbatus etiam poenitentes extra periculum mortis, in casu urgenti directe absolvere potest ab omnibus censuris papalibus etiam speciali modo reservatis, attamen in hoc casu poenitenti praedictam obligationem imponere debet tum, si censura speciali modo, tum, si simpliciter tantum Papae reservata est.

16. *Confessarii regulares* absolvere possunt a censuris papalibus episcopis reservatis, nisi episcopus dioeceseos talem censuram iterum sibi reservaverit.

17. In dubio (positivo) sive iuris sive facti, an quis censuram revera incurrerit vel non, ecclesia omni confessario approbato *supplet* potestatem absolvendi, si forte poenitens revera censuram contraxit ideoque absolutione indiget.

18. Censurae latae sententiae, quae *hodie ad huc vigent* pro tota ecclesia, sunt: 1° quae continentur in constit. Pii IX. ‚Apostolicae Sedis' (1869); 2° quae ab ipso Tridentino inflictae sunt; 3° quae a S. Sede post constit. ‚Apostolicae Sedis' latae sunt.

DE SACRAMENTIS.

A.

IN GENERE.

1. **Sacramentum:** est signum visibile a Christo institutum ad significandam et efficiendam sanctificationem hominum.
2. **Effectus sacramentorum:** sunt 3: 1° gratia sanctificans, 2° gratia sacramentalis, 3° character.
   Gratia sacramentalis: est ius ad gratias actuales ad obtinendum finem uniuscuiusque sacramenti proprium tempore opportuno accipiendas.
   Character: est signum quoddam spirituale animae impressum indelebile, quo haec Christo ut capiti vel duci vel pastori similis fit eiusque servitio specialiter deputatur vel ut membrum vel ut miles vel ut minister eius.
3. **Divisio:** sacramenta dividuntur in iterabilia et initerabilia, vivorum et mortuorum, characterem imprimentia et characterem non imprimentia, necessaria et non necessaria, formata, et informia.
   Iterabilia et initerabilia: prouti pluries valide suscipi possunt vel solum semel (bapt., confirm., ordo, matrimonium durante eodem coniugio et probabiliter extrema unctio in eodem periculo eiusdem morbi).
   Vivorum: quae sunt instituta ad dandum augmentum gratiae sanctificantis ideoque effectum habent tantum in iis, qui ea suscipiunt in statu gratiae.
   Mortuorum: quae sive principaliter sive saltem secundario instituta sunt pro illis, qui in statu peccati mortalis sunt.
   Characterem imprimentia vel non-imprimentia: prouti praeter gratiam sancti-

ficantem et gratiam sacramentalem etiam characterem imprimunt vel non imprimunt.

Necessaria et non necessaria: prouti ad salutem necessaria sunt vel non. Necessitas est vel medii vel praecepti tantum. Vide supra pag. 59, n. 2.

Formatum: quod in suscipiente gratiam sanctificantem revera produxit, quae est pulcherrima forma animae.

Informe: est sacramentum, quod valide quidem susceptum fuit, sed gratiam in suscipiente non produxit propter obicem i. e. propter defectum dispositionis ex voluntate Christi ad gratiam accipiendam necessariae, sive culpabilem sive inculpabilem.

Gratia prima et secunda: Gratia prima est gratia sanctificans infusa ei, qui ea caret. Secunda: est augmentum gratiae sanctificantis.

Efficacia sacramentorum ex opere operato: significat: ipsum ritum externum (in nomine Christi valide positum) esse causam gratiae, i. e. dignitate sua Deum movere ad gratiam conferendam, independenter a fide vel bonitate sive ministri sive suscipientis; boni actus suscipientis solum dispositiones necessariae sunt (excepto sacramento poenitentiae) ad id, ut causa gratiae transeat in actum secundum seu ut de facto gratiam vel uberiorem gratiam producat.

4. **Reviviscentia sacramentorum:** consistit in eo, quod sacramentum propter obicem informiter susceptum, postea, quando obex aufertur, i. e. dispositio necessaria acquiritur, gratiam illam producit, quam produxisset in actu susceptionis, si tunc obex non adfuisset.
5. **Partes essentiales sacramentorum:** sunt illa elementa, quae requiruntur ad valorem omnis sacramenti seu ad id, ut existat signum significans et efficiens gratiam; sunt 3: 1° materia, 2° forma, 3° minister

cum intentione faciendi, quod facit ecclesia Christi.

6. **Materia sacramenti:** est id, quod non plene et perfecte effectum sacramenti essentialem significat, sed per verba formae accedentia complendum est; est autem ordinarie res sensibilis, quae adhibetur in confectione sacramenti.

Quotuplex et? R. duplex: remota et proxima.

Remota: est ipsa res adhibenda.

Proxima: est eius usus et applicatio ad suscipientem.

7. **Forma sacramenti:** est id, quod materiam complet ad plenam significationem effectus essentialis sacramenti; sunt autem verba, quae minister in applicatione materiae dicere debet.

8. **Mutatio materiae et formae:** Quotuplex est? R. duplex: substantialis et accidentalis.

Mutatio materiae substantialis: si materia adhibita est alia res ac illa quam Christus instituit.

Mutatio materiae accidentalis: si materia adhibita est illa res, quam Christus instituit, tum in se tum secundum communem usum loquendi populi, et solum qualitas aliqua materiae mutata est.

Mutatio formae substantialis: si verba adhibita neque ex propria sua significatione neque apud audientes illum sensum habent, quem verba a Christo instituta habent.

Mutatio formae accidentalis: si saltem audientes et adstantes verba ministri in eo sensu intelligunt, quem verba a Christo instituta habent.

Error ministri circa formam sacramentorum: est falsum iudicium eius circa veritates in forma alicuius sacramenti expressas. Est duplex: vel obiectivus: si minister propter errorem suum formam ipsam substantialiter mutavit; vel subiectivus: si verba eadem adhibuit, quae Christus instituit. Subiectivus iterum est

duplex: aut minister non habuit intentionem per verba formae id significandi, quod verba a Christo instituta ex se significant, aut est mere privatus: si habuit hanc intentionem.

9. **Unio materiae et formae:** Quotuplex est? R. duplex: physica et moralis.
   Physica: si minister simul incipit ponere materiam et proferre verba et simul utrumque finit vel saltem verba incipit proferre, antequam materiam totam posuerit, vel viceversa.
   Moralis: si unum post aliud ponitur, ita tamen, ut adstantes et audientes intelligant, verba pertinere ad talem materiam et viceversa.
10. **Interruptio formae:** est interpositio aliorum verborum vel alicuius actionis extraneae inter verba vel syllabas verborum formae; est duplex: vel destruit unitatem sensus vel non, prouti audientes non amplius intelligere possunt, subsequentia pertinere ad praecedentia, vel hoc adhuc intelligunt.
11. **Minister sacramenti:** est ille, qui ponit materiam et formam cum intentione faciendi id, quod facit ecclesia. Distinguitur minister ordinarius et extraordinarius, consecratus et non consecratus, validae et licitae, sollemnis et privatae, dignae et indignae seu sacrilegae confectionis.
    Ordinarius: qui omnibus petentibus sine speciali licentia alterius quavis occasione sacramentum valide et licite administrare potest.
    Extraordinarius: qui solum in casu necessitatis et ex speciali commissione ministri ordinarii illud licite administrare potest.
    Consecratus et non consecratus: prout ab ecclesia ad sacramentum conficiendum vel administrandum specialiter deputatus vel etiam unctus est aut non.
    Validae confectionis: si ea adsunt, quae ex institutione Christi requiruntur ad valorem sacramenti, tum ex parte materiae

et formae, tum ex parte ministri, tum ex parte subiecti suscipientis. Si quidquam horum deest, nullum seu invalidum est sacramentum.

Licitae confectionis: si praeter ea, quae ad valorem sacramenti requiruntur, ea quoque observantur, quae in eius confectione et administratione vel a Christo vel ab ecclesia praecepta sunt.

Sollemnis seu **publicae et privatae:** prouti 1° a ministro ecclesiae, 2° consecrato, 3° cum omnibus caeremoniis ab ecclesia praescriptis fit vel non ita.

Dignae et indignae: prout minister est in statu gratiae vel non.

12. **Intentio ministri:** est actus voluntatis, quo minister sacramentum conficere vult. Ratione actus distinguitur: actualis, virtualis, habitualis; vide supra pag. 13. Ratione obiecti: clara et confusa, determinata et indeterminata, explicita et implicita. Ratione modi: absoluta et condicionata.

Clara et confusa: prouti natura et effectus sacramenti distincte cognoscuntur et intenduntur vel non.

Determinata et indeterminata: Determinata: in qua minister certam personam explicite vel implicite determinat, cui velit dare sacramentum (et in eucharistia: quamnam materiam consecrare velit). Indeterminata: si minister haec nec explicite nec implicite determinavit.

Absoluta: si intentionem suam, sacramentum conficiendi, a nulla circumstantia et a nullo eventu dependentem facit.

Condicionata: si sacramentum conficere vult tantum, si aliqua circumstantia vel aliquis eventus verificatur. Alia patent.

13. **Rubricae:** sunt praescripta ecclesiae, quae referuntur ad convenientem modum conficiendi et administrandi sacramenta et sacramentalia, dicendi missam, recitandi

breviarium et habendi functiones alias liturgicas.

Divisio: dividuntur in rubricas Missalis, Pontificalis, Ritualis et Breviarii; in rubricas directivas, quae non obligant sub peccato (e. g. illae, quae referuntur ad preces et ritus ante et post missam servandos), et praeceptivas, quae obligant sub peccato, vel gravi vel levi pro ratione materiae. S. Alph. l. 6, n. 399.

14. **Parochus:** est ille, cui pro certo territorio cura animarum universa, independens et propria i. e. nomine proprio exercenda a legitimo superiore ecclesiastico commissa est; est duplex: parochus in sensu stricto seu canonico et quasi-parochus seu in sensu non stricto.

Parochus in sensu canonico: est ille, cui 1° pro territorio canonice circumscripto 2° cura animarum universa, independens et propria et 3° ad vitam commissa est 4° cum iure a) ad vitam dato b) vivendi de fructibus c) alicuius capitalis sive mobilis sive immobilis, quod in dominio ecclesiae et d) in perpetuum ad id destinatum est, ut parochus pro tempore fungens inde sustentationem percipiat.

Quasi-parochus: habetur, quando aliquid horum deest, dummodo curam habeat animarum universam et independentem in certo territorio.

15. **Simulatio sacramenti:** est positio partis essentialis sacramenti omissa alia parte essentiali, facta cum praevisione deceptionis aliorum, qui putant sacramentum confici. Est duplex: formalis et materialis: prouti deceptio aliorum praevisa intenditur aut non intenditur.

16. **Dissimulatio sacramenti:** est positio actionis non sacramentalis cum praevisione, alios falso putare sacramentum confici, quin tamen haec deceptio intendatur.

17. **Subiectum sacramenti:** est ille, cui applicatur materia et forma sacramenti (excepta eucharistia). Distinguitur subiectum validae

et licitae, dignae et indignae, fructuosae et infructuosae susceptionis.

Validae: si omnia adsunt, quae ex institutione Christi requiruntur ad valorem sacramenti; secus totum sacramentum est nullum.

Licitae: si suscipiens ea quoque observat, quae praeter requisita essentialia ei praecepta sunt pro susceptione sacramenti, sive a Christo sive ab ecclesia.

Dignae: si illam animae dispositionem habet, quae ex institutione Christi requiritur ad id, ut sacramentum effectum suum saltem essentialem in ipso producat.

Indignae seu **sacrilegae:** si hanc dispositionem non habet; hoc potest fieri aut culpabiliter i. e. si scit, eam sibi deesse vel de eo positive dubitat, aut inculpabiliter, i. e. si de hoc defectu non cogitat.

Fructuosae et infructuosae: prouti subiectum dispositione ad effectum seu gratiam sacramenti percipiendam necessaria gaudet vel non gaudet.

Incapax et indignus: sacramenti. Prior est ille, cui deest requisitum ad valorem sacramenti; posterior est ille, cui valide quidem sacramentum dari potest sed cui dispositio necessaria ad effectum sacramenti capiendum deest.

18. **Sacramentale:** est signum sacrum visibile ab ecclesia vi potestatis benedicendi et daemones expellendi institutum, quo per orationem ecclesiae varia bona tum spiritualia tum temporalia fidelibus conferuntur.

Divisio: dividuntur in actiones et res benedictas; actiones in benedictiones et exorcismos; benedictiones in constitutivas et mere invocativas, in reservatas et non reservatas; reservatae in illas, quae Papae vel episcopis vel certis ordinibus sunt reservatae.

19. **Actiones:** si immediate per actionem ministri effectus confertur.

Benedictiones: benedictio est oratio ecclesiae, qua movet Deum ad bona danda hominibus.

Constitutiva: per quam 1° res vel personae immutato earum statu vere sacrae fiunt et unice ad cultum divinum deputatae et 2° super has res vel personas insuper auxilium divinum imploratur. Est vel realis, si res vel persona oleo inungitur, vel verbalis, si solis verbis perficitur absque unctione.

Mere invocativa: qua solum auxilium divinum imploratur super personam vel rem, ut ex usu rei bonum aliquod homini obveniat vel malum a persona propulsetur, sed non immutato earum statu, ita ut sacrae non fiant.

Non reservata: quae a quolibet sacerdote valide conficitur et etiam licite, nisi sit de iure parochiali aut in aliena parochia sollemniter fiat i. e. cum 2 ministris, cum superpelliceo, stola, luminibus et imprimis cum concursu populi sonu campanae convocati.

Papae reservata: quam praeter Papam nemo alius valide conficere potest, nisi ab eo acceperit specialem facultatem.

Episcopis reservata: quam soli episcopi conficere possunt. Benedictiones episcopis reservatae duplicis generis sunt: aliae, ad quas valide conficiendas ne episcopus quidem simplicem sacerdotem delegare potest absque indulto apostolico, scl. benedictiones reales, item bened. abbatis et abbatissae, paramentorum sacerd., tabernaculi, pyxidis, bened. sollemnes imaginum vel crucis, collationem ordinum minorum; aliae, ad quas conficiendas episcopus iure ordinario simplicem sacerdotem delegare potest et quae absque eius delegatione illicite (extra casum necessitatis) quidem, sed valide fiunt.

Exorcismus: est adiuratio, qua daemoni imperatur, ut exeat a persona vel re aut saltem nocere desinat.

Divisio: est duplex: sollemnis et simplex. Simplex est vel publicus vel privatus.

Sollemnis: qui fit 1° a sacerdote 2° ad expellendum daemonem 3° ab homine obsesso vel circumsesso vel possesso, 4° cum speciali formula Ritualis Romani et 5° ex licentia episcopi loci.

Simplex publicus: qui fit 1° solum ad vim daemonis compescendam, ne rebus vel personis noceat, 2° peractus ab ecclesiae ministro (sacerdote ex disciplina nunc vigente), 3° nomine ecclesiae, 4° eiusque verbis.

Simplex privatus: qui fit a quolibet fideli nomine proprio quibuslibet verbis.

Circumsessio, obsessio, possessio per daemonem: Circumsessio: si diabolus hominem infestat ab extra ad intra. Obsessio: si in homine est et organo aliquo hominis ad arbitrium suum utitur. Possessio: si toto homine utitur ut instrumento suo ad modum animae, intacta tamen manente libera voluntate hominis, quam ad peccatum cogere non potest.

20. **Res benedicta:** si immediate per usum alicuius rei prius benedictae effectus confertur.

21. **Effectus sacramentalium:** (vi orationis ecclesiae) sunt 4: 1° gratiae actuales, 2° remissio peccatorum venialium (mediate, i. e. per bonos actus auxilio gratiae obtentae elicitos), 3° cohibitio daemonis, 4° bona temporalia.

PRINCIPIA.

1. Sacramenta sunt media ad obtinendam, conservandam et augendam *gratiam sanctificantem* et obtinendi auxilia Dei actualia ad officia religionis christianae rite exercenda, peccata vitanda, virtutes exercendas, cruces ferendas.
2. Sacramentum 1° baptismi certo *reviviscit* quia SS. Patres hoc docent; 2° poenitentia et eucharistia probabilissime non revivi-

scunt, quia saepius valide suscipi possunt; 3° alia sacramenta probabilissime reviviscunt, quia secus subiectum gratiis pro statu suo ordinariis careret, quum haec sacramenta semel tantum valide suscipi possint (sive absolute: confir., ordo, sive relative: matrim., extrema unctio).

3. ‚Sacramenta sunt propter homines' i. e. si dubitatur, an omnia adsint, quae ad valorem sacramenti conferendi requiruntur, 1° licitum est, sacramentum nihilominus conferre (sub condicione) seu *periculo nullitatis* exponere, si adest casus necessitatis, i. e. quando subiectum effectu aliquo necessario vel valde utile forte careret, si sacramentum ei absolute negaretur, quia Christus reverentiae ipsi debitae cedit propter utilitatem hominum, quum sacramenta principaliter ad homines sanctificandos, non vero ad Deum colendum instituerit. Sed 2° extra casum necessitatis non licet sacramenta exponere periculo nullitatis, quia hoc laedit reverentiam sacramentis et auctori eorum debitam.

4. Sacramentum *sub condicione* 1° tunc et tunc solum confertur, si dubium positivum adest, utrum omnia adsint necne, quae ad valorem sacramenti requiruntur sive ex parte ministri, sive materiae vel formae sive subiecti suscipientis. 2° Haec condicionata administratio licita est in casu necessitatis (cfr. n. 3) excepta consecratione, quia per condicionatam consecrationem periculum idololatriae induceretur; imo 3° debet fieri, si de sacramento ad salutem necessario agitur (bapt., absolutio pro peccatore moribundo, extrema unctio pro peccatore, qui confiteri non potuit); 4° extra casum necessitatis vel in dubio mere negativo de valore illicita est, quia materia et forma, quae solum ad sacramentum conficiendum a Christo instituta sunt, frustra proferuntur, quae gravis irreverentia est.

5. Non licet ministro sacramenti, intentionem suam, sacramentum conficiendi, dependentem reddere a re aliqua, quae *solum ad licitam confectionem vel administrationem* sacramenti requiritur, tamquam a condicione, sine qua non, quia ex tali condicionata confectione 1° sequeretur impossibilitas reviviscentiae sacramenti, si minister condicionem posuit: si dispositus es; 2° multa alia gravissima incommoda sequerentur, quum sic saepissime sacramenta invalide conferrentur, quin minister et fideles, qui ea susceperunt, hoc scirent.
6. Sacramentum initerabile ex toto *iterare*, 1° licitum, imo, si de sacramento necessario vel de bono religionis agitur, obligatorium est, si prior administratio vel certo invalida (iteratio absoluta) vel dubie valida fuit, modo dubium positivum seu rationabile sit licet parvum (iteratio condicionata), quia adest casus necessitatis, imo per sacramentum eucharistiae vel ordinis certo invalide vel dubie valide confectum etiam bonum commune religionis in periculum vocaretur. 2° Sacramentum initerabile certo valide collatum vel cum dubio mere negativo contra eius valorem iterare, est grave peccatum irreverentiae.
7. *Formam* sacramentalem iam prolatam voluntarie *repetere*: 1° propter solum dubium negativum, est peccatum irreverentiae grave vel leve, prouti tota forma vel sola pars eius repetitur; 2° si dubium est positivum, repetitio (condicionata, ut reverentiae consulatur) licita, imo debita est, si de sacramento necessario vel de bono religionis agitur.
8. *Materiam remotam* 1° *essentialem dubie validam adhibere* licitum est in casu necessitatis, ubi materia certa deest, quia in casu necessitatis licet sacramenta exponere periculo nullitatis; extra hunc casum non licet propter irreverentiam gravem, quae committeretur. 2° *Materiam*

mere praeceptivam sive remotam sive proximam, vel *formam mere praeceptivam* omittere in casu necessitatis, a fortiori non est peccatum, quia a praecepto positivo necessitas excusat; sed extra casum necessitatis voluntarie ea omittere, grave peccatum est, si aliquid notabile, leve est, si quid minoris momenti omittitur.

9. Forma, quae non est *vocalis* (cfr. pag. 310, n. 7, 1° e.) invalida est, utpote non sensibilis.
10. *Interruptio* formae, quae eius sensum destruit, sacramentum reddit invalidum, secus non.
11. *Mutatio* materiae vel formae: 1° substantialis invalidum reddit sacramentum, quia solum res et verba a Christo determinata virtutem habent significandi et efficiendi gratiam. 2° Accidentalis mutatio non irritat sacramentum, est autem, si voluntarie fit, peccatum irreverentiae, grave vel leve, prouti mutatio notabilis est vel non notabilis.
12. Ad valorem sacramenti requiritur, ut materia et forma *ab eodem ministro* ponantur, quia secus forma non esset vera (e. g. ego te baptizo).
13. Ad valorem sacramenti requiritur et sufficit *simultaneitas moralis* inter materiam et formam, quia unum quid sunt idque morale, non physicum.
14. Quae ad valorem alicuius sacramenti requiruntur, humano et *naturali*, non artificiali modo adesse debent, quia Christus sic voluit.
15. Ad valorem sacramenti in *ministro* 1° requiritur: a) potestas a Christo ei collata; b) intentio, non solum physice ponendi materiam et formam (intentio sic dicta externa) et (saltem implicita intentio) id significandi, quod forma significat, sed etiam intentio saltem implicita faciendi id, quod facit ecclesia vera Christi, quia materia et forma etiam ad alium finem, non sacramentalem adhiberi possunt et solum per intentionem ministri ad finem sacra-

mentalem ordinari possunt; eaque c) saltem virtualis, quia secus positio materiae et formae non esset actus humanus, qui vi voluntatis elicitae fieri debet; et d) saltem implicite determinata, quia secus pronomen personale (te) vel (in eucharistia) demonstrativum formae (hic, hoc) non esset verum, quippe quod certam personam vel materiam praesentem significet; eaque e) vel absoluta vel elicita sub condicione de praesenti vel praeterito eaque verificata, quia secus deest intentio seu voluntas ministri sacramentum conficiendi. Condicio de futuro, licet postea verificetur, invalidat sacramentum, quia tunc, quando materia et forma ponuntur, deest intentio ministri, et quando intentio adest, desunt materia et forma; cfr. pag. 403, n. 2. f) Attentio externa; cfr. pag. 77. 2° Non autem requiruntur ad valorem sacramenti in ministro: fides, status gratiae, attentio interna (actualis).

16. *Error ministri* circa veritatem per formam expressam 1° invalidum facit sacramentum: a) si minister propter errorem suum formam substantialiter mutavit, sive hoc fecerit aliquid addendo ad formam vel omittendo de ea vel corrumpendo in ea; b) si non habuit intentionem, id per formam exprimendi, quod haec significat, sed aliquid aliud. 2° Si vero hanc intentionem habuit neque formam substantialiter mutavit, validum est sacramentum.

17. Si forma a ministro adhibita aut verba ad formam ab eo addita, *ambigua* sunt, valor sacramenti ab intentione dependet, quam minister habuit: si per verba formae a se adhibita id significare voluit, quod verba formae a Christo instituta significant nec verba a se addita in sensu formae a Christo institutae contrario intellexit, validum est sacramentum, secus invalidum est.

18. Si vel minister vel suscipiens *duas intentiones sibi contrarias* habuit (sive ex-

plicite sive implicite: conficiendi — non conficiendi; suscipiendi — non suscipiendi) ea valet, quae est praedominans; cfr. pag. 13.

19. Qui *in statu peccati mortalis* 1° sacramentum 2° conficit, idque 3° sollemniter et 4° extra casum necessitatis et 5° est minister consecratus, graviter peccat, quia graviter deest officio suo, ad quod digne obeundum specialiter ordinatus est. Cfr. pag. 403, n. 3.

20. *Excommunicatus aut suspensus* ab ordine vel officio, 1° si vitandi sunt, item haereticus vel schismaticus publice ut tales noti valide quidem conficiunt sacramenta sui ordinis, quem habent (excepto sacramento poenitentiae ob amissam iurisdictionem, nisi absolvendus in periculo mortis sit), quia potestas ordinis indelebilis est, tamen illicite ea conficiunt propter prohibitionem ecclesiae, quae vero in casu necessitatis non obligat (ad vitandum grave incommodum proprium vel grave scandalum aliorum vel si proximus est in periculo mortis et alius sacerdos ad sacramenta necessaria ei danda non adest). Cfr. pag. 403, n. 6. 2° Excommunicatus aut suspensus ab ordine vel officio, etsi publice notus ut talis, si toleratus est (nec simul haereticus vel schismaticus publice ut talis notus) ex lege Conc. Constant. non solum valide, sed etiam licite sacramenta sui ordinis illis fidelibus dat, qui ea petunt ab ipso sive expresse sive interpretative; non rogatus autem illicite sacramenta dat, nisi adsit casus necessitatis. 3° Irregularis valide, sed extra casum necessitatis illicite sacramenta conficit propter prohibitionem ecclesiae; cfr. pag. 306, n. 12.

21. 1° *Parochus* (et quasi-parochus) tenetur ex iustitia seu vi quasi-contractus, sub gravi a) parochianis suis rationabiliter petentibus *sacramenta administrare*, si sine gravi incommodo potest; b) cum gravi incommodo autem, imo etiam cum periculo vitae non

solum illis moribundis, qui in extrema (vel quasi-extrema) sed etiam illis, qui in gravi necessitate spirituali sunt, sed sacramenta necessaria tantum (bapt., poenit., extremam unct. peccatoribus non confessis), modo necessitas parochiani et spes eum salvandi certa sit nec maiora mala ex administratione sacramenti sequantur: quia ad hoc in contractu implicite se obligavit. 2° Qui *non est parochus* (nec quasi-parochus) ex caritate tantum sacramenta administrare tenetur: a) illis, qui in necessitate spirituali communi sunt, sub levi et si commode potest; b) cum gravi incommodo et sub gravi illis, qui in gravi, et c) cum periculo vitae solum illis, qui in extrema (vel quasi-extrema) necessitate spirituali sunt; vide pag. 72, n. 12.

22. 1° *Incapaci* sacramentum administrare seu certo frustrare ipsum sacramentum nunquam licet, quia (excepta eucharistia) est actio intrinsecus mala, utpote positio materiae et formae ad finem non sacramentalem, ad quem Christus unice usum earum instituit, ideoque abusus actionum sacramentalium, et si scienter fit, mendacium facto commissum. 2° *Indigno* sacramentum administrare, seu sacramentum effectu suo certo frustrare, a) per se non licet, quia gravis est irreverentia erga sacramentum, cooperatio ad peccatum suscipientis eaque proxima licet materialis, et, si peccator publicus est, etiam grave scandalum pro fidelibus; b) licitum autem est, si fit vel ad gravissimum damnum proprium vitandum vel praecavendum scandalum fidelium (si peccator occultus publice petit) vel ad vitandam laesionem sigilli sacramentalis (si minister indignitatem peccatoris solum ex confessione scit), quia Christus cedit reverentiae sibi debitae propter bonum fidelium, insuper cooperatio materialis proxima materialis licita est ex gravissima causa. Vide pag. 75, n. 27; 403, n. 4.

23. 1° *Simulatio* sacramenti nunquam licita est, utpote actio intrinsecus mala propter abusum actionis sacramentalis, et mendacium facto commissum. 2° *Dissimulatio* sacramenti ex iusta causa licita est, quia non est positio actionis sacramentalis, et deceptio proximi non intenta sed mere permissa ex actione saltem indifferenti sequitur, ad quam iusta causa habetur; cfr. pag. 22, n. 10.

24. Ut quis *valide suscipiat* sacramentum, 1° requiritur: a) ut vivat, quia homo post mortem iam est in statu termini, in quo non amplius capax est gratiae primae vel secundae; v. pag. 206, 410, n. 50; b) in adultis requiritur intentio saltem habitualis implicita suscipiendi sacramentum, quia susceptio debet esse voluntaria acceptatio doni; cfr. pag. 403, n. 5; c) baptismus valide susceptus pro 6 aliis sacramentis, quia haec solum pro membris corporis ecclesiae a Christo instituta sunt. 2° Ad valorem sacramenti non autem requiritur vel fides vel status gratiae vel attentio ulla suscipientis.

25. Ut quis licite seu *digne* sacramentum *suscipiat*, requiritur, ut praeter ea, quae ad valorem sacramenti requiruntur, illam dispositionem animae habeat, quae ex institutione Christi necessaria est ad effectum sacramenti capiendum: status gratiae pro sacramentis vivorum; attritio de mortalibus commissis et nondum remissis pro sacramentis mortuorum.

26. Invalide vel indigne conficere aut invalide vel indigne suscipere sacramentum, est grave peccatum irreverentiae erga Deum, auctorem sacramentorum, seu *grave sacrilegium*; materiale, si ignoranter fit, formale, si scienter.

27. Sacramentum *petere a ministro indigno*, i. e. ab illo, de quo certo scis, eum sacramentum administrando peccare, 1° non licet, si sacramentum ne potest quidem absque peccato administrare (cfr. supra n. 20, 1°), quia est inductio ad malum; 2°

licet autem, si sine peccato illud administrare potest, etsi certo praevideatur non sine peccato administraturus (cfr. n. 19 et 20, 2°). Cfr. pag. 74, n. 24.

28. *Benedictiones sollemnes* licite exerceri non possunt in aliena parochia sine licentia parochi loci nec illae benedictiones, quae de iure parochiali sunt (bened. fontis bapt., mulieris post partum), licite ab alio fiunt, qui non est parochus proprius, nisi ex eius licentia vel vi consuetudinis vel facultatis ab episcopo concessae; sed benedictio nuptialis ius stricte parochiale est.

29. Sacramentalia non habent effectum ex opere operantis ecclesiae, si in eorum confectione ea non observantur, quae sub nullitate ab ecclesia praescripta sunt, qua tunc non assistit *oratio ecclesiae.*

30. *Exorcismus sollemnis* solum a sacerdote cum licentia episcopi loci valide fit; et tunc licita est, si certo constat de facto obsessionis vel possessionis vel circumsessionis.

31. *Materia liquida* benedicta vel consecrata materiam ei *admixtam* liquidam non benedictam vel non consecratam, reddit vi unionis benedictam, respect. consecratam, si materia admixta minoris quantitatis est ac praeexistens benedicta vel consecrata, ideoque post admixtionem tota materia benedicta, resp. consecrata est.

B.

IN SPECIE.

I.

DE BAPTISMO.

1. **Baptismus:** est sacramentum, quo homini per aquam et sub certis verbis confertur gratia regenerationis.

Quotuplex est? R. est triplex: fluminis, flaminis, sanguinis; solus baptismus fluminis est baptismus proprie dictus.

Fluminis: est baptismus a Christo institutus realiter applicatus, supra definitus.
Flaminis: est actus caritatis perfectae erga Deum vel doloris de peccatis saltem mortalibus commissis ex motivo caritatis perfectae erga Deum, qui actus implicite votum baptismi fluminis in se continent.
Sanguinis: est martyrium.
Martyrium: in adultis est mors violenter homini catholico illata ab alio homine propter veritatem aliquam fide divina credendam vel aliquam virtutem christianam, voluntarie acceptata et sine resistentia tolerata; in infantibus nondum habentibus usum rationis est mors violenter in odium fidei illata.

2. **Effectus baptismi fluminis:** 1° Remissio omnis peccati tum originalis tum personalis ante baptismum commissi, 2° remissio omnis poenae temporalis; cfr. pag. 48, n. 7. 3° gratia sanctificans cum virtutibus theologicis et moralibus et donis Spiritus Sancti. 4° ius ad specialia auxilia divina actualia pro tota vita, ut baptizatus gerere possit vitam homine christiano dignam. 5° character, quo anima conformatur Christo ut capiti, cuius membrum fit baptizatus, 6° fit membrum ecclesiae catholicae et iurisdictioni ecclesiae catholicae subiectus.
3. **Votum baptismi:** est duplex: explicitum: si quis expresse cogitans de baptismo elicit intentionem eum suscipiendi; implicitum: si non cogitans de baptismo aliquid aliud desiderat, in quo etiam baptismus continetur. Cfr. pag. 403, n. 5.
4. **Materia baptismi remota:** est sola aqua naturalis. Remota est duplex: essentialis et mere praeceptiva.
Essentialis: est sola aqua naturalis. Cfr. pag. 404, n. 7.
Mere praeceptiva: extra casum necessitatis est aqua consecrata pridie Paschatis, respect. Pentecostis praecedentis, impermixta, munda.

Materia proxima: est applicatio aquae. Est duplex: essentialis et mere praeceptiva:

Essentialis: talis applicatio, ut aqua 1° tangat cutem 2° immediate et 3° ibi fluat. Est vel certo valida: si in capite fit, vel dubie valida: si in alia parte corporis fit. Cfr. pag. 404, n. 8—9.

Mere praeceptiva: trina infusio super caput.

5. **Forma baptismi:** sunt verba: „Ego te baptizo in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti."

Formae variae quoad valorem: 1° certo validae; 2° certo invalidae; 3° dubiae; 4° ambiguae.

Certo valida: si 5 exprimit: baptizantem, baptizandum, actum ablutionis praesentem, tres personas divinas et unitatem earum.

Certo invalida: in qua certo unum ex his omissum vel eius contrarium est expressum.

Dubia: si dubium est, an unum ex illis sit omissum vel eius contrarium expressum. Cfr. pag. 404, n. 10.

Ambigua: quae vi verborum intelligi potest tum in sensu, qui illa 5 elementa exhibet, tum in sensu contrario vel defectivo.

6. **Minister baptismi:** est duplex: ordinarius et extraordinarius; ordinarius iterum est duplex: validae et licitae administrationis.

Ordinarius validae administrationis: omnis et solus sacerdos.

Licitae: parochus proprius baptizandi (si est infans; episcopus proprius, si est adultus) intra fines territorii sui baptizans (extra cum licentia parochi, respect. episcopi loci alieni) aut alius sacerdos ex eius licentia sive expressa sive tacita sive rationabiliter praesumta, nisi adsit casus necessitatis vel baptizandus sit infans parentum peregrinorum vel vagorum.

Extraordinarius: est duplex: pro baptismo sollemni et pro baptismo privato.
Pro baptismo sollemni: diaconus ex causa gravi et licentia sacerdotis saltem rationabiliter praesumta. Cfr. pag. 404, n. 11.
Pro privato: omnis homo ratione utens, sed in casu necessitatis tantum.

7. **Subiectum baptismi:** est duplex: validae et licitae susceptionis.
Validae susceptionis: omnis homo 1° viator 2° nondum valide baptizatus, et 3° (si est adultus) habens intentionem saltem habitualem implicitam baptismum suscipiendi.
Licitae: a) si infans est, requiritur probabilis spes futurae educationis catholicae, (e. g. si unus parentum baptismum petit et catholicus est vel infidelis quidem, tamen periculum perversionis non est certum), nisi sit in periculo mortis eoque personali seu proprio; b) si est adultus, requiritur: 1° extra casum necessitatis, ut instructus sit in iis, quae necessitate medii et praecepti credenda vel scienda sunt et ut fidem habeat; in casu extremae necessitatis: ut fidem habeat saltem in existentiam Dei et Deum remuneratorem esse; 2° ut attritionem habeat de peccatis mortalibus ab ipso commissis; 3° ut firmam, efficacem et absolutam habeat voluntatem catholice vivendi.

8. **Periculum** et **articulus mortis:** Periculum mortis est status hominis, in quo probabile est, eum moriturum esse.
Divisio: dividitur in periculum ex causa interna et ex causa externa; in periculum proprium et commune; in remotum et proximum.
Ex causa interna: i. e. ex morbo.
Ex causa externa: ex causa extra hominem posita, qui adhuc sanus est.
Proprium et commune: prouti lues grassans hunc hominem iam infecit vel non.
Remotum: si gravis ratio adest, hominem in periculo, in quo est, moriturum, esse etsi

non post breve tempus (sed e. g. post annum demum).

Proximum: si valde probabile vel certum est eum brevi postea moriturum esse.

Articulus mortis: si certum est, hominem mox moriturum esse.

9. **Monstrum humanum:** est homo ex muliere natus, habens aut caput ferinum et membra humana aut membra ferina et caput humanum aut duo capita humana vel duo pectora humana, sive certo sive dubie.

Mola: est foetus mulieris sine ullo capite; non est homo, sive habeat membra quaedam humana sive nulla.

10. **Infans et adultus in re morali:** Infans est 1° omnis homo, qui nondum pervenit ad usum rationis, et 2° ille, qui perpetuo i. e. a nativitate amens est. Adultus est ille, qui aliquando iam pervenit ad usum rationis, etsi nunc habitualiter careat usu rationis.

11. **Patrinus:** est quasi pater spiritualis baptizati vel confirmati. Est duplex: baptismi et confirmationis.

12. **Caeremoniae baptismi:** dividuntur a) in caeremonias pro infantibus et pro adultis; b) in illas, quae ritum baptismi essentialem antecedunt, quae eum concomitantur, et quae eum subsequuntur; c) in notabiles et levioris momenti.

Antecedentes: sunt 7: 1° interrogationes ad patrinum; 2° exorcismus cum insufflatione, 3° impositio salivae in aures et nares et salis in os, 4° professio fidei et abiuratio satanae, 5° signum crucis in fronte et pectore per ministrum, 6° impositio manus, 7° unctio cum oleo catechumenorum in pectore et inter scapulas.

Concomitantes: sunt 4: 1° ut conferatur in ecclesia extra casum gravis incommodi; 2° impositio nominis; 3° praesentia et tactus patrini; 4° trina infusio aquae consecratae.

Subsequentes: sunt 3: 1° unctio cum chrismate in vertice, 2° indutio neophyti cum vestimento albo, 3° porrectio cerei accensi.

PRINCIPIA.

1. *Fons baptismalis* 1° sub gravi de novo consecrandus est tum in sabbato ante Pascha tum in sabbato ante Pentec. cum oleis catechum. et chrismatis eodem anno in coena Dom. benedictis; 2° si haec nondum adsunt: a) vetera olea adhibenda sunt, si permanenter hoc contingit, b) omittenda autem sunt in benedictione fontis, si inopinate contingit, quo in casu postea nova olea admiscenda sunt, preces prius omissas ex Missali recitando. 3° Aliis anni temporibus fons baptismalis, cuius aqua defecit, consecrandus est iuxta Rituale.
2. *Foetus* abortivus, foetus in utero matris existens, qui edi non potest, foetus 4 mensium in utero matris recenter defunctae, foetus recenter editus et apparenter mortuus et monstrum humanum baptizari debent, quia homines sunt iique in extrema necessitate spirituali constituti.
3. Convertitae, item infantes privatim baptizati *rebaptizandi* sunt sub condicione, 1° si inquisitione facta dubium rationabile de valore baptismi collati remanet vel nihil certi resciri potuit, aut 2° si inquisitio impossibilis fuit.
4. Ut quis 1° *valide patrinus* sit et cognationem spiritualem contrahat, requiritur: ut a) baptizatus sit, b) pleno usu rationis gaudeat habitualiter et actualiter; c) intentionem habeat saltem virtualem suscipiendi munus patrini; d) designatus sit a parentibus aut a parocho, aut, si nullus ab eis designatus est, saltem admissus a parocho; e) ut non solum caeremoniae baptismi suppleantur, sed baptismus ipse conferatur; f) in actu baptismi (vel immediate post eum) infantem manu physice tangat, saltem mediate, vel per seipsum vel per alium, qui autem intentionem habere debet faciendi eius substitutum. 2° Solum in baptismo *sollemni* patrinus adhiberi sub

gravi debet et quidem saltem unus; *plures quam duos non* licet adhibere, ne cognationes spirituales multiplicentur. 3° Extra casum necessitatis *non licet* ad munus patrini adhibere hominem non catholicum vel malum vel religiosum ordinis stricte dicti vel parentes, quia patrinus obligationem gravem suscipit, in defectu parentum curam habendi spiritualem baptizati in fide catholica et bonis moribus catholicis, quam obligationem enumerati implere vel non possunt vel non volunt vel (parentes) iam aliunde habent.

5. *Catholico nunquam licet* patrinum facere in baptismo infantis haereticorum a ministro haeretico conferendo, quia haec actio seu petitio baptismi esset intrinsecus mala, utpote approbatio falsae religionis.

6. ‚*Caeremoniae* sequuntur baptismum' ideoque: 1° In baptismo absoluto adulti (post annum 14^{um}) adhibendae sunt caeremoniae pro adultis, et in baptismo absoluto pueri (ante annum 14^{um}) caeremoniae pro infantibus. 2° In baptismo, qui sub conditione repetitur: caeremoniae pro infantibus in baptismo catholici in infantia sine caeremoniis privatim baptizati et in convertitis nondum ‚confirmatis'; caeremoniae pro adultis autem in baptismo convertitae iam ‚confirmati'. 3° Si caeremoniae tantum supplentur post baptismum in infantia certo valide sed privatim collatum, semper adhibendae sunt caeremoniae pro infantibus.

7. Extra casum necessitatis voluntarie *omittere caeremoniam* notabilem, grave peccatum est (insufflationem, impositionem salis et salivae, professionem fidei, unam ex 3 unctionibus, aquam consecratam, trinam infusionem).

II.

DE CONFIRMATIONE.

1. **Confirmatio:** est sacramentum, quo per unctionem cum chrismate et manus impositionem sub certis verbis confertur donum Spiritus Sancti ad roborandam fidem christianam in baptismo susceptam.
2. **Effectus confirmationis:** sunt 3: 1° augmentum gratiae sanctificantis, virtutum theologicarum et moralium et donorum Spiritus Sancti. 2° gratia sacramentalis: ius ad speciales gratias actuales ad conservandam et defendendam fidem christianam contra omnes tentationes internas et externas. 3° impressio characteris, quo anima conformatur Christo summo duci in pugna pro Deo contra diabolum, mundum et carnem. Cfr. pag. 404, n. 15.
3. **Materia remota confirmationis:** est verum idque benedictum oleum. Alia est materia essentialis, alia praeceptiva.
   Essentialis: est solum oleum olivarum benedictum vel ab episcopo vel simplici sacerdote ex deputatione Papae. Essentialis dividitur in certo et dubie validam.
   Certo valida: est oleum olivarum benedictum speciali benedictione chrismatis i. e. in ordine ad sacramentum confirmationis.
   Dubie valida: oleum infirmorum et catechumenorum. Cfr. pag. 404, n. 13.
   Praeceptiva: oleum olivarum cum balsamo permixtum, in ultima coena Domini benedictum, speciali benedictione chrismatis.
   Materia proxima confirmationis: est unctio cum chrismate immediate per manum ministri in fronte confirmandi per modum crucis.

4. **Forma confirmationis:** sunt verba: „Ego signo te signo crucis et confirmo te chrismate salutis in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti." Forma est duplex: essentialis et mere praeceptiva.
   Essentialis: quae ad valorem sacramenti requiritur; sunt verba: „Ego signo et confirmo te."
   Mere praeceptiva: quae non ad valorem sacramenti requiritur, sed solum ex praecepto ecclesiae dici debet; sunt reliqua verba formae.
5. **Minister confirmationis:** est duplex: ordinarius et extraordinarius.
   Ordinarius: solus episcopus valide consecratus. Minister ordinarius est iterum duplex: validae et licitae confectionis.
   Validae: omnis episcopus valide consecratus.
   Licitae: episcopus proprius confirmandi (nisi hic sit peregrinus vel vagus) intra fines suae dioeceseos (vel extra eam cum licentia episcopi alienae dioeceseos) confirmans, aut alius episcopus cum licentia episcopi proprii confirmandi.
   Extraordinarius: simplex sacerdos ex delegatione Papae.
6. **Subiectum confirmationis:** est duplex: validae et licitae susceptionis.
   Validae: homo 1° viator 2° baptizatus, et 3° si est adultus, habens intentionem saltem habitualem implicitam suscipiendi hoc sacramentum.
   Licitae: adultus viator baptizatus, instructus circa effectum confirmationis et existens in statu gratiae; item infantes baptizati, qui inveniuntur in periculo mortis.
7. **Caeremoniae confirmationis:** sunt 5: 1° ut, si fieri potest, in ecclesia conferatur, 2° in pontificalibus, 3° praesentia patrini eiusque tactus, 4° alapa per ministrum, 5° (linteum, quo frons confirmati ligatur).

PRINCIPIA.

1. *Sacerdotes ritus orientalis*, tum catholici seu uniti tum schismatici a Papa potestatem habent conferendi sacramentum confirmationis fidelibus ritus orientalis, exceptis sacerdotibus in Bulgaria, Cypro, Italia et insulis adiacentibus et maronitis libanensibus.
2. Per se nulla est obligatio saltem gravis *suscipiendi* confirmationem, sed per accidens esset peccatum veniale negligentiae in cura propriae salutis, eam omittere sine iusta causa excusante, quia non est sacramentum necessarium quidem, tamen valde utile; imo ii, qui ex iustitia vel pietate curam spiritualem pueri habent, graviter peccant, si ei hoc sacramentum procurare libere negligunt. Cfr. pag. 404, n. 14.
3. Ut quis in confirmatione 1° *valide patrinus* sit et cognationem spiritualem contrahat eaedem condiciones requiruntur, sicut in baptismo (cfr. pag. 226, n. 4) et insuper ipse debet esse valide confirmatus. 2° Absque iusta causa *non licet* adhibere patrinum diversi sexus ac confirmandus est nec patrinum baptismi nec religiosum stricte dictum, nec parentes vel coniugem confirmandi; absque necessitate non licet adhibere hominem malum vel non catholicum, neque, ut unus patrinus plures suscipiat quam duos.

III.

DE SACRAMENTO EUCHARISTIAE

et

DE SACRIFICIO MISSAE.

1. Sacramentum eucharistiae: est corpus et sanguis Christi sub speciebus panis et vini ad nutritionem animae.

Divisio: dividitur in sacramentum eucharistiae in fieri, in facto esse et in usu.
In fieri: sunt verba consecrationis super panem et vinum, quibus ponitur corpus et sanguis Christi sub speciebus panis et vini.
In facto esse: est corpus et sanguis Christi sub speciebus panis et vini.
Usus: est communio.

2. **Communio:** est sumtio eucharistiae. Dividitur in mere spiritualem et realem; realis in mere materialem et sacramentalem; sacramentalis in sacramentalem tantum et in sacramentalem spiritualem; sacramentalis tantum in sacrilegam et neutralem.
Mere spiritualis: est desiderium sacras species sumendi.
Realis: est manducatio et potatio sacrarum specierum i. e. traiectio earum per os et guttur in stomachum.
Mere materialis: est communio realis hominis incapacis ad effectum sacramenti i. e. non baptizati.
Sacramentalis: est communio realis hominis baptizati et, si est adultus, habentis intentionem communicandi saltem habitualem implicitam.
Sacramentalis tantum: est communio sacramentalis infructuosa, scl. baptizati hominis, non dispositi ad gratiam eucharistiae percipiendam, i. e. si non est in statu gratiae.
Sacramentalis spiritualis: est communio sacramentalis fructuosa, scl. baptizati, qui est in statu gratiae.
Sacramentalis tantum et neutralis: si baptizatus, realiter communicans nescit, se non esse in statu gratiae; est communio obiective seu materialiter sacrilega. Cfr. pag. 406, n. 24.
Sacramentalis tantum et sacrilega (subiective, formaliter): si certo scit, se non esse in statu gratiae vel positive de eo dubitat.

3. **Corruptio specierum:** est ille status earum, ut sub se exigant non amplius substantiam

panis et vini ut sibi connaturalem, sed aliam diversam.

4. **Effectus eucharistiae:** sunt 9: 1° augmentum gratiae sanctificantis, habituum infusorum et donorum Spiritus Sancti; 2° ius ad speciales gratias ad id, ut homo statum gratiae conservare et gratiam augere possit per bona opera, fugam occasionum peccati, officiorum status implet ionem, 3° unio intima cum Christo per caritatem, 4° imminutio malarum passionum, imprimis libidinis, 5° resurrectio gloriosior corporis, 6° remissio peccatorum venialium, 7° dulcedo spiritualis et hilaritas animi, 8° influxus daemonis repellitur et boni angeli advocantur, 9° perseverantia in gratia seu praeservatio a peccato mortali. Cfr. pag. 405, n. 16 et 18.

5. **Materia remota eucharistiae:** est duplex: alia est materia remota validae, alia licitae consecrationis.

Validae consecrationis: est panis triticeus i. e. massa ex farina triticea et aqua naturali permixta, igne tosta et substantialiter incorrupta. Vinum de vite substantialiter incorruptum, i. e. liquor ex uvis maturis (etiam siccatis) expressus, substantialiter incorruptus. Cfr. pag. 405, n. 19.

Licitae consecrationis: est panis triticeus, purus, mundus, azymus pro latinis (fermentatus pro graecis sacerdotibus) in forma orbicularis maioris (pro missa), ne accidentaliter quidem corruptus, i. e. ne minimum quidem mucidus, recens seu ad summum a mense confectus. Vinum de vite fermentatum, purum, ne accidentaliter quidem corruptum seu acescens, in statu liquidi, cum paucis guttulis aquae permixtum.

Materia proxima: alia est materia proxima validae, alia licitae consecrationis.

Validae: panis et vinum 1° physice praesentia et 2° per intentionem saltem

virtualem implicitam sacerdotis consecrantis determinata.

Licitae: panis in altari, in lapide consecrato, super corporali benedicto, in manu sacerdotis vel in pyxide benedicta aperta. Vinum in calice consecrato, cuius interior pars cuppae est inaurata.

6. **Forma eucharistiae:** sunt verba: „Qui pridie etc. Hoc est enim corpus meum." „Similiter et calicem etc. Hic est enim calix sanguinis mei, novi et aeterni testamenti, qui pro vobis et pro multis effundetur in remissionem peccatorum." Est duplex: alia est essentialis, alia mere praeceptiva.

Essentialis: „Hoc est corpus meum", „Hic est sanguis meus."

Mere praeceptiva: omnia alia inde a verbis „pridie" et „similiter".

7. **Prolatio verborum consecrationis:** est triplex: sacerdos ea dicit 1° narrative i. e. narrando historiam, quid Christus dixit in ultima coena; 2° formaliter i. e. affirmando, hoc esse corpus et sanguinem Christi, et 3° practice i. e. intendendo panem et vinum convertendi in corpus et sanguinem Christi.

Mutatio formae: substantialis et accidentalis esse potest.

Substantialis: si 4 sequentia non experimuntur vel aliquid contrarium dicitur: 1° praesentia materiae („hoc" „hic"); 2° praesentia corporis et sanguinis Christi („corpus" „sanguis"); 3° sacerdotem Christum repraesentare („meum" „meus"); 4° conversio materiae in corpus et sanguinem Christi („est").

Accidentalis: si haec enuntiantur, etsi alia mutentur.

8. **Minister eucharistiae:** dividitur in ministrum consecrandae et in ministrum dispensandae eucharistiae.

Consecrandae: solus et omnis sacerdos.

Dispensandae: hic dividitur in ordinarium et extraordinarium.

Ordinarius: solus pastor loci et sacerdos, qui ab eo licentiam accepit vel expressam vel tacitam vel rationabiliter praesumtam ad dispensandam eucharistiam. Cfr. etiam pag. 242, n. 8; 197, 2° f.

Extraordinarius: diaconus in casu necessitatis et ex delegatione pastoris vel sacerdotis ab eo licentiam habentis ad dispensandam eucharistiam, imo in gravissima necessitate omnis alius clericus vel laicus, si deest sacerdos et diaconus. Cfr. pag. 405, n. 20.

9. **Dispensatio eucharistiae:** dividitur in paschalem, qua quis satisfacit tempore Paschali praecepto annuae communionis Paschalis et in non-paschalem, quae iterum vel fit in Dominica Resurrectionis Christi vel alio die. Communio infirmis danda dividitur in communionem pro viatico et illam, quae non fit per modum viatici, sed quae ex mera devotione sumitur; item in delationem eucharistae publicam ad infirmos et occultam.

10. **Subiectum eucharistiae:** est omnis homo baptizatus. Aliud est subiectum sacramentalis, aliud fructuosae, aliud licitae susceptionis.

Sacramentalis: 1° omnis homo viator, baptizatus et 2° (si est adultus) simul habens intentionem saltem implicitam habitualem suscipiendi eucharistiam.

Fructuosae: 1° baptizatus, 2° qui est in statu gratiae et 3° sacras species per os in stomachum traiicit.

Licitae: 1° adultus baptizatus, 2° qui habitualiter etiam discernere potest eucharisticum panem a pane communi, 3° ieiunus est et 4° sine periculo exspuendae vel evomendae hostiae sacrae communicare potest.

11. **Ieiunium naturale ante communionem:** est abstinentia ab omni re, quae 1° rationem cibi vel potus habet, i. e. ex communi aestimatione populi et doctrina chimicorum

aliquo modo digeri potest in stomacho; et 2° ab extra 3° per os sumitur 4° per modum cibi vel potus et 5° deglutitur, et quidem 6° a media nocte, secundum tempus vel verum vel medium sive locale sive legale.

Tempus alicuius loci: est duplex: verum et fictum. Verum determinatur motu solis apparente in loco. Fictum seu medium est tempus verum alterius loci principalioris; fictum est vel locale, si hic locus alienus ad eundem meridianum, vel legale, si ad alium meridianum pertinet.

12. **Sacrificium:** Quid est et quotuplex? R. est oblatio rei Deo facta in eius honorem; est imprimis duplex: proprie dictum et improprie dictum; proprie dictum dividitur in sacrificium Veteris et Novi Testamenti; sacrificium Novi Testamenti est duplex: crucis, et eucharisticum.

Proprie dictum: est oblatio rei sensibilis permanentis per eius destructionem ab auctoritate publica religiosa instituta ad protestandum, Dei excellentiam, utpote primi principii, absoluti domini et ultimi finis nostri, esse tantam, ut dignus sit, in cuius honorem et cui in satisfactionem pro peccatis nostris tota vita nostra et totum esse nostrum penitus destruatur.

Improprie dictum: est quaelibet alia oblatio Deo facta in eius honorem.

Veteris Testamenti: quod ante Christi mortem ab Israelitis vel gentilibus vero Deo legitime offerebatur.

Crucis: quod Christus in cruce obtulit, corpus et sanguinem suum dando, cruento modo.

Eucharisticum: Quid est et quotuplex? R. est positio corporis et sanguinis Christi sub visibilibus speciebus panis et vini per actum consecrationis, ad protestandum supremum dominium Dei in nos et nostram absolutam sub eo dependentiam. Est duplex: quod Christus in ultima coena

in persona propria obtulit et sacrificium missae, quod per sacerdotes nunc offert.

13. **Partes missae:** Quot sunt? R. 5 sunt actus liturgici: 1° praeparatorius: usque ad offertorium exclusive; 2° oblationis: ab offertorio usque ad praefationem exclusive; 3° consecrationis: a praefatione usque ad Agnus Dei inclusive; 4° communionis; 5° finis: a benedictione usque ad evangelium S. Joannis inclusive.

Quomodo dividuntur? R. in partes iuris divini et in partes iuris ecclesiastici; posteriores in ordinarias et extraordinarias.

Iuris divini: Quales sunt? R. pars essentialis: consecratio panis et vini: pars integralis: communio sacerdotis.

Iuris ecclesiastici: reliqua omnia.

Ordinariae: quae in omni missa dicuntur.

Extraordinariae: quae non in omni missa dicuntur.

14. **Offerens missam:** Quotuplex est? R. quadruplex: 1° principalis: Christus; 2° ministerialis: sacerdos consecrans; 3° generalis: tota ecclesia; 4° secundarius: qui opere suo concurrit ad celebrationem missae vel ei assistit sive corpore et spiritu sive spiritu tantum.

15. **Fructus missae:** Quomodo dividuntur? R. 1° ratione rei, quae confertur, in impetratorium, propitiatorium, satisfactorium, meritorium; 2° ratione causae, quae eos producit: in fructus ex opere operato, ex opere operantis ecclesiae et ex opere operantis celebrantis et offerentis secundarii, 3° ratione personarum, quibus fructus obveniunt: in fructus, qui Deo et qui hominibus obveniunt; qui hominibus obveniunt, dividuntur in generalem, specialem, specialissimum et ministerialem.

Impetratorius: bona omnis generis, naturalia et supernaturalia.

Propitiatorius: concessio illarum gratiarum, quas Deus in poenam peccatorum denegare decreverat.

Satisfactorius: remissio partis poenarum temporalium pro peccatis remissis debitarum, et sive in hac terra sive in purgatorio luendarum.

Meritorius: augmentum gratiae sanctificantis in sacerdote celebrante et in offerentibus secundariis, si sunt in statu gratiae.

Ex opere operato: cuius causa est consecratio, quatenus oblatio ipsius Christi est per sacerdotem facta.

Ex opere operantis ecclesiae: cuius causa sunt: 1° consecratio, quatenus est oblatio totius ecclesiae per sacerdotem delegatum eius facta, et 2° orationes, quas ecclesia in missa fundit.

Ex opere operantis sacerdotis consecrantis et offerentium secundariorum: cuius causa est 1° opus bonum celebrationis missae vel assistentiae vel concursus ad missae celebrationem; 2° memento aliaeque preces, quas hi in missa fundunt, et actus diversarum virtutum, quos intra missam eliciunt.

Generalis: est fructus impetratorius et propitiatorius ex opere operato et operantis ecclesiae, qui omnibus fidelibus ecclesiae, vivis et defunctis, obvenit (defunctis etiam satisfactorius).

Specialis: qui obvenit offerentibus secundariis ex opere operato, operantis ecclesiae et ipsorum; est impetratorius, propitiatorius, satisfactorius et (ex opere operantium ipsorum) meritorius (si sunt in statu gratiae). Cfr. pag. 406, n. 28.

Specialissimus: qui obvenit sacerdoti celebranti, ex opere operato, operantis ecclesiae et ipsius sacerdotis, et est impetratorius, propitiatorius, satisfactorius et (si est in statu gratiae) meritorius (ex opere operantis ipsius).

Ministerialis: est fructus impetratorius, satisfactorius et propitiatorius, ex opere operato, operantis ecclesiae et ex memento

et precibus sacerdotis in missa fusis, proveniens illi, pro quo sacerdos missam applicat.

Fructus Deo proveniens: adoratio et gratiarum actio infiniti valoris, utpote Christi, Dei-hominis.

16. **Valor missae:** Quomodo dividitur? R. in dignitatem eius et vim producendi fructus; vis producendi fructus in vim producendi fructus ex opere operato et in vim producendi fructus ex opere operantis; vis ex opere operato in vim in actu primo et in vim in actu secundo, in vim producendi fructus pro Deo et in vim producendi fructus pro hominibus; vis producendi fructus pro hominibus in vim producendi fructus spectata eorum intensitate et spectata extensione sive fructuum sive hominum, quibus obveniunt.

17. **Applicatio missae:** est 1° intentio 2° ante consecrationem (saltem ante verbum: ‚mei' in consecratione calicis) elicita et 3° saltem habitualis, 4° qua sacerdos vult, ut fructus missae ministerialis alicui personae vel causae, 5° saltem implicite ab ipso determinatae, obveniat. Cfr. pag. 407, n. 30.

18. **Obligatio celebrandi:** est septuplex: 1° ratione sacerdotii, 2° ratione scandali, quod secus daretur, 3° ratione muneris parochialis stricte dicti; cfr. pag. 210, n. 14; 4° ratione beneficii ecclesiastici, 5° ratione stipendii accepti, 6° ratione oboedientiae, 7° ratione promissionis.

19. **Species quaedam missarum accidentaliter differentes:** De die, votiva, de Requiem, privata, cantata, sollemnis, parochialis, conventualis, manualis, fundata, praesanctificatorum.

Privata: est missa solum lecta.

Cantata: est missa cum cantu, sed absque diacono et subdiacono.

Sollemnis: cum cantu et cum diacono et subdiacono.

Parochialis: quae fit diebus dominicis et festis cum concursu populi ad satisfaciendum obligationi audiendi missam.

Conventualis: est missa quotidiana cantanda in ecclesiis, in quibus officium divinum in choro cantatur.

Praesanctificatorum: est sola communio sacerdotis, in qua sumit hostiam in feria v. in Coena Domini praeconsecratam; haec non est missa.

Manualis: quae ab aliquo fideli petitur oblato stipendio.

Fundata: quae in perpetuum (vel ad 50 annos) dato capitali redditus ferente constituta et ab ecclesia acceptata est. Est duplicis generis: vel a certo quodam sacerdote legi debet, vel non: prior est missa fundata in stricto sensu; posterior est missa „ad instar manualium". Alia patent.

20. **Reductio missarum:** est diminutio numeri missarum sive ex stipendio sive ex fundatione debitarum, per Papam facta, qui supplet fructus missarum subtractarum ex thesauro ecclesiae. Cfr. pag. 407, n. 33.

21. **Condonatio missarum:** est remissio obligationis legendi missas sive ex fundatione sive ex stipendio debitas, per Papam facta, qui fructus earum supplet ex thesauro ecclesiae.

22. **Thesaurus ecclesiae:** est cumulus omnium meritorum et satisfactionum Christi et omnium operum expiatoriorum et satisfactionum superabundantium Mariae et sanctorum, i. e. quibus ipsi non indigebant ad expianda peccata propria et ad delendas poenas temporales pro propriis peccatis debitas.

23. **Translatio festorum:** est duplex: 1° pro choro et foro; 2° pro foro tantum. Pro choro et foro: si tum festum in missa et breviario transfertur, tum obligatio audiendi missam et abstinendi ab operibus servilibus; pro foro tantum: si sola obligatio

audiendi missam et abstinendi ab operibus servilibus transfertur.

24. **Binatio et trinatio:** est privilegium, vi cuius sacerdos eadem die bis vel ter missam celebrare potest, si ieiunus est.

25. **Interruptio missae:** est duplex: essentialis et accidentalis.
Essentialis: si post primam speciem consecratam non consecratur altera species.
Accidentalis: quando utraque species quidem consecratur, attamen inter unam et alteram partem missae actio extranea interponitur, sive inter consecrationem primae et secundae speciei (non ultra horam) sive inter alias partes missae.

26. **Sacrificium abruptum complendum:** est 1° missa, in qua iam una species consecrata est et compleri potest per consecrationem alterius speciei intra horam; 2° missa, in qua utraque species iam consecrata, sed non consumta est. Cfr. pag. 408, n. 37.

PRINCIPIA.

1. *Una species* 1° valide quidem consecratur sine alia, si consecrans intentionem habet sacrificium offerendi (scl. saltem inchoandi), sed 2° nunquam licitum est unam speciem consecrare praevisa deficientia alterius speciei, quia ex voluntate Christi consecratio eucharistiae simul etiam sacrificium esse debet idque completum, quod certe non est, nisi utraque species consecretur.

2. *Essentia sacrificii missae* 1° in sola consecratione consistit, quia in ea iam omnia habentur, quae ad aliquod sacrificium proprie dictum essentialiter requiruntur. 2° Non solum ad completum sacrificium, sed ut vel ipsa essentia sacrificii missae habeatur, probabilissime consecratio utriusque speciei requiritur, quia sacrificio eucharistico essentialis est relatio ad sacrificium crucis per figuralem repraesentationem se-

parationis sanguinis Christi a corpore eius in cruce factae, quae figuralis repraesentatio solum habetur, si utraque species consecratur. Cfr. pag. 405, n. 17.

3. Si farinae triticeae vel vino *aliena materia additur* 1° in minore quantitate, consecratio valida, sed illicita est extra casum necessitatis; 2° si in aequali quantitate, materia saltem dubia et semper graviter illicita est propter irreverentiam et periculum idololatriae vel etiam privandi fideles communione valida; 3° si in maiore quantitate, certo invalida et semper graviter illicita est.
4. *Hostias mucidas vel vinum acescens* adhibere, mortale est: 1° si iam in tali statu sunt, ut materiae iam substantialiter corruptae sint (non panis — non vinum, sed acetum) aut saltem grave periculum substantialis corruptionis adsit (hostia aliquatenus signa mucoris ostendens — vinum notabiliter acescens): propter gravem irreverentiam et periculum invalidarum missarum et communionum et idololatriae; 2° etiamsi nullum periculum corruptionis substantialis adsit quidem, si tamen mutatio materiae accidentalis notabilis est: propter gravem irreverentiam, quando extra casum necessitatis adhibetur.
5. Mortale est, *renovationem specierum* consecratarum ad duos menses differre, si hostiae erant recentes, quando consecratae sunt (scl. saltem a 2 hebdomadis confectae) non valde tenues nec positae in loco valde humido vel calido nec tempus fuerit humidum vel valde calidum; secus iam mortale est, renovationem ultra mensem differre: propter periculum corruptionis saltem accidentalis notabilis. In ordinariis circumstantiis loci et temporis ad summum 6 hebdomadae interponi possunt inter confectionem hostiarum et earum sumtionem, ut omne periculum, adeoque omne peccatum irreverentiae vitetur.

6. Omnibus fidelibus licet communicare in qualibet ecclesia catholica etiam *ritus alieni*, si ecclesia vel sacerdos proprii ritus aut deest aut absque gravi incommodo adiri non potest. *Ruthenis* in America septentrionali permanenter habitantibus licet ad ritum latinum transire eumque sequi, quamdiu ibi versantur, transeunter ibi commorantibus id non licet.

7. *Verba consecratoria* a sacerdote consecrante dici debent recitative, significative et practice, quod tamen implicite fit, si intendit facere, quod facit ecclesia.

8. Eucharistia 1° licite omnibus administrari potest tum in ecclesia tum in quolibet *oratorio*, etiam privato (ex licentia Pii X.). Attamen 2° communio in die paschatis, sicut communio paschalis et annua, suscipienda est in propria ecclesia parochiali, nisi una ex causis pag. 180, n. 10 notatis adsit.

9. *Necessitas eucharistiae* ad salutem 1° non est necessitas medii, quia supponit statum gratiae sanctificantis, quacum homo, si moritur, certo salvatur, sed 2° neque est mera necessitas praecepti, sed 3° etiam moralis, i. e. iis, qui occasionem eucharistiae sumendae habent, ad perseverandum in gratia, vi institutionis eucharistiae, aliquoties in vita eam accipere moraliter necessarium est seu ita, ut secus valde difficile eis sit, statum gratiae conservare, quia eucharistia per modum cibi animae instituta est.

10. Ex gravi *praecepto* 1° divino eucharistia per se accipienda est brevi ante mortem et aliquoties in vita post adeptum usum rationis; per accidens autem, si quis tentatione vel etiam prava consuetudine laborat, quam vincere non potest absque frequentiore communione. 2° Ex gravi praecepto ecclesiae legem divinam accuratius explicante communio sumenda est post adeptum usum rationis saltem semel in anno et quidem, si fieri potest, tempore paschali

et in propria ecclesia parochiali; cfr. pag. 180, n. 10; 405, n. 22.

11. Qui post ultimam confessionem in bona fide et dolorose factam novum peccatum mortale formale certo commisit, non potest absque gravi peccato communicare cum sola contritione perfecta elicita, sed ex praecepto ecclesiae tenetur *ante communionem* illud *confiteri*, nisi 1° confessarius desit (vel adiri non possit sine gravi incommodo externo vel interno extraordinario; cfr. pag. 30, n. 14; 405, n. 23) et simul 2° adsit necessitas communicandi (respect. celebrandi) i. e. ad grave incommodum vitandum; quo in casu sufficit contritionem perfectam elicere ante communionem; sed sacerdos, qui ita egit, confiteri debet intra 3 dies, si interim non celebrat. Cfr. pag. 412, n. 68.

12. In observatione abstinentiae, ieiunii sive ecclesiastici sive naturalis ante communionem, in celebratione missae et in recitando breviario *tempus* licite et valide computari potest aut secundum tempus verum loci aut medium sive locale sive legale (nationale, non internationale) quia ecclesia hoc expresse permisit.

13. *Causae excusantes a ieiunio naturali* ante communionem sunt 6: 1° viaticum sumendum; 2° viaticum conficiendum; 3° complendum sacrificium missae, si saltem una species consecrata est et celebrans missam prosequi non potest vel si ante communionem deficit; 4° profanatio vel alia irreverentia SS. Sacramento imminens; 5° scandalum aliorum vitandum; 6° probabiliter ad communionem paschalem sumendam, etiam morbus stomachi hominis ceteroquin non graviter aegroti, modo scandalum aliorum praecaveatur. Nam lex divina de viatico sumendo, de complendo sacrificio missae, et lex naturae de vitanda irreverentia SS. Sacramenti et de vitando scandalo, et lex divino-ecclesiastica de eucharistia

saltem semel in anno sumenda legi mere ecclesiasticae de ieiunio naturali ante communionem praevalent, utpote maiores. Cfr. pag. 37, n. 31; 406, n. 25—27.

14. *Graviter aegroti*, i. e. qui ex morbo in periculo mortis sunt, exemti sunt a lege ecclesiastica ieiunii naturalis ante communionem et exemti manent, quamdiu periculum mortis durat, ita ut per se quotidie non ieiuni licite communicare possint, etsi ieiunium servare possent. Cfr. pag. 224, n. 8.

15. Illi, qui 1° *iam a mense aegroti* sunt (etsi non graviter) 2° sine spe mox reconvalescendi nec facile 3° ieiunium naturale plene observare possunt ante communionem, possunt ante eam aliquid sumere per modum potus et quidem a) bis in hebdomada, si vel in pia domo degunt, in qua SS. Sacramentum asservatur vel privilegium oratorii cum celebratione missae habent; b) secus bis in mense tantum.

16. Omnis fidelis *quotidie communicare* 1° licite potest, si in statu gratiae est et rectam intentionem habet. 2° exquirere autem debet consilium confessarii sui, si frequenter in hebdomada communicare vult, secus saltem imprudenter ageret; 3° confessarius ius non habet aliquem prohibendi a frequenti vel quotidiana communione, qui in statu gratiae et cum recta intentione eam suscipit. 4° sed solum ius habet dandi consilium, quod tamen fidelis sequi non debet.

17. 1° *Dignitas unius missae* est proprie infinita, quia res oblata infinitae dignitatis est, scl. Verbum secundum naturam humanam. 2° *Valor* eius scl. vis producendi fructus isque a) in actu primo i. e. quoad fructus, quos producere posset, a) non est proprie infinitus i. e. sine limite: nec intensive (i. e. ac si fructus tantae perfectionis produci possent, quae illimitata sit) quia res creata infinitae perfectionis repugnat; nec extensive (i. e. ac si fructus infinitae multitudinis aut eundem fructum in ho-

minibus numero et actu infinite multis producere posset), quia tum res creatae infinitae multitudinis tum infinita capacitas alicuius hominis ad recipiendos fructus repugnant; quae vero repugnant ne a Deo quidem fieri possunt. Sed b) utique **indefinitus** est valor unius missae in actu primo, tum intensive i. e. fructus (finitos) semper maiores et perfectiores producere posset, tum extensive, i. e. in eodem homine fructus (in numero finito) semper plures et plures, item eundem fructum in hominibus (numeri finiti) semper pluribus et pluribus producere posset, quia valor in actu primo respondet dignitati rei oblatae, quae in missa est dignitas ipsius Dei, qui omnia potest, quae non repugnant. Tamen b) valor unius missae in actu secundo i. e. quoad fructus, quos **de facto** producit, **ne indefinitus quidem** est *α*) **intensive**, quia certus gradus perfectionis fructuum missae voluntate Christi determinatus est, ultra quam Deus non procedit, etsi subiectum fructuum adhuc perfectiorum capax esset; neque *β*) **extensive quoad multitudinem fructuum**, sed ex voluntate Christi certus et definitus est numerus gratiarum unius missae, ultra quem Deus non procedit, etsi subiectum fructuum adhuc plurium capax esset: utrumque ideo, quia Christus voluit, ut per plures missas obtineatur id, quod una non efficit. *γ*) **Extensive** autem indefinitus est valor unius missae **quoad numerum fidelium**, qui fructus ex ea percipiunt. *αα*) sed solum, si spectes fructum **generalem et specialem**, i. e. fructus generalis eiusn on minuitur pro numero fidelium, ex quibus ecclesia constat neque fructus eius specialis pro numero fidelium, qui missae assistunt; sed *ββ*) fructus **ministerialis** extensive etiam quoad numerum eorum, quibus obvenit, certus et definitus est ex voluntate Christi (solo fructu impetratorio forte excepto) i. e. una missa non aeque prodest,

si a celebrante pro multis applicatur ac si pro uno vel paucis tantum applicatur, sed eo pauciores gratias singuli percipiunt, quo plures sunt, pro quibus missa applicatur, scl. inter ipsos dividuntur: in tot partes, quot sunt, pro quibus applicatur.

18. Missa 1° valide *offerri* potest (ideoque etiam accepto stipendio) pro omni, qui saltem alicuius fructus missae capax est. 2° Illicite autem offertur (et invalide quoad fructus ex opere operantis ecclesiae), saltem, si publice fiat, propter prohibitionem ecclesiae: a) pro vivis haereticis et schismaticis, nisi ad eorum conversionem; b) pro excommunicatis vitandis; c) pro defunctis non-catholicis et peccatoribus publicis, nisi ante mortem signa conversionis, respect. poenitentiae dederint. Cfr. pag. 406, n. 29.

19. Solus parochus stricte dictus (cfr. pag. 210, n. 14) tenetur omni anno sub gravi pro parochianis suis *gratis applicare* 1° tot missas, quot dies dominicos annus habet; 2° alias 35 missas (vel 33, si nec regnum nec locus patronum habent); adiuncta temporis, loci, personae non obligant sub gravi.

20. Missae *manuales* vel quae sunt missae ad *instar manualium* (cfr. pag. 239.), 1° si ab *uno* fideli traditae sunt, legi debent intra sequens *tempus*:

si	1	usque	circ.	20	tradidit:	circ.	intra	1	mensem
,,	20	,,	,,	40	,,	,,	,,	2	menses
,,	40	,,	,,	60	,,	,,	,,	3	,,
,,	60	,,	,,	80	,,	,,	,,	4	,,
,,	80	,,	,,	100	,,	,,	,,	5	,,
,,	100	,,	,,	200	,,	,,	,,	6	,,
,,	200	,,	,,	300	,,	,,	,,	1	annum
,,	300	,,	,,	400	,,	,,	,,	$1^1/_2$	,,

nisi tradens expresse vel implicite brevius tempus determinaverit vel longius tempus concesserit; secus missas, quas intra tempus indicatum probabiliter legere non poteris, alteri sacerdoti, qui eos certo celebraturus est, tradere debes (per te autem nihilominus legendas, si hic eas non legerat). 2° Talem missam usque ad mensem ultra tempus prae-

scriptum sine iusta causa differre, grave peccatum est; 3° stipendium autem sacerdos reddere non debet, si missam postea legit et finis, ad quem postulata fuit, adhuc obtineri potest; sed 4° si inde a die, quo fidelis stipendium obtulit, totus annus elapsus est nec plures intentiones dedit, quam 1—300, intentiones nondum persolutae Ordinario loci tradendae sunt cum stipendiis. De stipendiis missarum vide etiam pag. 197, 2° e; 198, 3° b; 199, II b; 308, n. 12.

21. Celebrans in ecclesia, et oratorio publico vel semipublico sequi debet *directorium* loci, in oratorio privato autem suum.

22. Fer. VI[a] in *Parasceve* nullam missam licet celebrare; in *sabbato* s. omnis missa privata prohibetur; fer. V[a] *in coena Domini* in ecclesiis una missa privata licita est ex consuetudine. Ad viaticum conficiendum omni die licet celebrare et etiam omni hora, quia praeceptum divinum de sumendo viatico praevalet omni prohibitioni ecclesiae.

23. *Binari* licet 1° vi iuris communis: quoties multi missam audire non possent die praecepto, si sacerdos non binaretur, attamen requiritur, ut episcopus declaraverit, hanc necessitatem revera in casu adesse; 2° in omni alio casu solum ex speciali privilegio S. Sedis licet binari vel etiam trinari.

24. *Qualitas missae* expresse postulata a fideli dante stipendium, sub levi tantum obligat.

25. In celebratione *omittere partem missae* integralem vel ritualem (seu ecclesiasticam) ordinariam in canone, grave est; extraordinariam, leve est. Aliquid addere, leve peccatum est, quia secus omnes sacerdotes ita facerent diversissimas orationes addendo.

26. In missa stricte privata (vide pag. 238, n. 19) sacerdotis episcopo inferioris non licet plures quam *duas candelas* accendere.

27. Magnam canonis partem *voce* valde elata dicere, grave est; alia praescripta quoad tenorem vocis sub levi obligant, a levi obligatione autem excusat causa rationabilis.

28. Missam *interrumpere* 1° essentialiter non licet nisi ob imminens periculum mortis vel profanationis SS. Sacramenti; 2° accidentaliter interrumpere ex causa proportionate gravi licitum est: ante praefationem ex rationabili causa; post eam, sed ante canonem ex gravi causa; incepto canone solum ex gravissima causa; post communionem licet exhortationem habere.

IV.

DE SACRAMENTO POENITENTIAE.

1. **Sacramentum poenitentiae:** est sacramentum, quo homini baptizato, poenitenti et confesso per absolutionem sacerdotis remittuntur peccata post baptismum commissa.
2. **Effectus absolutionis sacramentalis:** sunt 5: 1° gratia sanctificans vel prima vel secunda, per quam peccata remittuntur; 2° condonatio poenae aeternae; 3° remissio partis poenarum temporalium pro peccatis remissis debitarum; 4° reviviscentia meritorum, quae peccator prius acquisivit in statu gratiae; 5° gratia sacramentalis: ius ad speciales gratias, ut poenitens in futuro possit cavere peccata accusata, et pro eis satisfacere.
3. **Materia sacramenti poenitentiae:** est id, circa quod versatur absolutio sacerdotis. Dividitur in materiam remotam seu „circa quam" et proximam seu „quasi-materiam". Remota dividitur in necessariam et liberam, in sufficientem et insufficientem, certam et dubiam.

   Remota: sunt omnia peccata post baptismum (etiam dubie validum, sed certo collatum) commissa, gravia et levia, sive nondum directe per absolutionem remissa sive iam alias directe remissa.

   Necessaria: sunt peccata, quae ex lege Christi accusari debent: omnia peccata

gravia nondum directe per absolutionem remissa.

Libera: quae non accusari debent: 1° levia 2° peccata gravia dubia 3° peccata iam accusata et directe remissa per absolutionem.

Sufficiens: omne verum peccatum personale.

Insufficiens: quod non est verum peccatum personale.

Certa: omne verum peccatum certo commissum.

Dubia: peccatum dubium, i. e. vel non certo commissum vel quod non est certo verum peccatum. Cfr. pag. 51.

4. **Directa remissio peccati gravis per absolutionem:** est remissio peccati gravis vi absolutionis; fit, si peccatum dolorose accusatur et sacerdos habens iurisdictionem in idem peccatum, poenitentem ab eo absolvit.
5. **Indirecta remissio peccati gravis per absolutionem:** est illius remissio solum vi infusionis gratiae sanctificantis, cui nullus obex obstat et quae consistere non potest cum peccato gravi; fit, si poenitens alia peccata confessus et rite dispositus illud peccatum inculpabiliter omisit, aut, si id confessus est, sacerdos autem in hoc peccatum non habens iurisdictionem, absolvit poenitentem ab aliis peccatis accusatis.
6. **Peccata dubia:** sunt peccata gravia, de quibus positivum dubium habetur, an accusari debeant. Sunt triplicis generis: 1° quae dubie commissa sunt, 2° quae dubie gravia sunt, 3° quae dubie accusata sunt.
7. **Materia proxima sacramenti poenitentiae:** sunt 3 actus poenitentis: 1° dolor, 2° accusatio, 3° voluntas satisfactionem imponendam acceptandi et implendi.
8. **Forma:** sunt verba: Misereatur tui etc. . . Indulgentiam etc. . . Dominus noster etc. . . Deinde ego te absolvo a pecca-

tis tuis in nomine Patris et Filii et Spiritus S. Amen. Passio Domini etc. . . Forma est duplex: essentialis et rubricalis.

Essentialis: quae requiritur ad essentiam seu valorem absolutionis; sunt verba: ego te absolvo a peccatis tuis.

Rubricalis: quam praeter formam essentialem rubrica Ritualis praescribit; sunt reliqua omnia supra posita. Forma rubricalis dividitur in praeceptivam et directivam.

Praeceptiva: Dominus noster etc. . . in nomine Patris etc. . .

Directiva: reliqua omnia ante et post formam essentialem. Cfr. pag. 410, n. 42.

9. **Media post baptismum obtinendi statum gratiae post lapsum in peccatum grave:** sunt 4: 1° attritio cum absolutione; 2° contritio perfecta. Haec est duplex: formalis et virtualis. 3° Pro infirmis, qui confiteri non possunt: attritio cum extrema unctione; 4° attritio cum martyrio.

Contritio perfecta formalis seu **explicita:** est actus doloris et detestationis de peccato commisso ex motivo caritatis perfectae erga Deum, i. e. quia est contra infinitas perfectiones Dei, propter ipsas super omnia dilecti.

Virtualis seu **implicita:** est formalis actus caritatis perfectae erga Deum, qui necessario implicite et virtualiter in se continet dolorem et detestationem de omni peccato gravi commisso ex motivo caritatis, etsi eliciens actum caritatis de peccato non cogitet. Cfr. pag. 64.

10. **Reatus culpae et reatus poenae in peccato:** Reatus culpae est necessitas hominis, ut sit obiectum odii et inimicitiae Dei (ob peccatum mortale); obiectum displicentiae divinae (ob peccatum veniale). Reatus poenae est necessitas et obligatio hominis subeundi poenam aeternam (propter peccatum mortale); subeundi poenas

temporales in hac vel in altera vita (propter peccatum veniale et mortale iam remissum).

11. **Poenitentia:** est 1° dolor et 2° detestatio 3° de peccato 4° a poenitente commisso 5° propter Deum. Dividitur in virtutem et actum poenitentiae: virtus poenitentiae dividitur in generalem et specialem; actus poenitentiae in attritionem et contritionem.

Virtus poenitentiae: est virtus moralis, quae hominem inclinat ad dolendum de peccato propter Deum.

Specialis: cuius motivum praecise est iniuria Deo illata per peccatum.

Generalis: cuius motivum alia malitia est, quae peccato inhaeret.

Actus poenitentiae: est actus voluntatis, quo quis detestatur et tristatur de peccato a se commisso, propter Deum i. e. ex motivo non profano, sed quod relationem habet ad Deum et ut tale a poenitente concipitur.

Motivum doloris: dividitur in motivum particulare et universale, universale in relative et absolute universale.

Particulare: quod non est aptum, ut quis propter ipsum omnia peccata gravia commissa et nondum remissa detestetur, sed quod solum valet pro aliquibus aut pro hoc vel illo peccato tantum.

Universale: est illud, quod dignum et aptum est, ut quis propter ipsum omnia peccata gravia commissa et nondum remissa detestetur.

Relative universale: propter quod saltem omnia peccata gravia commissa et nondum remissa detestationem merentur.

Absolute universale: propter quod omne peccatum grave qualecunque vel etiam omne peccatum possibile leve detestandum est.

Attritio seu **poenitentia imperfecta:** est dolor et detestatio non ex motivo caritatis perfectae sed ex inferiore motivo, quod tamen relationem ad Deum habet.

Quotuplex est motivum attritionis: R. triplex (sec. Trident.): 1° „turpitudo peccati" i. e. malitia transgressioni legis Dei inhaerens eiusque funesti effectus in anima; 2° „metus gehennae" i. e. poenae supernaturales et aeternae peccati gravis: amissio meritorum, beatitudinis et poena sensus in gehenna; 3° „metus poenarum" i. e. poenae temporales sive huius vitae sive purgatorii, a Deo infligendae.

Contritio seu poenitentia perfecta: est dolor et detestatio de peccato ex motivo caritatis perfectae erga Deum. Est duplex: formalis et virtualis; vide supra n. o

Dotes poenitentiae: sunt qualitates, quas actus doloris et detestationis habere debet, ut absolutio sit valida. Sunt 5: debet esse 1° verus dolor, 2° formalis, 3° supernaturalis, 4° universalis (quoad peccata gravia), 5° appretiative super omnia.

Verus: i. e. realiter in voluntate existens, non solum existimatus vel votum eius.

Formalis: i. e. ipse actus doloris et detestationis adesse debet, non sufficit alius actus continens in se implicite et virtualiter actum doloris et detestationis.

Supernaturalis: elicitus ope gratiae supernaturalis actualis.

Universalis: se extendens ad omnia peccata gravia commissa et nondum remissa. Dividitur in explicite et implicite universalem.

Explicite universalis: si poenitens omnia et singula peccata gravia commissa et nondum remissa distincte recogitans dolorem de eis elicit.

Implicite universalis: est explicitus actus doloris et detestationis de aliquibus tantum peccatis commissis, sed elicitus ex motivo universali, scl. si non de omnibus et singulis peccatis suis gravibus nondum remissis cogitat, sed tantum de uno vel aliquibus eorum et de hisce dolorem elicit ex motivo (saltem relative) universali, i. e.

propter quod omnia gravia peccata ab ipso commissa et nondum remissa, etiam non in memoriam revocata, detestationem merentur. Cfr. pag. 409, n. 45.

Super omnia appretiative: si poenitens 1° intellectu suo iudicat, peccatum commissum esse maius malum, quam omne aliud malum, et simul 2° in voluntate sua vere paratus est, in futuro potius omne malum pati et omne bonum dimittere, quam unquam peccatum, de quo dolet, iterum committere.

12. **Propositum non peccandi de cetero:** est actus voluntatis, peccatum in futuro non amplius committendi. Est duplex: explicitum et implicitum.

Explicitum: est actus voluntatis in se elicitus, quo poenitens sibi proponit peccatum vitandi in futuro.

Implicitum: est actus doloris et detestationis de peccato propter Deum, qui actus vi motivi necessario simul continet voluntatem, idem peccatum in futuro non iterandi.

Dotes propositi: sunt qualitates, quas propositum non peccandi de cetero habere debet, ut absolutio sit valida. Sunt 4: debet esse 1° firmum seu absolutum; 2° absolute universale quoad peccata gravia; 3° efficax; 4° explicitum de peccatis gravibus, si dolor de peccatis gravibus commissis elicitus fuit ex motivo non absolute universali; si ex motivo absolute universali est elicitus, sufficit propositum implicitum.

Firmum: poenitens in voluntate paratus esse debet, potius omnia mala pati et omnia bona amittere, quam unquam idem peccatum committere in futuro.

Absolute universale: quoad peccata gravia (non quoad levia): i. e. se extendere debet ad omne possibile peccatum grave futurum seu poenitens debet habere propositum, non solum illa peccata gra-

via non amplius committendi, quae reapse commisit, sed vitandi etiam omne possibile peccatum grave, etsi nunquam reapse commissum.

Efficax: debet esse coniunctum cum vera et sincera voluntate, id faciendi, quod est medium necessarium ad vitandum peccatum in futuro.

13. **Confessio:** est manifestatio peccatorum commissorum. Dividitur in mere narrativam et sacramentalem; sacramentalis in veram et mendacem, genericam et specificam, integram et non integram, secretam et publicam, oralem et scriptam, in praesentia sacerdotis et in eius absentia factam, in generalem et ordinariam, validam et sacrilegam.

Mere narrativa: quae non fit ex intentione absolutionem obtinendi.

Sacramentalis: qua 1° sacerdoti sive vero sive existimato, qui 2° putatur iurisdictionem habere, 3° saltem unum peccatum, sive verum sive existimatum, 4° saltem generice manifestatur, 5° cum intentione absolutionem accipiendi.

Vera et mendax: prout absque mendacio fit vel mendacium dicitur in confessione. Mendacium in confessione dividitur in mendacium in re ad confessionem pertinente vel non pertinente; mendacium in re ad confessionem non pertinente in mendacium in re gravi vel levi; mendacium in re ad confessionem pertinente in mendacium in re necessario ad confessionem pertinente vel non necessario ad confessionem pertinente; mendacium in re necessario ad confessionem pertinente, in mendacium factum in bona fide i. e. cum iudicio, rem non esse sub gravi manifestandam, vel in mala fide, si poenitens scivit, rem sub gravi esse declarandam.

Confessio generica: in qua peccata non in specie infima accusantur. Est triplex: 1° generalissima: peccavi; 2° generalis:

peccavi graviter vel leviter; 3° minus generalis, accusando genus vel speciem subalternam peccati: peccavi graviter vel leviter contra iustitiam.

Specifica: in qua peccata in specie infima accusantur: grave furtum commisi.

Integra seu **completa:** est confessio, in qua omnia peccata accusantur, quae ex lege Christi accusari debent, scl. peccata gravia post baptismum commissa et nondum per absolutionem directe remissa, in specie infima et secundum numerum. Est duplex: materialiter et formaliter integra.

Materialiter integra confessio: in qua omnia peccata gravia post baptismum commissa et nondum accusata per absolutionem remissa, accusantur in specie infima et secundum numerum.

Formaliter integra: si quis peccata gravia secundum speciem infimam et numerum accusat in tantum, in quantum hic et nunc potest physice et moraliter, seu in quantum non habet ad omittenda peccata causam excusantem. Dividitur in obiective et subiective formaliter integram.

Obiective formaliter integra: si quis solum illa peccata gravia omittit, pro quorum omissione hic et nunc revera existit legitima causa excusans.

Subiective formaliter integra: si quis putat, se posse aliquod peccatum grave omittere, etsi revera nulla adsit causa excusans seu, si sic et in tantum se accusat, qualiter et in quantum ipse putat, se accusare debere sub gravi.

Non integra seu **incompleta:** in qua non omnia peccata accusantur, quae ex lege Christi accusari debent. Est vel solum materialiter non integra, tamen formaliter obiective integra vel neque formaliter obiective integra, tamen formaliter subiective integra vel ne subiective quidem formaliter integra.

Materialiter non integra, tamen formaliter obiective integra: si poenitens aliquod peccatum grave ex iusta causa excusante omittit; est inculpabiliter incompleta confessio et valida, sed postea complenda, quando causa excusans cessavit.

Nec materialiter nec formaliter obiective integra, tamen formaliter subiective integra: si poenitens aliquod peccatum grave omittit sine causa vere excusante, ipse tamen in bona fide putat, adesse causam excusantem, i. e. se hic et nunc non sub gravi obligari ad eius confessionem; est etiam inculpabiliter incompleta et valida et solum complenda.

Ne subiective quidem formaliter integra: si quis aliquod peccatum omittit credens se debere sub gravi hic et nunc illud confiteri; est confessio incompleta ex gravi culpa et invalida ideoque tota repetenda.

Res necessario manifestandae in confessione: Quaenam sunt et quotuplicis generis? Resp. Sunt omnia ea, quae sub gravi declarari debent. Sunt duplicis generis: alia declarari debent, quin interroget confessarius; alia solum, si interrogat confessarius.

Quin interroget confessarius: sunt omnia peccata gravia nondum directe per absolutionem remissa, secundum speciem infimam et numerum, ita ut saltem integritas formalis obiectiva adsit, ideoque etiam circumstantiae speciem moralem vel theologicam mutantes, si malitia accedens gravis seu mortalis est. Cfr. pag. 19, n. 15.

Si interrogat confessarius: sunt ea, ad quae inquirenda confessarius ius habet; scl.: 1° circumstantiae notabiliter aggravantes (excepto praecepto sexto); 2° condiciones necessariae ad censuram vel irregularitatem vel casum reservatum incurrendum; 3° consuetudo peccandi graviter; 4° relapsus in idem peccatum grave

pluries iam accusatum; 5° occasio proxima peccati gravis; 6° omnis obligatio gravis poenitentis; 7° status eius (si de gravibus agitur); 8° dispositio necessaria ad valorem absolutionis.

Confessio generalis: est ea, quae fit vel de peccatis totius vitae vel longioris partis eius vel unius anni. Est duplex: necessaria vel non necessaria; non necessaria est vel utilis et suadenda, vel nociva et dissuadenda.

Generalis necessaria: est repetitio confessionis invalidae peccati gravis nunquam directe remissi.

Generalis non necessaria: est repetitio confessionum, quae certo validae vel solum dubie invalidae fuerunt.

Non necessaria, sed utilis: est confessio generalis non necessaria hominis nec scrupulosi nec proclivis ad anxietates conscientiae et (nisi sit graviter aegrotus) bene praeparati.

Generalis nec necessaria nec utilis: est 1° repetitio confessionis generalis valide factae; 2° confessio generalis non necessaria hominis scrupulosi vel saltem proclivis ad anxietates conscientiae vel non praeparati (nisi sit graviter aegrotus).

Ordinaria: quae fit de peccatis commissis inde ab ultima confessione.

Valida: si absolutio fuit valida.

Invalida: si absolutio fuit invalida.

Invalida neutralis: seu materialiter tantum sacrilega: si poenitens in bona fide existens, seu ignoranter fuit invalide absolutus.

Invalida et sacrilega: scl. subiective, formaliter sacrilega: si poenitens in mala fide seu scienter, ex culpa sua accepit absolutionem invalidam.

14. **Complex:** est ille, quocum aliquis peccavit.

Inquirere nomen complicis: Ille confessarius inquirit nomen complicis, qui poenitentem de iis interrogat, quae personam

complicis manifestant confessario. Dupliciter fieri potest: formaliter vel materialiter.

Formaliter: si confessarius intendit cognoscere personam complicem. Hoc dupliciter fieri potest: aut expresse: nomen complicis petendo, aut implicite: de circumstantiis peccati vel poenitentis interrogationes faciendo, ad quas ius non habet, et ex quibus cognoscere potest personam complicis.

Materialiter: si confessarius ex responsis poenitentis ad interrogationes, ad quas faciendas ius habet, pervenit ad cognitionem complicis.

15. **Examen conscientiae:** est inquisitio hominis in peccata gravia nondum accusata eorumque speciem infimam et numerum.

Diligentia in examine conscientiae: Quotuplex est? R. duplex: ordinaria et extraordinaria.

Ordinaria: quam homines prudentes in re magni momenti adhibere solent; haec accommodata est statui hominis, frequentiae occasionum peccandi, spatio temporis elapsi ab ultima confessione, viribus corporalibus et intellectualibus poenitentis, incommodis coniunctis cum examine.

Extraordinaria: est ea, quae descriptam superat seu illa, quam solum homines diligentissimi, sollicitissimi et cautissimi vel etiam scrupulosi in rebus magni momenti adhibere solent.

Negligentia in examine instituendo: Quid est et quotuplex? R. est omissio diligentiae ordinariae. Est duplex: gravis et levis.

Negligentia gravis: si plura peccata gravia omissa sunt quam accusata. Haec vel invalidat absolutionem, ideoque et totam confessionem: si poenitens in actu absolutionis sibi conscius est huius negligentiae graviter culpabilis, vel non invalidat absolutionem, si in actu absolutio-

nis non sibi conscius est, se graviter peccasse per hanc negligentiam.

Negligentia levis: si peccata gravia accusata multo plura sunt, quam omissa.

16. **Satisfactio:** est opus poenale seu castigans hominem, Deum autem honorificans, quo homo intendit reparare iniuriam Deo per peccatum illatam et Deum movere, ut non puniat. Dividitur in non-sacramentalem et sacramentalem; sacramentalis in satisfactionem in voto et in re; satisfactio sacramentalis in re in congruam et incongruam; congrua in eam, quae sub gravi et in eam, quae sub levi obligat.

Non-sacramentalis: est ea, quam homo ipse sibi imponit vel Deus imponit et homo voluntarie acceptat.

Sacramentalis: quae a confessario in sacramento poenitentiae pro peccatis accusatis et per absolutionem remittendis imponit.

In voto: est voluntas poenitentis satisfactionem, quam confessarius impositurus est, acceptandi et implendi, si non sit manifesto incongrua.

In re: est executio poenitentiae impositae.

Congrua: quae saltem aliquo modo accommodata est qualitati, quantitati et multitudini peccatorum, viribus physicis et spiritualibus, statui, sexui et aetati poenitentis. Poenitentiae distinguuntur in leves pro levibus (3—7 Ave, litaniae lauret., Miserere), simpliciter graves pro aliquibus peccatis gravibus ordinariis (12 Pater et Ave, 1 rosarium, litaniae Omnium SS., 1 dies abstinentiae, 1 hora), paulo graviores pro pluribus peccatis gravibus ordinariis (1 missa, via crucis, 1 visitatio ecclesiae, 3 rosaria, psalmi poenitentiales, 1 concio, 1 meditatio per semihoram, eleemosyna, abstinere ab oblectamento aliquo vel a pomis, oratio quaedam per aliquod tempus), valde graves pro multis peccatis gravibus ordinariis (1 ieiunium, exercitia, peregrinatio, novena, susceptio sacra-

mentorum pluribus diebus dominicis, cilicium), gravissimae pro pluribus peccatis extraordinariis vel reservatis papalibus (per annum vel dimidium annum: omni mense sacramenta suscipere, omni hebdomada via crucis, omni die 5 Pater et Ave, etc.).

Incongrua: quae aut 1° non respondet peccatis aut 2° quae publica est aut 3° nimis gravis vel diuturna est vel implicata aut 4° innaturalis, aut 5° condicioni poenitentis disconveniens.

Sub gravi obligans: est poenitentia 1° in se gravis 2° pro gravibus peccatis 3° nondum accusatis 4° sub gravi imposita.

Sub levi obligans: est poenitentia in se levis, aut pro levibus vel gravibus iam alias accusatis et remissis aut sub obligatione levi imposita.

Commutatio poenitentiae sacramentalis: est substitutio alterius operis poenalis expiatorii in locum operis a confessario in satisfactionem sacramentalem impositi.

17. **Potestas ordinis:** est potestas, quae ordinatur ad sacramenta et sacramentalia conficienda et confertur in ordinatione.

18. **Potestas iurisdictionis pro foro interno sacramentali:** est potestas subditis remittendi vel retinendi peccata in sacramento poenitentiae.

Divisio: Dividitur in ordinariam et delegatam; delegata in quasi-ordinariam et simpliciter delegatam; delegata in delegatam a iure seu per legem stabilem vel a consuetudine vel ab homine; in directe et indirecte delegatam; in illimitate vel limitate delegatam; in expresse vel tacite delegatam; in delegatam a Papa, ab episcopo, a parocho, a Superiore regulari.

Ordinaria: quae continetur 1° in munere pastorali 2° stabiliter in ecclesia instituto et 3° ad vitam collato, 4° coniuncto cum iure ad vitam dato vivendi de fructibus bonorum ecclesiasticorum.

Quasi-ordinaria: quae continetur in munere pastorali vel non stabiliter instituto dummodo cura animarum per munus commissa propria sit, independens et ad universitatem causarum vel stabiliter quidem instituto, sed non ad vitam collato vel quae solum perpetuo annexa est alicui muneri stabili et ad vitam collato.

Simpliciter delegata: quae habetur ex speciali commissione alterius seu data est extra collationem muneris pastoralis.

A iure delegata: si per legem stabilem in antecessum data est.

A consuetudine: si in quibusdam casibus consuetudo adest absolvendi et Superior ecclesiasticus, cuius esset, iurisdictionem dare, eam scit nec contradicit.

Ab homine: si Superior ecclesiasticus speciali actu eam delegat.

Directe et indirecte delegata: prout vel immediate ipsi sacerdoti datur vel poenitenti a Superiore ecclesiastico licentia fit, sibi eligendi confessarium.

Illimitate delegata: si datur sine expressione certarum personarum et certi temporis, pro quibus datur.

Limitate delegata: si solum pro certis personis vel ad certum tempus datur.

Expresse delegata: si Superior explicitis verbis eam concedit.

Tacite: si ad exercitium iurisdictionis, quae ab ipso dependet, sciens et volens tacet. Alia patent.

19. **Approbatio:** est sententia episcopi diocceseos, in qua confessio excipienda est, qua sacerdotem aliquem idoneum declarat ad confessiones excipiendas. Dividitur in implicitam et explicitam; explicita dividitur in expressam et tacitam, limitatam et illimitatam.

Implicita: quae alicui eo datur, quod ei munus pastorale confertur.

Explicita: quae fit per formalem sententiam absque collatione muneris pastoralis.

Expressa: si conceptis verbis fit sive viva voce sive scripto.

Tacita: quae silentio datur: scl. si sacerdos non approbatus sciente et non contradicente episcopo loci confessiones excipit, quamvis hic eum inhibere posset.

Limitata et illimitata: prout datur cum expressione personarum, loci, temporis, pro quibus approbatio datur, aut sine tali expressione.

20. **Error communis et privatus:** sacerdotem confessiones excipientem posse valide absolvere, quamvis revera non possit propter certum defectum iurisdictionis vel approbationis. Error communis adest, si fere omnes fideles loci putant, eum posse valide absolvere; privatus, si pauci hoc putant.

21. **Titulus coloratus et existimatus:** Vide pag. [illegible]6.

22. **Iurisdictio theoretice probabilis:** est iurisdictio positive dubia, cuius dubium est speculativum, i. e. quod versatur circa ipsum ius.

23. **Iurisdictio dubia:** est iurisdictio vel negative vel positive dubia, cuius dubium versatur circa factum aliquod humanum.

24. **Regulares** (seu Religiosi): sunt homines, qui ex professo tendunt ad perfectionem christianam, in communitate vivunt iuxta certam regulam sub auctoritate ecclesiastica, quae eorum vivendi modum approbavit. Dividuntur in regulares viros et feminas; in regulares stricte dictos et non strictos; in exemtos et non exemtos; moniales insuper distinguuntur in claustrales et non-claustrales; non-claustrales in approbatas a S. Sede vel solum ab episcopo; etc.

Regulares stricte dicti (ae): a quibus emittuntur 3 vota sollemnia: paupertatis, castitatis, oboedientiae; constituunt

ordinem; hi tantum intelligentur, si simpliciter de regularibus (sine addito) sermo est.

Regulares non stricte dicti (ae): a quibus non emittuntur vota sollemnia. Dividuntur in congregationes, quae vota habent simplicia, sive perpetua sive temporanea; et in instituta, quae nulla vota habent, sed ad summum emittunt promissionem homini seu Superiori factam, perseverandi in instituto ideoque non sunt regulares proprie dicti, sed vocantur religiosi tantum.

Exemti (ae) et non exemti (ae): prouti episcopus dioeceseos iurisdictione ordinaria in eos (eas) pollet vel non.

Moniales claustrales et non claustrales: prouti clausuram papalem habent (si vota sollemnia emittunt vel speciale privilegium clausurae papalis habent) aut solum episcopalem (si solum simplicia vota emittunt).

25. **Confessarius monialium:** est sacerdos ab episcopo dioeceseos (in qua monasterium situm est) specialiter approbatus ad excipiendas confessiones monialium sive omnium sive plurium in dioecesi sive pro uno monasterio tantum. Est triplex: ordinarius, extraordinarius generalis, extraordinarius particularis.

Ordinarius: qui omnes confessiones monialium in monasterio excipit earumque directionem internam habet.

Extraordinarius generalis: qui solum aliquoties (bis vel ter) in anno in monasterium venire debet et cui omnes moniales se sistere debent.

Particularis: est ille, quem aliqua monialis in casu particulari petit pro confessione ei facienda.

26. **Reservatio casuum:** est negatio iurisdictionis ad absolvendum a certis quibusdam peccatis, concessa iurisdictione ad absolvendum a ceteris. Dividitur in poenalem et medicinalem; insuper in reservationem,

qua peccatum reservatur cum censura et in reservationem, qua peccatum sine censura reservatur. Reservatio peccati cum censura est vel reservatio peccati propter censuram vel non propter censuram sed censurae propter peccatum.

Poenalis et medicinalis: prouti principalis intentio reservantis est, per reservationem delinquentes punire aut fideles absterrere a peccatis reservatis committendis.

Cum censura et sine censura: prouti peccato reservato annexa est censura aliqua vel non.

Peccatum reservatum cum censura et propter censuram: si peccatum ideo reservatum est, quia censura reservata est; est potius censura reservata (scl. principaliter).

Peccatum reservatum cum censura, sed non propter censuram: si censura reservata est, quia peccatum reservatum est; est proprie peccatum reservatum (scl. principaliter).

Casus reservati: sunt peccata, a quibus simplex confessarius ob defectum iurisdictionis in ea valide absolvere nequit. Dividuntur in casus papales, episcopales et regulares; in peccatum reservatum cum vel sine censura; peccatum reservatum cum censura dividitur in peccatum reservatum (seu in censuram propter peccatum reservatam), et in censuram reservatam (seu in peccatum reservatum propter censuram); papales in casus a Papa episcopis reservatos aut sibi reservatos vel simpliciter vel speciali modo vel specialissimo modo.

Papalis, episcopalis, regularis: prouti peccatum aliquod Papa vel episcopus vel Superior regularis reservavit. Reliqua vide pag. 191, 195—198.

Condiciones ad id, ut peccatum reservatum sine censura, sit revera reservatum: sunt 6: 1° ut peccatum fuerit externum idque grave; 2° commissum cum plena advertentia et pleno consensu; 3° or-

dinarie effectus malus debet esse secutus; 4° illa malitia peccati saltem in confuso debet esse cognita, propter quam peccatum Superior sibi reservavit; 5° peccatum commissum esse debet cum scientia reservationis, seu excusat ignorantia reservationis in vincibilis vel leviter culpabilis, nisi episcopus aliud statuerit; 6° omnes 5 enumeratae condiciones certo adesse debent. **Condiciones ad id, ut peccatum cum censura et propter censuram reservatum, sit revera reservatum:** condiciones ad censuram incurrendam requisitae, adesse eaeque certae esse debent. Vide pag. 192, n. 6.

27. **Peccatum complicitatis:** Quid est? R. est peccatum 1° quodlibet a sacerdote contra praeceptum sextum sive ante sive post susceptum sacerdotium commissum 2° immediate 3° cum mare vel femina 4° si fuit ex utraque parte externum i. e. non mere internum, 5° ex utraque parte grave tum obiective tum subiective et 6° ex utraque parte certum, i. e. certo commissum, certo externum ac certo grave, obiective et subiective.

28. **Peccatum sollicitationis in confessione:** Quid est? R. est 1° certum aliquod dictum vel factum signum in relatione ad confessionem (i. e. in confessione, aut immediate ante vel post eam, aut occasione confessionis vel petitionis confessionis statim faciendae aut sub praetextu confessionis aut in loco confessionis cum simulatione eius; cfr. pag. 413, n. 72) 3° a sacerdote commissum, quo alium ad peccatum grave contra castitatem faciendum movere intendebat, 3° quodque certe in alio sensu nulla ratione explicari potest; 2° sermo turpis (graviter peccaminosus) confessarii cum poenitente, habitus in relatione ad confessionem.

29. **Dispositio poenitentis:** est dolor et detestatio poenitentis requisita cum proposito necessario; vide supra pag. 252—254.

Dispositus, indispositus et dubie dispositus poenitens: 1° dispositus ille dicitur, pro cuius dispositione adest aliquod grave motivum, etsi etiam contra eius dispositionem adsit gravis suspicio. 2° Dubie dispositus, pro cuius dispositione nullum adest grave motivum, contra quam autem gravis suspicio habetur ex positivis indiciis. 3° Indispositus: de quo certum est, eum non habere dispositionem e. g. qui monitus renuit aliquam obligationem gravem implere.

Signa dispositionis: sunt quaedam facta, ex quibus grave motivum pro dispositione poenitentis colligi potest. Sunt duplicis generis: ordinaria et extraordinaria.

Ordinaria: sunt 2: 1° confessio rite nec quasi coacte instituta; 2° assertio non ficta poenitentis, se dolere et emendationem proponere. Haec duo tunc tantum grave motivum pro dispositione subministrant, si nihil occurrit, quod prudentem suspicionem ingerat contra dispositionem poenitentis.

Extraordinaria: sunt omnia alia signa, ex quibus confessarius in casu gravis suspicionis contra dispositionem poenitentis sibi colligere potest grave motivum pro eius dispositione, e. g. si poenitens imparatus et indispositus accessit, confessarius autem cum zelo apostolico eum ad rectam confessionem, ad dolorem et propositum excitare diligenter conatus est et poenitens nunc sincere confitetur et serio asserit, se dolere et emendationem proponere.

30. **Consuetudinarius:** est homo, qui pravam inclinationem et facilitatem contraxit, idem peccatum grave sive internum sive externum committendi, eo quod 1° illud intra certum et longius tempus (e. g. per annum) 2° saepe et 3° per quaedam intervalla (non nimis brevia nec nimis longa) iteravit. Est duplex: vel simplex vel recidivus: recidivus est vel materialiter vel formaliter recidivus.

Consuetudinarius simplex: est ille consuetudinarius seu habituatus in peccato gravi, qui hoc non iam pluries confessus et ab eo absolutus est.

Consuetudinarius recidivus: est ille habituatus in peccato gravi, qui hoc peccatum iam pluries (saltem ter) confessus et ab eo absolutus est.

Materialiter recidivus: si quidem idem peccatum grave iam pluries confessus est, attamen aliquo modo se emendavit inde ab ultima confessione vel saltem aliquod medium se emendandi adhibuit.

Formaliter recidivus: si nullo modo se emendavit neque ullum medium a confessario ei propositum adhibuit.

31. **Recidivus simpliciter talis;** est ille recidivus, qui non est simul consuetudinarius, i. e. qui iam pluries idem peccatum grave confessus et ab eo absolutus est, quin tamen iam pravum habitum contraxerit (scl. si deest una ex 3 condicionibus in n. praecedenti enumeratis). Est duplex: materialiter et formaliter recidivus; vide punctum antecedens.

32. **Occasionarius:** est ille, qui constitutus est in occasione peccandi graviter. Occasio peccati gravis dividitur in occasionem in esse, et non in esse, in liberam et necessariam, in proximam et remotam.

Occasio: est aliqua res externa vel persona, quae incitamentum et simul opportunitatem praebet ad peccandum.

Occasio in esse: quam quis continuo apud se habet.

Occasio non in esse: quam quis non habet apud se, sed facile adire potest.

Libera: seu voluntaria: quae facile removeri vel vitari potest.

Necessaria: quam removere vel vitare aut physice est impossibile aut coniunctum esset cum gravi seu notabili incommodo vel damno sive proprio sive alieno.

Proxima: si non adest probabilis spes, hominem in illa occasione non graviter peccaturum esse.

Remota: si adest probabilis spes, hominem in ea occasione non graviter peccaturum esse. Cfr. pag. 51—52, 54.

Familiaritates: Quid sunt et quomodo dividuntur? R. sunt visitationes adamantium. Dividuntur in per se licitas et per se illicitas; in illas, quae ante et quae post sponsalia fiunt; in eas, quae continent occasionem remotam vel proximam peccandi graviter, item necessariam vel liberam.

Licitae (per se): 1° quae fiunt post sponsalia; 2° quae fiunt ante sponsalia a) cum intentione et b) spe probabili matrimonii c) mox ineundi (non diu ultra annum, si frequenter se visitant). Ratio est, quia in hoc duplici casu necessariae sunt ne infaustum matrimonium ineatur; sed in casu necessitatis licitum est, se exponere periculo peccati, dummodo cautelis adhibitis (non solus cum sola) periculum proximum consensus in peccatum excludatur.

Illicitae (saltem per se): quae fiunt aut 1° sine intentione, aut 2° sine spe probabili matrimonii ineundi, aut 3° solum cum intentione vel spe matrimonii diu postea ineundi; nam ordinarie continent periculum saltem remotum peccandi contra castitatem; sed iusta causa, hoc periculum cohonestans, solum est futurum matrimonium. Cfr. pag. 54.

Quae continent occasionem remotam vel proximam peccati gravis, necessariam vel liberam: vide praecedentia.

Choreae: dividuntur, spectato modo obiectivo, quo habentur, in saltationes honestas et inhonestas; inhonestae in graviter et leviter inhonestas; spectata publicitate in publicas et in privatis domibus; privatae in occultas et familiales.

Honestae: in quibus partes corporis honestae tantum deteguntur et tactus gestus-

que solum honesti fiunt (i. e. in partibus corporis honestis).

Leviter inhonestae: in quibus vel solum collum, superior pars pectoris (non mamulae) et scapulae mulieris deteguntur vel tactus gestusve in his partibus fiunt.

Graviter inhonestae seu obscoenae: si vel 1° partes corporis obscoenae (genitalia vel partes illis proximae) vel pectus cum mamillis (in nostris regionibus) vel crura vel totum dorsum deteguntur vel velo tenuissimo tantum tegantur aut 2° tactus, gestus, vel pressiones in hisce partibus fiunt (etsi supra vestes tantum in parte obscoena fiant). Alia patent.

Spectacula: dividuntur in honesta et inhonesta, inhonesta in leviter vel graviter inhonesta.

Honesta: quae nec fidem nec virtutem christianam nec speciatim castitatem laedunt.

Leviter inhonesta: in quibus quaedam occurrunt, quae vel fidei vel virtutibus christianis vel speciatim castitati contraria sunt, sed non notabiliter.

Graviter inhonesta: in quibus vel 1° veritates revelatae (vel institutiones vel virtutes christianae) ut ridiculae, virtutes ut contemtibiles exhibentur et ludibrio exponuntur aut 2° nudationes vel saltationes obscoenae fiunt. Etiam choreae et spectacula sunt vel occasio remota tantum vel proxima (sive obiective sive subiective), eaque vel libera vel necessaria; vide numerum praeced.

33. **Sigillum sacramentale:** est obligatio 1° cuiuslibet hominis 2° servandi silentium perpetuum 3° erga quemcunque hominem (etiam ipsum poenitentem) 4° extra confessionem 5° de omnibus ex sacramentali confessione tantum cognitis (sive immediate sive mediate) 6° quorum revelatio sacramentum poenitentiae odiosum redderet hominibus, 7° nisi poenitens lo-

quendi licentiam dederit expresse et prorsus libere.

Materia sigilli sacramentalis: est omne id, quod sub obligatione sigilli sacramentalis cadit: 1° peccata, (mortalia in genere et in specie, venialia in specie) etsi publice nota; 2° quae dicta sunt ad declaranda peccata: obiecta, circumstantiae et complex peccatorum nisi sint publice nota; 3° indispositio poenitentis et absolutio denegata; 4° defectus physici et morales poenitentis, nisi sint publice noti.

Laesio sigilli: est duplex: directa et indirecta.

Directa: si 1° aliquid, quod sub sigillo cadit, praesertim peccatum aliquod revelatur et 2° simul persona nominatur vel a) expresse vel b) ita eam describendo, ut alii eam certo cognoscere possint.

Indirecta: si aut 1° aliquid, quod sub sigillo cadit, praesertim peccatum aliquod revelatur, quin nominetur persona, sed tamen cum periculo (vel gravi vel levi), quominus alii venire possint in cognitionem vel suspicionem personae; 2° si quis propter audita in confessione (quae sub sigillo cadunt) aliquid dicit vel facit vel omittit, quod in gravamen seu molestiam poenitentis cedit, etsi poenitens non advertat, id fieri propter audita in confessione.

PRINCIPIA.

1. Post commissum peccatum mortale formale personale ad salutem aeternam obtinendam necessaria est *poenitentia* (vel formalis vel virtualis) de eo; scl. dolor, detestatio et propositum non amplius peccandi mortaliter, et quidem 1° *necessitate medii*, quia Deus peccatori sine ea non remittit peccatum mortale infundendo ei gratiam sanctificantem, quae ad salutem necessaria est necessitate medii ab-

soluta; haec necessitas poenitentiae est necessitas medii absolute dicta, quia non existit medium vicarium, quo suppleri possit; 2° *necessitate praecepti* a) divini, quia id, quod ad salutem necessarium est, adulto etiam praecipitur; *α*) per se obligat non solum in morte, in qua necessario implendum est, quia secus non restat aliud tempus praeceptum implendi, sed iam in vita, ita ut diu differre poenitentiam, mortale sit, quia diu deesse obligationi primariae, tendendi in Deum, ultimum finem suum, cui homo in statu peccati mortalis satisfacere non potest, grave peccatum est; Cfr. pag. 408, n. 38. *β*) per accidens obligat, quoties aliud praeceptum divinum implendum est, quod rite impleri non potest absque poenitentia vel statu gratiae; b) praecepti ecclesiastici: per se saltem intra annum poenitendum est baptizato quia confessio annua ab ecclesia precepta includit poenitentiam, quum sine ea non esset digna, ut ecclesia praecipit.

2. *Confessio* (in quantum haec requiritur ad validam absolutionem) omnis peccati mortalis post baptismum commissi necessaria est ad eius remissionem ideoque etiam ad salutem 1° *necessitate medii*, non quidem stricte dicta, sed latius dicta, quia, si physice vel moraliter impossibilis est, suppleri potest per votum eius; 2° *necessitate praecepti* a) divini: *α*) per se solum in morte, quia tunc et tunc solum necessarium est hoc praeceptum implere, quum secus aliud tempus non supersit ad illud implendum, cfr. pag. 408, n. 39; *β*) per accidens autem, si ex una parte status gratiae ex praecepto divino requiritur, scl. aut tentatio quaedam contra legem divinam vinci non potest nisi peccator se ponat in statum gratiae aut si quis sacramentum aliquod vivorum suscipere vel conficere vel eucharistiam administrare debet et ex altera parte contritionem perfectam elicere vel non

scit vel non potest vel non vult; b) ecclesiastici: α) per se intra annum; β) per accidens, quoties communio suscipitur sive libere sive obligatorie (scl. semel in anno et quidem tempore paschali).

3. Poenitentia perfecta seu *contritio*, saltem implicita in actu caritatis perfectae erga Deum post commissum peccatum mortale personale, necessaria est ad salutem: 1° *necessitate medii* stricte dicta, sed hypothetice tantum scl. pro peccatore non baptizato extra casum baptismi et martyrii, et pro peccatore baptizato extra casum absolutionis martyrii et extremae unctionis in bona fide susceptae: quia praeter haec media et contritionem perfectam non existit aliud certum medium obtinendi statum gratiae sanctificantis; haec vero ad salutem necessaria est necessitate medii absoluta; cfr. pag. 408, n. 44. 2° *necessitate praecepti* divini, iterum hypothetice tantum: scl. extra praedictos casus: quia id, quod medium necessarium est ad salutem, adulto etiam praeciptur adhibendum; et α) per se obligat, non solum in morte, sed etiam in vita, ita ut eam diu differre, mortale sit; cfr. n. 1; β) per accidens vero, quoties quis ex praecepto divino indiget statu gratiae, i. e. sacramentum aliquod vivorum vel conficere vel suscipere vel eucharistiam administrare vult vel debet aut tentatio aliqua contra legem divinam vinci non potest, nisi eo quod peccator tentatus se iterum in statum gratiae ponat.

4. *Contritio* (scl. perfecta) de uno peccato mortali commisso 1° vi motivi sui necessario implicite *se extendit* etiam ad omnia alia peccata mortalia commissa, quia omne peccatum mortale rumpit amicitiam cum Deo et excludit dilectionem Dei super omnia; estque ultima dispositio ad remissionem omnis peccati mortalis commissi eamque de congruo infallibili merens ob Dei promissionem expressam et sollemnem. Sed 2° contritio de mortalibus commissis non

includit necessario contritionem etiam de venialibus commissis, quia peccatum veniale non excludit amicitiam cum Deo et amorem Dei super omnia; dependet ergo a modo, quo in actu contritionis eius motivum apprehensum fuit, scl. an ita, ut etiam hoc vel illud veniale vel etiam omnia venialia commissa excludat.

5. *Peccata venialia* tum 1° sacramentaliter (per bapt., absolut., euchar., extr. unct., supposita attritione de eis elicita) tum 2° extra-sacramentaliter *remittuntur*: scl. per poenitentiam de eis elicitam; et a) per contritionem quidem, sive explicitam, sive implicitam (in actu caritatis) certo omne peccatum veniale deletur; item b) per attritionem tum explicitam tum implicitam (in bono opere, quod veniali commisso contrarium est, seu eius displicentiam continet); attamen non omnis attritio etiam imperfectior, tenuis et infimi gradus quoad intensitatem et durationem, sufficit ad quaelibet etiam graviora venialia delenda extra sacramentum, sed forte non raro requiretur attritio ex motivo aliquo perfectiore.

6. 1° Nulla poena pro aliquo peccato commisso Deo debita a Deo *remittitur* nondum remisso peccato; 2° nullum peccatum commissum remittitur sine poenitentia de eo i. e. sine eius detestatione et dolore cum proposito illud nunquam committendi, quia ille, quem offensae divinae non poenitet et eam iterum facere vult, eius veniae est indignus; 3° omne peccatum remittitur per gratiam sanctificantem, vel primam (mortale) vel secundam (veniale in homine, qui iam est in statu gratiae). 4° Unum ergo peccatum mortale commissum non potest remitti sine alio mortali commisso, sed utique mortale sine veniali et unum veniale sine alio veniali, quia gratia sanctificans, per quam omnis remissio fit, consistere pot-

est cum peccato non remisso veniali, non autem cum mortali, utpote digno damnatione aeterna, dum gratia sanctificans dat homini ius ad beatitudinem aeternam. 5° Remisso peccato, semper etiam pars poenae temporalis ei debitae remittitur, maior vel minor pro perfectione doloris.

7. *Actus poenitentis*: intentio, dolor cum proposito, confessio cum intentione absolutionem accipiendi et voluntate satisfaciendi, semper ad valorem absolutionis requiruntur, sive ut condicio sine qua non, sive probabilissime ut materia huius sacramenti; ideoque 1° absolutio certo est invalida, si hi actus in poenitente non adfuerunt in momento absolutionis; 2° probabiliter autem est invalida, si adfuerunt quidem interius in poenitente, tamen ad extra non sensibiliter manifestati sunt, quia materia omnis sacramenti debet esse sensibilis; hinc solum in casu necessitatis talis poenitens condicionate licite absolvi potest; cfr. infra n. 9; 408, n. 40; 410, n. 49.

8. *Absolutio*, ut valida sit, 1° *vocalis* esse debet (cfr. pag. 312, n. 7, 1°) et 2° lata in hominem moraliter praesentem i. e. non ultra 20 passus distantem, qui etiam acclamari possit, saltem alta voce.

9. *Absolutio condicionate* datur et licite dari potest ac debet, quando ex una parte sacerdos dubitat, an omnia adsint, quae ad valorem absolutionis requiruntur et ex altera parte poenitens sine omni absolutione dimissus fortasse notabile damnum spirituale haberet (e. g. si certo vel dubie in mortalibus est). Cfr. pag. 410, n. 52.

10. *Confessio peccatorum specifica* i. e. secundum speciem et numerum: 1° Ex natura sacramenti poenitentiae non est necessaria, sed sufficit generalissima, quia absolutio est sententia iudicialis, ad quam sufficit generalis cognitio iudicis, hominem deliquisse. 2° Quoad materiam necessariam, i. e. mortalia nondum accusata vel saltem

non directe remissa facienda est solum ex praecepto positivo gravi Christi ,quoad materiam liberam autem, scl. venialia et mortalia iam alias accusata et directe remissa, si quis solum talia habet accusanda, ex praxi ecclesiae universali, sed solum secundum speciem subalternam, neque sec. numerum. Ideoque 3° in casu necessitatis accusatio generalis valida et licita est, quia natura sacramenti aliam non postulat et a praecepto positivo excusat necessitas. 4° Extra casum necessitatis talis accusatio quoad mortalia nondum accusata vel saltem nondum directe remissa graviter illicita quidem est, sed absolutio a) invalida solum tunc est, si in mala fide fit, i. e. cum scientia, hic et nunc faciendam esse confessionem sec. speciem infimam et numerum idque sub gravi: ratio est defectus doloris de mortalibus, qui ad valorem absolutionis requiritur; b) si in bona fide fit, valida est absolutio, quia nec dispositio poenitentis deest nec natura sacramenti aliud exigit, nisi accusationem generalissimam.

11. *Ad certo validam absolutionem* requiritur, ut poenitens 1° saltem unum 2° verum peccatum 3° formale 4° certo commissum, etsi iam remissum, 5° in genere manifestet 6° cum dolore et detestatione et cum proposito absoluto, efficaci et firmo nunquam illud committendi (quoad venialia: vel non ita frequenter sicut prius, vel vitandi graviora venialia unius speciei, etc.)

12. *Confessio, 1° ut absolutio sacerdotis valida sit,* debet esse a) facta cum intentione accipiendi absolutionem seu sacramentalis, b) vera i. e. absque mendacio malae fidei in re necessario accusanda vel aperienda; cfr. pag. 409, n. 47. c) dolorosa i. e. coniuncta cum poenitentia (et proposito) in actu absolutionis vel actualiter elicita vel saltem virtualiter perdurante, d) externa i. e. peccata exterius manifestari de-

bent: signo vel voce vel scripto; c) integra saltem formaliter subiective. 2° Ex praecepto ecclesiae, quod autem in casu necessitatis non obligat, confessio insuper fieri debet sacerdoti a) praesenti (cfr. pag. 408, n. 43), b) voce seu verbis et c) secreto.

13. Peccata *venialia, item mortalia dubia* accusari non debent, quia de venialibus non habetur praeceptum nec Christi nec ecclesiae, et de peccatis mortalibus dubiis lex confessionis est dubia et lex dubia est lex nulla.

14. *Ab integritate* confessionis 1° materiali *excusat*: non solum a) impotentia physica: infirmitas, defectus loquelae, ignorantia idiomatis confessarii, defectus temporis, oblivio et ignorantia saltem hic et nunc inculpabilis et perdurans post diligens examen conscientiae; sed etiam b) impotentia moralis i. e. *incommodum grave* confessioni externum, tam proprium quam alienum, tam spirituale quam temporale. Cfr. pag. 409, n. 48. 2° Ab integritate formali obiectiva excusat solum bona fides poenitentis, sed 3° ab integritate subiective formali nihil excusat, sed confessio sine ea facta est actus directe positus contra conscientiam sub gravi praecipientem.

15. Sola *multitudo poenitentium* concurrentium nec poenitentem nec confessarium excusat ab integritate materiali confessionis procuranda.

16. Si quis mortalia habet accusanda neque in antecessum ea scit quoad speciem infimam et numerum, 1° sub gravi tenetur ex praecepto Christi *examen conscientiae* instituere, quia is, qui ad finem tenetur, tenetur etiam ad medium necessarium adhibendum; sed 2° solum cum diligentia ordinaria seu mediocri, etsi per examen diligentius adhuc plura peccata gravia commissa detegeret, quia nemo ad legem aliquam implendam adhibere debet medium extraordinarium.

17. Poenitentem in integritate confessionis probabiliter deficientem, etsi in bona fide mortalia omittat, *confessarius* 1° sub gravi *interrogare* debet, si eum absolvere vult, de specie infima et numero illorum mortalium, quae probabiliter commisit, quia confessarius ut minister sacramenti ea omnia sub gravi procurare tenetur, quae vel ad valorem eius vel ad eius integritatem requiruntur vel ad licitam administrationem vel susceptionem eius sub gravi praecepta sunt. Tamen 2° non diutius eum interrogare debet, quam poenitens se examinare debuisset, quia obligatio interrogandi est secundaria tantum seu ad supplendum poenitentem, imo 3° brevius, ne confessio reddatur odiosa; et 4° eaedem causae, quae poenitentem deobligant ab integritate materiali, etiam confessarium excusant ab interrogando seu procurare tenetur solum integritatem obiective formalem, quia ne poenitens quidem ad maiorem tenetur; imo 5° si poenitens, qui in bona fide sine iusta causa excusante peccata mortalia commissa omisit, propter ulteriores interrogationes dispositionem suam amitteret, confessarius ab iis ponendis excusatur, etsi ideo integritas obiective formalis non plena adsit, quia ex duobus malis minus est eligendum et quia minister sacramentorum quoad ea, quae mere praeceptiva sunt in eis, etiam ad id attendere debet, ne sacramenta reddantur odiosa, ideoque in hoc casu contentus esse potest integritate subiective formali.

18. *Credendum est poenitenti* tam pro se, quam contra se loquenti, nisi contrarium certo constet ex propria experientia confessarii. Cfr. pag. 413, n. 73.

19. *Nomen complicis* poenitentis 1° formaliter *exquirere* nunquam licet, quia id sacramentum poenitentiae hominibus redderet odiosum et ecclesia sub gravi prohi-

buit (cfr. etiam pag. 197, 2°a); sed 2° mere materialiter exquirere, licitum est, quia id per accidens evenit ex alia interrogatione licita; cfr. pag. 258. Imo 3° confessarius poenitenti sub poena denegandae absolutionis iniungere potest et debet denuntiationem complicis faciendam Superiori, etiam cum gravi incommodo poenitentis, si omissio denuntiationis bonum commune vel saltem multos alios in periculum vocaret, et quamvis poenitens in bona fide sit et fructus monitionis certo sperari non possit, quia bonum commune praevalet omni bono privato.

20. Sola confessio mortalium certo invalida sub gravi *repetenda* est, sed in genere tantum, si apud eundem confessarium repetitur, quia hic de singulis peccatis accusatis iam sacramentaliter iudicavit.

21. *Confessio invalida* est propter *defectum* 1° *in confessario*: a) si iurisdictionem vel approbationem non habuit, b) formam absolutionis essentialem non dixit vel substantialiter mutavit; c) intentionem absolvendi non habuit; d) nullum peccatum audivit vel nullum intellexit; 2° *in poenitente*: a) si scienter gravem negligentiam commisit in examine conscientiae, sciens, se ideo graviter peccasse, neque hoc peccatum dolorose accusavit, quamquam ad id se sub gravi hic et nunc obligatum iudicavit; b) si peccatum grave formale nunquam antea in specie infima et numero accusatum vel saltem non directe remissum, scienter et in mala fide reticuit, i. e. quamvis ad eius confessionem hic et nunc se sub gravi obligatum iudicaverit, c) si in re necessario ad confessionem pertinente mentitus est cum mala fide seu quamvis ad eius manifestationem hic et nunc faciendam se sub gravi obligatum habuerit; d) si quid aliud fecit vel non fecit, propter quod se graviter peccare et absolutionem sacrilege seu invalide suscipere putavit;

e) si non habuit requisitum dolorem de omnibus mortalibus commissis et nondum remissis vel non requisitum propositum absolute universale quoad mortalia vel, si solam materiam liberam confessus est, ne de uno quidem veniali nec mortali iam remisso requisitum dolorem et propositum habuit. Ratio unica omnium est, quia talis poenitens dispositione caret i. e. dolore et proposito ad valorem absolutionis necessario.

22. *Poenitentia* a confessario imposita *commutari* potest sine repetitione confessionis tum 1° ab eodem confessario, extra confessionem quoque, tum 2° ab alio confessario in alia confessione: quia de singulis peccatis iam antea sacramentaliter iudicatum est, confusam autem peccatorum cognitionem, ad commutationem necessariam, uterque confessarius haurit ex notitia poenitentiae impositae. Cfr. pag. 410, n. 53-54.

23. Ut sacerdos potestatem habeat, valide aliquem absolvendi, debet: 1° vi legis Trident. esse explicite *approbatus* ad confessiones excipiendas a) ab episcopo dioeceseos, in qua confessio excipitur, nisi poenitens absolvendus sit homo aut regularis exemtus aut eius subditus talis, in quem iurisdictionem ordinariam habet, aut constitutus in periculo mortis (cfr. pag. 411, n. 61); b) approbatio debet esse saltem tacita, non sufficit praesumta, quia ad valorem actus ut condicio sine qua non, requiritur, quae utique vere existere debet; 2° habere *iurisdictionem* a) in absolvendum et quidem b) ab illo Superiore ecclesiastico, cuius subditus est absolvendus, quia absolutio est sententia iudicialis, quae ferri non potest nisi in illum, in quem habes iurisdictionem; insuper nemo dat, quod non habet; c) debet esse vel ordinaria vel delegata eaque vel expresse vel tacite, item vel directe vel indirecte sacerdoti delegata.

24. *Peregrini* absolvuntur vi iurisdictionis tacite (scl. per consuetudinem universalem)

a proprio ipsorum episcopo sacerdoti delegatae; *vagi* autem vi iurisdictionis a Papa sacerdoti delegatae, quia hic tantum iurisdictionem in eos habet. Cfr. pag. 411, n. 60.

25. *Confessarii regulares exempti* 1° iurisdictionem in omnes fideles totius ecclesiae a) a Superioribus suis accipiunt, qui eam ab ipso Papa habent; b) in fideles dioecesanos non exemtos eam insuper accipiunt ab episcopo dioeceseos, a quo approbantur ad confessiones excipiendas. 2° Approbatione episcopi loci indigent solum ad valide excipiendas confessiones fidelium, qui non sunt regulares exemti. Cfr. pag. 412, n. 63.

26. *Ii regulares pertinent*: eorum professi, novitii, famuli domestici et alumni convictores, qui et quamdiu sub eorum disciplina vivunt; in quos tamulos et alumnos autem etiam episcopus loci iurisdictionem habet. Cfr. pag. 412, n. 64.

27. 1° *Iurisdictionem* in *monniales* a) exemtas (i. e. quae subsunt alicui ordini virorum regularium exemto) confessario dat praelatus ordinis virorum, cui ordo monialium annexus est, quia hic tantum iurisdictionem in eas habet; b) in non-exemtas: episcopus loci, in quo domus monialium, ad quam monialis absolvenda pertinet, sita est, quia hic iurisdictionem in eas habet. 2° Insuper ad valide absolvendam monialem (scl. professam vel novitiam) quamlibet, etiam exemtam, sacerdos omnis, etiam regularis, indiget *speciali approbatione* ad excipiendas confessiones monialium et quidem *episcopi loci*, in qua domus monialium sita est, nisi monialis extra domum monialium legitime versetur sive habitualiter sive transeunter, quo in casu valide et licite absolvitur ab omni sacerdote, qui generatim ad confessiones excipiendas approbatus est ab episcopo loci, in quo confessio excipitur, dummodo non specialiter pro illa moniali provisum sit. 3° Confessarius ordinarius, extraordi-

narius et particularis monialium pro monialibus non-exemtis *nominantur* ab episcopo, pro exemtis a Superiore regulari; 4° ordinarius nominatur ad triennium isque sacerdos saecularis pro non-exemtis, pro exemtis sacerdos regularis eiusdem ordinis; extraordinarius pro exemtis saltem semel in anno debet esse sacerdos vel saecularis vel regularis alterius ordinis. 5° Pro omnibus monialibus etiam votorum simplicium triplex praedictus confessarius constitui debet. 6° Confessarius particularis moniali eum postulanti concedi debet: 1° si graviter aegrota est; 2° si alii confessario confiteri recusat; 3° si eo indigere putat ad maiorem profectum suum spiritualem.

28. *Iurisdictio* 1° ordinaria *amittitur* per amissionem officii et suspensionem ab officio. 2° Delegata iurisdictio expirat a) per revocationem eamque notificatam; b) expirationem temporis praefiniti; c) mortem delegantis, nisi vel *α*) illimitate data (cfr. pag. 411, n. 59), vel *β*) res non amplius integra sit i. e. si delegatus ante mortem delegantis iam semel potestate absolvendi usus est, vel *γ*) delegans absolutionem poenitentis mandavit. Cfr. pag. 33, n. 6. d) Per mutationem domicilii talem, qua quis amisit domicilium in dioecesi episcopi, a quo quis iurisdictionem accepit, amittitur iurisdictio, si episcopus ita expresse constituit vel haec est consuetudo in dioecesi. 3° Omnis iurisdictio amittitur per haeresim vel schisma, si notoria sint, item per excommunicationem, qua excommunicatus fit vitandus.

29. Ecclesia 1° *certo supplet iurisdictionem*: a) si absolvendus in periculo mortis est; ita ut quilibet sacerdos quemlibet poenitentem in quolibet periculo mortis constitutum a quibuslibet peccatis et censuris valide absolvere possit; b) in casu iurisdictionis

theoretice probabilis; c) in casu erroris communis cum titulo colorato. Sed 2° in casu iurisdictionis dubiae, aut si titulus solum existimatus habetur, a) dubium est, an ecclesia suppleat, si simul error communis adest, (ideoque absolutio, si datur, dubie valida est; cfr. pag. 411, n. 62), et b) si error est privatus, certo non supplet.

30. Omnis *reservatio* 1° *peccatorum* probabiliter est principaliter poena medicinalis tantum ideoque non incurritur, si poenitens eam *ignoravit* (ignorantia invincibili vel leviter culpabili) ideoque certo valide absolvitur talis poenitens, quia in casu iurisdictionis theoretice probabilis ecclesia certo supplet iurisdictionem, si forte deest. Cfr. pag. 412, n. 65. At 2° reservatio censurae quam quis revera iam contraxit, est poena vindicativa eaque ordinaria, quae etiam ab ignorantibus eam incurritur. Cfr. pag. 200—201, n. 2, 2°—3°.

31. *Casus reservati* 1° *papales* sunt casus reservati cum censura et propter censuram seu censurae reservatae, uno excepto: calumniosae et iuridicae accusationis sacerdotis de crimine sollicitationis ab eo in confessione commisso (casus specialissime reservatus). 2° Casus *episcopales* ordinarie sunt casus reservati sine censura seu mera peccata reservata et si aliquis casus cum censura reservatus est, reservatus censetur propter censuram. Cfr. pag. 412, n. 66.

32. *A casu reservato episcopali* 1° *confessarius simplex* (i. e. qui non accepit potestatem in peccatum reservatum) etiam regularis poenitentem, qui est subditus episcopi reservantis, a peccato reservato *non potest directe absolvere*, sed solum indirecte (cfr. pag. 249, n. 5) ideoque cum obligatione poenitentis idem peccatum reservatum confessario habenti potestatem in illud, iterum confitendi, ut absolutionem directam ab eo accipiat, quia ex lege Christi omne peccatum mortale vi absolutionis

remittendum est. 2° Confessarius accipit autem potestatem in peccatum reservatum a) a Trident., si fidelis in periculo mortis est, et b) tacite et indirecte sibi delegatam (per consuetudinem universalem) ab episcopo fidelis, si hic peregrinus est, etiam si peccatum cum censura reservatum est; ideoque fidelem in periculo mortis constitutum aut peregrinum directe absolvere potest.

De absolutione a casibus papalibus vide pag. 204, 15—16.

33. Peccatum *non est amplius reservatum* 1° si poenitens illud confessus est habenti facultatem in idem peccatum, etsi confessio fuerit invalida, quia legitimus Superior de eo iam iudicavit et congruam poenitentiam imposuit; quo in casu confessio repetenda (apud quemlibet confessarium simplicem) et poenitentia a privilegiato imposita implenda est; 2° si poenitens in confessione apud privilegiatum instituta peccatum reservatum ex oblivione non est confessus, quia omnis confessarius absolvere intendit, in quantum potest et poenitens indiget, potuit autem in hoc casu a peccato isto non accusato saltem reservationem auferre; quo in casu poenitens peccatum omissum (apud quemlibet confessarium simplicem) postea confiteri debet. Cfr. pag. 412, n. 67.

34. Confessarius *complicem suum in peccato turpi* 1° *valide* absolvere potest, idque *directe* tum a peccato complicitatis tum ab aliis: a) in periculo mortis complicis, vi potestatis a Trident. datae; b) in casu gravissimae necessitatis, i. e. si alius sacerdos nec adest nec adiri potest et tamen confessio et communio omitti non possunt sine gravi damno spirituali complicis vel sine gravi infamia sive complicis sive sacerdotis vel sine gravi scandalo aliorum, quia hoc probabile est et in casu iurisdictionis theoretice probabilis ecclesia certo supplet

iurisdictionem; c) si sacerdos (tecto nomine suo) facultatem, proprium complicem absolvendi, sibi procuravit; d) si complex iam directe absolutus est a peccato complicitatis (sive a sacerdote complice habente facultatem, sive ab alio confessario), quia ex lege Bened. XIV. sacerdos solum tunc caret iurisdictione in complicem, si hic peccatum complicitatis confitetur et ab hoc nondum directe absolutus est; hoc probabile est quoad peccatum complicitatis, quoad alia peccata certum est; atqui in casu iurisdictionis theoretice probabilis ecclesia certo supplet; e) si sacerdos in bona fide complicem suum absolvit, i. e. ignorans, poenitentem esse suum complicem vel se carere iurisdictione in complicem, quando hic peccatum complicitatis accusat, a quo nondum ab alio confessario directe absolutus est, dummodo eius ignorantia non fuerit affectata: nam hoc probabile est et in casu iurisdictionis theoretice probabilis ecclesia certo supplet. 2° In hisce casibus etiam *licite absolvit*, dummodo in casu sub a) desit alius sacerdos approbatus, cui complex confiteri licite possit et velit aut saltem sacerdos complex sine gravi infamia vel scandalo confessionem complicis declinare non possit. 3° Sacerdos complicem suum, qui a peccato complicitatis nondum directe absolutus est (nec ab alio confessario nec a sacerdote complice habente facultatem), *saltem ab aliis peccatis eius*, quae confitetur, a) valide absolvere potest, si poenitens peccatum complicitatis non confitetur; b) licite autem solum tunc, si non ipse poenitentem induxit ad omittendum peccatum complicitatis, nec directe nec indirecte. Cfr. pag. 413, n. 69—71. 4° Quandonam sacerdos complicem in peccato turpi absolvendo, excommunicationem incurrat, vide pag. 196, d.

35. *Poenitens* 1° relinquendus est *in bona fide* sua, i. e. in ignorantia sua

(physice) invincibili, si a) ignorantia ei non nocet nec b) fructus monitionis unquam secuturus certo sperari potest (vel solum cum gravi damno tertii) nec c) scandalum publicum vel damnum commune ex ignorantia poenitentis oritur: nam ex duobus malis minus eligendum est i. e. peccatum materiale poenitentis prae formali peccato eius. 2° Si autem ignorantia a) vincibilis est, aut b) invincibilis quidem, tamen *α*) omissio monitionis animae eius noceret, vel *β*) fructus monitionis saltem postea obtinendus certo sperari potest, scl. poenitentem monitioni obtemperaturum esse, vel *γ*) poenitens per ignorantiam suam scandalum publicum vel aliud damnum commune causaret vel saltem multo maius malum (quam illud est, quod ex monitione sequitur), poenitens monendus est, etsi nullus fructus monitionis sperari possit, et si nunc monitus obligationi gravi satisfacere renuit, absolutio ei neganda est, quia vel indispositus est vel quia eius bonum, etiam spirituale et aeternum bono spirituali communi vel multorum postponendum est.

36. Omnis fidelis 1° qui certo scit, sacerdotem aliquem *crimen sollicitationis* in relatione ad confessionem commisisse, ex praecepto ecclesiae sub gravi tenetur eum denuntiare episcopo loci (nisi hoc crimen sciat sub secreto commisso consilii) et 2° poenitens ipse sollicitatus etiam sub a) poena excommunicationis (cfr. pag. 199, 4° b) tenetur ad b) denuntiationem primo privatam, et per se quidem intra mensem inde a die cognitae obligationis, deinde ad iudicialem et (utramque) personaliter faciendam, c) nisi vel physice vel moraliter impossibilis sit (grave damnum in bonis vitae vel famae vel fortunae proprium aut tertii); nullum vero incommodum excusat, si ex omissione denuntiationis scandalum seu damnum commune imminet, quia bonum commune

praevalet bono privato; et d) si in hoc casu damni communis, poenitenti denuntiatio physice impossibilis est, eius confessarius eam facere tenetur, quia quivis damnum commune, quod impedire potest, sub gravi et non obstante qualicunque incommodo impedire tenetur. e) Confessarius poenitentem sollicitatum vi legis positivae ecclesiasticae de obligatione denuntiationis monere debet, etsi in bona fide sit nec fructus monitionis sperari possit, excepto casu: si in periculo mortis sit.

37. Ad absolutionem licite dandam requiritur et *sufficit probabile iudicium confessarii de dispositione* necessaria poenitentis, quia certum iudicium saepissime haberi non potest. Cfr. pag. 266, n. 29, 1°.

38. *Poenitens dispositus* semper licite absolvi potest, imo debet, nisi dilatio absolutionis ei utilior sit, quod raro est; ratio est, quia inter confessarium et poenitentem confitentem intercedit quasi-contractus, in quo confessarius se obligat ad absolvendum poenitentem rite confessum et dispositum, nisi eius animae dilatio absolutionis utilior sit.

39. *Poenitens indispositus* 1° non potest licite absolvi, quia esset frustratio ipsius sacramenti, quum absolutio indisposito data certo invalida sit. Sed 2° confessarius apto motivo diligenter eum ad dolorem et propositum conetur disponere et si deinde poenitens serio dicit, se dolere et emendationem sibi proponere, licite absolvi potest, utpote nunc dispositus, quia confessarius ex hac sua industria et assertione poenitentis iam haurit prudens motivum pro iudicio de eius dispositione; imo melius est, ut absolvatur, propter gratiam sacramenti; si autem post laborem a confessario ei impensum emendationem promittere renuit, non potest absolvi, utpote indispositus.

40. *Dubie dispositum* 1° non licet extra casum necessitatis absolvere, quia

sacramentum sine necessitate periculo nullitatis exponere non licet; in casu necessitatis autem licet, condicionate eum absolvere, quia in casu necessitatis licet sacramenta exponere periculo nullitatis; imo melius est, ut sic absolvatur, quia peccator indiget gratia sacramenti et peior fieret, si dimitteretur. 2° Confessarius talem poenitentem disponere studeat et si deinde hic serio asserit se dolere et se emendare velle, absolvatur, utpote nunc dispositus.

41. *Consuetudinarius simplex*, sicuti alius peccator, licite absolvi potest, si serio promittit, se consuetudinem pravam deponere et media necessaria ad hoc adhibere velle, etsi nulla emendatio praecesserit, quia dispositus est; imo melius est, ut absolvatur, quia gratia sacramenti iuvatur.

42. *Recidivo* emendationem promittenti: 1° illi, qui licet iam ter ab aliquo confessario admonitus, tamen *occasionem* ‚in esse' proximam et liberam peccati gravis nondum removit vel *obligationem aliquam gravem externam* non implevit (restit., reconciliat., educat. cathol. filiorum, reparat. scandali publici, matrimonium mere civile convertendum in matrimonium in facie ecclesiae initum, denuntiationem faciendam, etc.) a) *differenda* est absolutio, donec occasionem removit, respect. obligationem implevit, etsi dispositus sit, quia dilatio absolutionis eius infirmam voluntatem horrore incusso roborat et quia, si etiam peccator publicus fuit, qui extraordinarium scandalum dedit, per communionem eius grave scandalum publicum daretur, quum scandalum a tali peccatore publico datum publica confessione tantum non removeatur (cfr. pag. 75, n. 26); b) excipe casum urgentis necessitatis, in quo statim absolvi potest, sed ad communionem saltem publicam admitti non potest statim ille, qui hucusque extraordinarium

scandalum dedit, quod nondum remotum est (imo huic etiam silentium de absolutione data imponendum est). 2° *Aliis recidivis* autem, a) si materiales sunt, absolutio dari potest utpote dispositis, imo melius est, ut eis detur propter gratiam sacramenti; b) formalibus qui iterum emendationem promittunt, etiam dari potest, praesertim illis, qui *ex fragilitate interna* tantum peccant, quia vel dispositi sunt (‚semper peccant et semper vere dolent') vel dubie dispositi, quibus gratia sacramenti necessaria est et quia secus a sacramentis omnino alienarentur. Conetur confessarius eos disponere ratione exposita et sic etiam dispositos habet.

43. *Occasionario* constituto in occasione *proxima peccati gravis*: eaque 1° *libera* a) si recidivus est, i. e. iam ter ab aliquo confessario admonitus fuit de occasione in esse removenda et non removit, differenda est absolutio, donec occasionem removit, *etsi dispositus* sit, nisi urgeat necessitas eum absolvendi et serio promittat, se velle occasionem removere; cfr. autem n. 42, 1° a—b. b) Occasionario non recidivo vel recidivo quidem, sed in occasione ‚non in esse', constituto dari potest absolutio, si serio promittit, se occasionem remoturum, respect. non amplius aditurum esse, imo melius est, ut absolvatur, quia dispositus vel dubie dispositus est et gratia sacramenti ei necessaria est; sed si talis occasionarius speciale scandalum publicum dedit, non potest statim ad publicam communionem admitti propter scandalum, quod daretur, sed per aliquod tempus experimentum emendationis faciendum est. c) Occasionario, qui occasionem liberam proximam peccati gravis removere, respect. vitare, non vult promittere, neganda est absolutio, utpote indisposito, quia non habet voluntatem in futuro non amplius graviter peccandi, quum non solum peccatum grave

sit, in occasione peccare graviter, sed etiam eam solum adire vel non removere, etiam-si iterum in eadem occasione constitutus forte de facto non peccaret. 2° Occasionarius in occasione proxima peccati gravis *necessaria* constitutus absolvi potest et debet, si serio promittit, se media adhibere velle, quibus occasio redditur remota, quia dispositus est et nemo occasionem necessariam removere vel vitare tenetur, si eam mediis adhibitis remotam reddere vult et potest. Si remedia ei assignata eaque bona et opportuna nullo modo vel negligenter adhibet, et semper eodem modo peccat, instanter adhortandus est ad usum mediorum et absolvendus, quia secus peior fieret; tandem, si per longius tempus nihilominus constanter media non adhibuit et semper eodem modo sine ulla emendatione peccavit, obligandus est ad removendam, respect. vitandam occasionem (saltem ad tempus), etsi necessariam, quia periculum proximum peccati gravis formalis semper sub gravi vitandum est, sicuti ipsum peccatum grave, utpote quasi idem ac ipsum peccatum.

44. *Moribundis sensibus destitutis:* 1° si *catholici* sunt, ultima sacramenta a) *non possunt licite administrari,* ne condicionate quidem, tribus classibus, scl.: *α*) si sacramenta eis oblata expresse reiecerunt, usquedum sensibus destituebantur; *β*) qui usque ad idem tempus scienter in peccato et impoenitentia perseverarunt; *γ*) qui in ipso actu perfectae et graviter culpabilis ebrietatis sensibus destituti sunt: quia in hisce ea, quae ad valorem vel ad effectum horum sacramentorum ex institutione Christi requiruntur, nulla probabilitate, ne tenui quidem, supponi possunt, quum in prioribus moribundis evidenter desit intentio ea suscipiendi et etiam poenitentia, perfecte ebrii autem impotentes sunt ad poenitendum; ideoque vel sacramenta certo frustra-

rentur, vel saltem sine necessitate effectus sacramentorum certo frustraretur, quae nunquam licent; accedit grave scandalum bonorum fidelium, si comperiunt, istis hominibus sacramenta esse data; neque miracula occulta gratiae norma esse possunt in administratione sacramentorum; b) aliis omnibus autem, etiam maximis peccatoribus ultima sacramenta *licite dari possunt et etiam debent* (condicionata absolutio, extrema unctio absolute; viaticum ordinarie non datur ob periculum irreverentiae, eo quod moribundus forte exspuat s. hostiam, iis autem, qui in actu alicuius peccati gravis, sed non ebrietatis, sensibus destituti sunt, etiam propter scandalum non datur): quia in his poenitentia et intentio habitualis implicita, aliqua solida etsi tenui probabilitate supponi possunt (scl. elicitae, antequam sensibus destituebantur) et adest casus necessitatis, in quo sacramenta periculo frustrationis sive sacramenti sive effectus eius licite exponi possunt; de hisce edocendi sunt adstantes, ne scandalum patiantur. 2° Si homo moribundus sensibus destitutus *non est catholicus* (scl. nunquam fuit) et non certo malae fidei est, baptizandus est condicionate, si non certo valide baptizatus est, et sub condicione absolvi potest (clam), quia non solum poenitentia, sed etiam intentio sacramentum poenitentiae suscipiendi aliqua probabilitate supponi possunt. Cfr. pag. 410, n. 51.

45. *Spectacula* hodierna, *saltationes*, uti hodie fiunt et *familiaritates* non necessariae: 1° omnibus *dissuadenda* sunt, quia periculum saltem aliquod remotum peccatorum saltem venialium aut saltem spiritum huius mundi imbibendi fere semper et pro omnibus continent. 2° Si cui *occasio proxima* peccati gravis sunt, sub gravi prohibentur, si nulla adest necessitas; quando haec adest, licita sunt, si usu mediorum ad praecavendum peccatum grave formale,

eius remotum periculum fieri possunt et fiunt; secus iterum graviter illicita sunt. 3° Si cui *occasio remota* tantum sunt peccati gravis vel proxima peccati levis, licita sunt ex rationabili causa; sine hac peccata levia sunt.

46. *Laesio sigilli sacramentalis* 1° *directa* in omni casu peccatum mortale est, propter damnum commune spirituale fidelium, quod sequeretur, eo quod a sacramento poenitentiae averterentur, si non scirent, in omni casu directam laesionem sub mortali peccato prohibitam esse; sed bonum commune spirituale totius ecclesiae praevalet omni bono privato et etiam communi bono temporali. 2° Laesio sigilli *indirecta*, peccatum grave est, si aut periculum deveniendi in cognitionem vel saltem suspicionem personae poenitentis magnum est, aut gravamen poenitentis notabile ex ea oriri potest; leve peccatum est, si utrumque parvum est. 3° Nullum peccatum est, si confessarius notitia ex sola confessione accepta utitur et ex hoc usu a) neque ullum periculum revelationis neque b) ullum gravamen poenitentis neque c) scandalum aliorum oritur; nam per talem usum confessio hominibus non redditur difficilis nec odiosa.

47. Per *denegationem absolutionis* (et subsequentem abstinentiam poenitentis a communione publicam coram aliis) confessarius non laedit sigillum, ne indirecte quidem, nisi alii videant vel audiant ipsum actum denegationis absolutionis.

V.

DE EXTREMA UNCTIONE.

1. **Extrema unctio:** est sacramentum, quo per unctionem olei et deprecationem sacer-

dotis graviter aegroto confertur sanitas animae et quandoque etiam corporis.

2. **Effectus extremae unctionis:** alii sunt primarii, alii secundarii.

   Primarii: sunt 4: 1° augmentum gratiae sanctificantis, virtutum infusarum tum theologicarum tum moralium et donorum Spiritus S.; 2° gratia sacramentalis: robur animae, i. e. ius ad speciales gratias actuales, quibus aegrotus in bono perseverare possit usque ad mortem, superando omnes difficultates, quae proveniunt a) ex malis passionibus, b) carentia gratiarum uberiorum, c) tristitia et timore, d) tentationibus diaboli, e) infirmitate corporali; 3° remissio peccatorum venialium; 4° remissio magnae partis poenarum purgatorii vel omnium.

   Secundarii: sunt 2: 1° remissio peccatorum mortalium, si homo inculpabiliter non est confessus nec contritus, sed tamen attritus; cfr. pag. 296, n. 5; 2° sanitas corporis, si ad salutem animae conducit et sine miraculo fieri potest.

3. **Materia remota:** est oleum olivarum benedictum. Dividitur in materiam essentialem et praeceptivam; essentialis in certo validam et dubiam.

   Certo valida: est 1° oleum olivarum 2° ab episcopo vel a simplice sacerdote ex delegatione Papae 3° speciali benedictione benedictum, i. e. in ordine ad extremam unctionem.

   Dubie valida: oleum catechumenorum vel chrisma. Cfr. pag. 414, n. 74.

   Praeceptiva: oleum in ultima coena Domini benedictum ab episcopo dioeceseos vel sede vacante, a vicino episcopo, speciali benedictione olei infirmorum.

4. **Materia proxima:** est unctio infirmi cum oleo. Est duplex: essentialis et praeceptiva tantum.

Essentialis: unctio saltem mediata unius sensus, vel facta in fronte capitis (haec certo valida est).

Mere praeceptiva: unctio 5 sensuum: oculorum, aurium, narium, oris, manuum, et pedum, in modum crucis, in utroque organo, incipiendo a dextero, immediate cum pollice dextero.

5. **Forma:** Sunt verba: „Per istam sanctam unctionem et suam piissimam misericordiam indulgeat tibi Dominus, quidquid deliquisti per visum, auditum, odoratum, gustum et locutionem, tactum et gressum. Amen". Forma est duplex: essentialis et mere praeceptiva.

Essentialis: et certo valida: „Per istam sanctam unctionem indulgeat tibi Dominus quidquid deliquisti."

Mere praeceptiva: sunt reliqua verba formae.

6. **Minister extremae unctionis:** est solus sacerdos. Minister est duplex: validae et licitae collationis.

Validae collationis: omnis et solus sacerdos.

Licitae collationis: solus pastor proprius inungendi vel alius sacerdos ex eius licentia vel expressa vel tacita vel rationabiliter praesumta, nisi 1° inungendus sit peregrinus vel vagus aut 2° adsit casus necessitatis, i. e. si infirmus est in periculo mortis et parochus facile advocari non potest.

7. **Subiectum extremae unctionis:** est homo viator, baptizatus, adultus. Subiectum est duplex: validae et licitae ac fructuosae susceptionis.

Validae susceptionis: omnis homo 1° adultus i. e. qui aliquando ad usum rationis iam pervenit, etsi nunc vel habitualiter vel actualiter usu rationis careat, 2° viator, i. e. vivus (valde probabiliter talis est saltem adhuc intra semihoram post expirationem, si ex diuturna infirmitate obiit,

intra 2 vel 3 horas autem, si ex morbo repentino vel repentino accidenti obiit; cfr. pag. 410, n. 50), 3° baptizatus, 4° aliquando de facto lapsus in aliquod peccatum personale: quia per hoc sacramentum non datur gratia sanctificans nisi tantum roborativa contra reliquias peccati personalis; insuper forma huius sacramenti falsa esset, si ungendus post adeptum usum rationis nunquam peccavit; 5° constitutus in remoto vel proximo periculo mortis ex morbo (vel senectute, quae ipsa morbus est) 6° habens intentionem saltem habitualem implicitam suscipiendi hoc sacramentum.

Licitae et fructuosae susceptionis: si est in statu gratiae aut peccator saltem attritus, si inculpabiliter nec confessus est nec contritus.

PRINCIPIA.

1. Extrema unctio administrata *per unicam unctionem* in fronte, dicendo formam: .Per istam s. unctionem indulgeat tibi Dominus, quidquid deliquisti' 1° certo valida est ideoque postea nihil repetendum vel supplendum est praeter orationes iuxta Rituale super infirmum dicendas; et 2° in casu necessitatis hic modus administrandi extremam unctionem etiam licitus est, quia id, quod validum est, in casu necessitatis etiam licitum est.
2. Iam 1° *in initio morbi gravis*, i. e. qui probabiliter mortem adducere potest, extrema unctio valide et licite administrari potest, quia iam adest periculum mortis remotum; 2° debet autem dari a pastore, si est proximum; 3° voluntarie differre usque ad articulum mortis, grave peccatum est pro pastore aliisque curam spiritualem aegroti ex iustitia vel pietate habentibus, si dilatio fit cum gravi periculo destitutionis sensuum aegroti ante administrationem sacra-

menti, quia grave damnum spirituale aegroto inferunt. Cfr. infra n. 8.

3. Extrema unctio *nunquam danda est sub condicione: ‚si dispositus es'*, quia a) dispositio (i. e. dolor de peccatis mortalibus commissis et nondum remissis et propositum necessarium) ad validitatem huius sacramenti non requiritur, et sacramenta solum tunc condicionate conficiuntur, quando dubium est de valore eorum, et b) quia secus extrema unctio, si sine attritione ab aegroto recepta est, postea, quando attritionem elicit, reviviscere non potest, quum deficiente intentione ministri invalida fuerit, id autem, quod nunquam validum fuit seu non vixit, etiam reviviscere non possit; sic anima aegroti forte damnatur, quae, si extrema unctio non sub illa condicione data fuisset, salvata esset in aeternum; mera attritio enim, etsi ex perfectiore motivo elicita, solum probabiliter peccatorem iustificat extra sacramentum. Cfr. pag. 206; 213, n. 2; 408, n. 44.

4. Peccator moribundus sensibus destitutus *certius et facilius salvatur* per extremam unctionem, quam per absolutionem, quia 1° attritio peccatoris de mortalibus commissis et nondum remissis non ad valorem, sed solum ad effectum extremae unctionis capiendum requiritur, ideoque, quia hoc sacramentum probabilissime reviviscit, peccata mortalia peccatori remittit, si sine attritione suscepit quidem sacramentum, postea autem eam elicit; praeterea 2° neque ad valorem neque ad fructum huius sacramenti requiritur, ut boni actus recipientis sint exterius manifestati, sed sufficit, si interne revera adsint; 3° ad effectum extremae unctionis sufficit attritio habitualis de mortalibus, i. e. aliquando elicita et non revocata per novum peccatum mortale. At in sacramento poenitentiae boni actus poenitentis (attritio, etc.) certo ad valorem

absolutionis requiruntur et probabilissime etiam exterius manifestati esse debent, ideoque certo invalida est absolutio non-attrito data, quapropter etiam postea, si attritio elicitur, revivisceré seu peccata remittere non potest; et probabilissime non valet, si actus poenitentis vere adfuerunt quidem interius, sed exterius non fuerunt manifestati; insuper ad valorem absolutionis probabilissime attritio virtualis requiritur, i. e. dolor non multo antea elicitus et cuius vi et influxu poenitens petit absolutionem.

3. Extrema unctio ex primaria institutione Christi est *sacramentum vivorum*, ideoque, 1° ut peccator licite eam suscipiat, statum gratiae sibi antea procurare debet, si potest, vel per attritionem cum confessione et absolutione vel per contritionem; ab hoc praecepto divino excusat impossibilitas (si iam sensibus destitutus est), item bona fides seu ignorantia invincibilis (vel huius praecepti vel status peccati vel modi contritionem eliciendi, quando copia confessarii deest vel bona fides, qua in defectu confessarii, putat se contritionem elicuisse et tamen non elicuit, sed solam attritionem), et tunc extrema unctio, quia eius susceptio in statu peccati meritoria est, ex secundaria institutione Christi ei remittit peccata mortalia, modo attritionem de eis habeat. 2° Ad acquirendum statum gratiae praecise confessio et, si haec fieri non potest, condicionata absolutio administrationi extremae unctionis praemittenda est ex praecepto Rituali, et quia in morte imminentis urget praeceptum divinum confitendi; tamen 3° in casu necessitatis (i. e. si ob periculum mortis omnia citissime fieri debent) non obligat praeceptum ecclesiae et praecepto divino etiam post extremam unctionem satisfieri potest, si aegrotus post periculum forte adhuc vivat; et si non posset, a confessione specifica excusat

utilitas aegroti: nam ex extrema unctione maiorem utilitatem percipit, quam ex sacramento poenitentiae.

6. *Sanitas corporalis* per extremam unctionem efficitur tantum vi naturalis redundantiae confortationis et consolationis spiritualis seu animi, quam extrema unctio aegroto dat, in corpus eius; ideoque solum tunc obtinetur, si 1° morbus talis naturae est, ut per hanc redundantiam auferri possit (quod certe obtinet, si peccatum causa morbi est) et 2° in tali stadio est, ut adhuc naturaliter (i. e. absque miraculo) sanari possit i. e. per istam consolationem spiritualem redundantem, et 3° aegrotus hoc sacramentum suscipit, quando sensibus et usu rationis adhuc gaudet, quia confortatio illa et consolatio spiritualis efficitur per bonam cooperationem cum gratiis actualibus, quas sacramentum ei confert ad magnam fiduciam concipiendam; 4° insuper solum tunc sanitas corporis ab extrema unctione efficitur, si haec saluti animae magis prodest, quam mors nunc sequens in statu gratiae.

7. Extrema unctio aegroto *non est praecepta* nec a Deo nec ab ecclesia ideoque eius omissio, etsi eius occasio adsit, per se non est peccatum (cfr. pag. 414, n. 76); est tamen per accidens peccatum leve contra caritatem erga seipsum, quia se privat auxiliis valde utilibus. Cfr. tamen n. 2 et 8.

8. Extremam unctionem tenetur 1° *pastor*, i. e. parochus (et quasi-parochus) ex iustitia seu vi officii (quasi-contractus) omnibus suis parochianis graviter aegrotis a) administrare, si eam expresse petunt; b) interpretative petentes monere per se vel per alium de periculo vitae eosque movere, ut eam suscipiant; c) expresse vel interpretative petentibus eam dare, antequam sensibus destituantur, quia secus aegrotus multis effectibus sacramenti

iisque valde utilibus privatur: confortatione animi, auxiliis ad patientiam in perferendis doloribus corporis, auxiliis contra tentationes diaboli, auxiliis pro ultimo agone, sanitate corporali: nam haec omnia effectum non sortiuntur sine cooperatione aegroti, quam sine usu rationis praestare non potest. Ad haec 3 tenetur sub gravi, si sine gravi incommodo extremam unctionem eis procurare potest vel per se vel per alium; nam secus grave damnum spirituale parochiano suo infert; imo d) etiam cum gravi incommodo et etiam cum periculo vitae eam sub gravi dare debet peccatoribus moribundis sensibus destitutis, qui scl. confiteri non potuerunt, quia sunt vel in extrema (vel quasi-extrema) vel saltem in gravi necessitate spirituali et extrema unctio unicum medium eos salvandi esse potest. Aliis autem peccatoribus, qui confiteri potuerunt, et piis fidelibus, qui in statu peccati non sunt vel facile se iuvare possunt per contritionem, eam non tenetur dare cum gravi incommodo vel periculo vitae; cfr. pag. 218, n. 21. 2° Sacerdos, *qui non est pastor*, eam administrare tenetur a) ex caritate sub gravi etiam cum periculo vitae iis tantum, qui in extrema (vel quasi-extrema) necessitate spirituali sunt et pro quibus hoc sacramentum forte unicum medium salutis est, scl. peccatoribus rudibus sensibus destitutis, qui confiteri non potuerunt; b) cum gravi incommodo sed non cum periculo vitae illis tantum, qui in gravi necessitate spirituali sunt et quibus hoc sacramentum necessarium est, scl. omnibus peccatoribus sensibus destitutis, qui confiteri non potuerunt. c) Aliis fidelibus autem solum sub levi et si absque gravi incommodo potest, quia sola caritas extra casum necessitatis spiritualis extremae et gravis non obligat cum gravi incommodo; cfr. pag. 72, n. 12.

9. Extrema unctio 1° valide et licite *iteratur* et debet iterari in alio morbo gravi superveniente et in alio periculo gravi eiusdem morbi (aliud periculum certe saltem tunc est, si aegrotus post prius periculum per mensem melius se habuerat): 2° non autem licite, etsi probabiliter valide: durante eodem periculo eiusdem morbi. Cfr. pag. 414, n. 77. 3° Extrema unctio semel valide suscepta effectus suos habet durante toto tempore eiusdem morbi.

VI.

DE SACRAMENTO ORDINIS.

1. **Sacramentum ordinis:** est sacramentum, quo per impositionem manus ministri eiusque verbis potestas confertur ad sacramenta et sacramentalia conficienda et gratia ad ea digne administranda.
2. **Ordines:** sunt ritus quidam sacri, quibus potestas spiritualis traditur, quae aliquo modo ad eucharistiam ordinatur. Dividuntur in ordines, qui sacramenta, et in ordines, qui non sunt sacramenta, sed sacramentalia tantum; item in ordines maiores et minores.

Ordines, qui sacramenta sunt: sunt 3: 1° Diaconatus, 2° Presbyteratus, 3° Episcopatus.

Ordines, qui non sunt sacramenta: sunt 5: 1° Ostiariatus, 2° Lectoratus, 3° Exorcistatus, 4° Acolythatus, et probabilius etiam 5° Subdiaconatus.

Ordines maiores seu sacri: sunt ritus sacri a Deo (immediate vel mediante ecclesia, excepto forte subdiaconatu) instituti, quibus clerico confertur potestas vel circa vasa, quae eucharistiam continent, vel immediate circa eucharistiam sive distribuendam, sive conficiendam sive ad

creandos confectores eucharistiae. Sunt 4: Subdiaconatus, Diaconatus, Presbyteratus, Episcopatus.

Ordines minores: sunt ritus ecclesiastici seu ab ecclesia tantum instituti, quibus clerico confertur potestas vel remote inserviendi eucharistiae, praeparando fideles, ut digne missae assistant et eucharistiam suscipiant, vel directe ministrandi in sacrificio missae. Sunt 4: Ostiariatus, Lectoratus, Exorcistatus, Acolythatus.

Ostiariatus: confert potestatem custodiendi, aperiendi et claudendi ecclesiam, convocandi fideles ad functiones sacras et arcendi indignos.

Lectoratus: confert potestatem publice in ecclesia legendi Scripturam S., cantandi lectiones, docendi populum prima elementa fidei et benedicendi panem et novos fructus.

Exorcistatus: confert potestatem arcendi vel etiam expellendi daemonem formulis ab ecclesia approbatis. Cfr. pag. 213; 221. n. 30.

Acolythatus: tradit potestatem, in missa sollemni inserviendi diacono et subdiacono, luminaria deferendo et subdiacono ministrando vinum et aquam.

Subdiaconatus: tradit potestatem in missa sollemni inserviendi diacono ad altare, cantandi epistolam et lavandi pallas, corporalia et purificatoria post eorum usum. Cfr. 387, n. 10.

Diaconatus: est ritus sacramentalis, quo traditur potestas 1° in missa sollemni cantandi evangelium, 2° in ea immediate sacerdoti ministrandi ad altare, 3° ex licentia episcopi loci, verbum Dei praedicandi et 4° sollemniter baptizandi ex licentia parochi, existente gravi causa.

Presbyteratus: est ritus sacramentalis, quo confertur potestas 1° conficiendi omnia sacramenta, exceptis sacramentis confirmationis et ordinis, et sacramentalia exceptis benedictionibus realibus, 2° praedicandi ver-

bum Dei, et 3° physica idoneitas datur iurisdictionem accipiendi pro foro sacramentali.

Episcopatus: est ritus sacramentalis, quo presbytero traditur potestas 1° conficiendi sacramenta confirmationis et ordinis et sacramentalia, quae benedictiones reales sunt (exceptis Papae reservatis) et 2° datur physica idoneitas ad iurisdictionem episcopalem accipiendam.

3. **Missio canonica:** intelligitur aut concessio potestatis, ut episcopus vel sacerdos sacramenta sui ordinis licite conficiat et fidelibus administret vel doctrinam christianam tradat, aut concessio iurisdictionis pro foro interno vel etiam externo.
4. **Effectus ordinum:** alii sunt proprii ordinum, qui sacramenta sunt, alii ordinum, qui solum sacramentalia sunt.

Sacramentorum: sunt 4: 1° augmentum gratiae sanctificantis, habituum infusorum et donorum Spiritus S., 2° character indelebilis, quo anima assimilatur Christo ut summo sacerdoti et pastori animarum, 3° potestas spiritualis indelebilis, 4° gratia sacramentalis, i. e. ius ad gratias actuales ad rite et digne implendum munus susceptum eiusque obligationes observandas. Cfr. pag. 404, n. 15.

Sacramentalium: sunt 2: 1° potestas spiritualis; 2° gratiae actuales (vi orationis ecclesiae) ad rite et digne exercendam potestatem traditam.

5. **Materia ordinum:** sunt instrumenta functionibus singulorum ordinum propria. Dividitur in remotam et proximam, in essentialem et mere praeceptivam, essentialis in certo et dubie essentialem.

Remota: sunt ipsa instrumenta.

Proxima: est traditio instrumentorum per ordinantem et tactus physicus saltem mediatus per ordinandum.

In Ostiariatu: Essentialis: traditio et tactus unius clavis. Mere praeceptiva: duarum clavium ecclesiae vel oratorii.

In Lectoratu: Essentialis: traditio et tactus alicuius libri, qui partes Scripturae S. continet. Mere praeceptiva: libri lectionum.

In Exorcistatu: Essentialis: traditio et tactus Ritualis vel Missalis vel Pontificalis. Mere praeceptiva: Ritualis.

In Acolythatu: Essentialis: traditio et tactus urceoli vel pelvis et etiam candelabri vel candelae.

In Subdiaconatu: Essentialis: traditio et tactus calicis vel patenae. Mere praeceptiva: tactus immediatus calicis et patenae per manum dexteram.

In Diaconatu: Certo essentialis: impositio manus dexterae episcopi super caput ordinandi per tactum physicum saltem mediatum et quidem ante traditionem instrumenti. Cfr. pag. 414, n. 80. Dubie essentialis: traditio et tactus saltem mediatus Scripturae S. Mere praeceptiva: traditio et tactus libri evangeliorum.

In Presbyteratu: Certo essentialis: aliqua impositio manus episcopi per tactum physicum saltem mediatum super caput cuiuscunque ordinandi. Cfr. l. c. et n. 81. Dubie essentialis: 1° extensio manus dexterae episcopi super ordinandos, dum dicit orationem: „Oremus fratres carissimi etc." (vel immediate ante vel immediate post eam); 2° extensio utriusque manus episcopi super caput cuiuslibet ordinandi sub silentio; 3° impositio utriusque manus super caput cuiuslibet ordinandi per tactum physicum saltem mediatum, dum dicit: „Accipe Spiritum S. etc."; 4° tactus physicus (per manum) saltem mediatus vel calicis cum vino valido substantialiter incorrupto et aqua vel patenae calici superpositae et cui patenae hostia valida superposita est. Cfr. pag. 415, n. 82. Mere praeceptiva: 1° calix et patena consecratae; 2° vinum et hostia, quae ne accidentaliter quidem corrupta vel defectiva sunt; 3°

impositio (ante orationem: „Oremus fratres . . .“) utriusque manus et statim facienda extensio manus dexterae singulorum sacerdotum assistentium, dum episcopus dicit orationem: „Oremus fratres carissimi etc.“ 4° tactus calicis et patenae, cui hostia superposita est.

In Episcopatu: Certo essentialis: impositio manuum ordinantis per tactum physicum saltem mediatum. Dubie essentialis: impositio libri evangeliorum super cervicem et scapulas ordinandi.

6. Forma ordinum:

Ostiariatus: „Sic ago, quasi rationem Deo redditurus pro his rebus, quae his clavibus includuntur.“

Lectoratus: „Accipe et esto verbi Dei relator, habiturus, si fideliter et viriliter officium tuum impleveris, partem cum iis, qui verbum Dei ab initio bene ministraverunt.“

Exorcistatus: „Accipe et commenda memoriae et habe potestatem imponendi manus super Energumenos sive baptizatos sive catechumenos.“

Acolythatus: est duplex: 1° „Accipe ceroferarium cum cereo, ut scias, te ad accendenda ecclesiae luminaria mancipari in nomine Domini.“ 2°: „Accipe urceolos ad suggerendum vinum et aquam in eucharistiam Sanguinis Christi in nomine Domini.“

Subdiaconatus: est duplex isque certo essentialis: 1° „Videte, cuius ministerium vobis traditur, ideo admoneo vos, ut ita vos exhibeatis, ut Deo placere possitis.“ 2° „Accipe librum Epistolarum et habeto potestatem legendi in ecclesia sancta Dei tam pro Vivis, quam pro Defunctis in nomine Patris et Filii et Spiritus S.“

Diaconatus: est duplex: 1° certo essentialis „Accipe Spiritum Sanctum ad robur, et ad resistendum diabolo et tentationibus eius in nomine Domini.“ 2° Dubie essentialis: „Accipe potestatem legendi Evan-

gelium in ecclesia tam pro Vivis quam pro Defunctis in nomine Domini."

Presbyteratus: est 1° duplex dubie essentialis: a) „Accipe potestatem offerendi Sacrificium Deo, Missasque celebrandi tam pro Vivis, quam pro Defunctis in nomine Domini." b) „Accipe Spiritum Sanctum: quorum remiseris peccata remittuntur eis, et quorum retinueris, retenta sunt." 2° Una certo essentialis: „Oremus fratres carissimi, etc."

7. **Minister ordinum:** est imprimis duplex: minister validae et minister licitae ordinationis. Minister validae ordinationis est iterum duplex: ordinarius et extraordinarius.

Ordinarius: omnis et solus episcopus valide consecratus; item abbas consecratus quoad ordines minores regularibus conferendos.

Extraordinarius: ordinum minorum. Subdiaconatus et Diaconatus est sacerdos simplex ex delegatione Papae.

Licitae ordinationis (etiam pro prima tonsura): episcopus 1° proprius ordinandi (abbas quoad regulares sibi subditos) vel 2° alienus ex licentia episcopi proprii (saltem electi et confirmati a Papa, etsi nondum consecrati) per literas dimissoriales data et 3° intra fines suae dioeceseos ordinans, vel, si in aliena dioecesi ordinat, cum licentia episcopi huius dioeceseos.

8. **Episcopus proprius ordinandi:** est quintuplex: 1° originis: in cuius dioecesi parentes ordinandi tempore nativitatis eius domicilium vel quasi-domicilium habebant et hoc deficiente, ubi nati sunt; 2° domicilii: in cuius dioecesi ordinandus tempore ordinationis habet domicilium et ibi iam per 10, vel, bonis suis translatis, per 3 annos habitavit, praestito iuramento perpetuo ibi manendi (ab ipso ordinando, si maiorennis est; a patre eius autem, si mino-

rennis est); 3° beneficii: in cuius dioecesi ordinandus iam possidet beneficium ecclesiasticum per se sufficiens ad honestam sustentationem; 4° familiaritatis: cuius famulus personalis ordinandus fuit per triennium; 5° incardinationis: cuius dioecesi ordinandus ante ordinationem documento scripto in perpetuum et absolute (et cum iuramento ordinandi) ab eo adscriptus est post excardinationem ex propria dioecesi in perpetuum et absolute per litteras dimissorias factam.

9. **Subiectum ordinum:** est solus mas (pro ordinibus, qui non sunt sacramenta: vi iuris ecclesiastici, quoad sacramenta: vi iuris divini) isque baptizatus. Subiectum est duplex: validae et licitae susceptionis.

Validae: 1° omnis mas 2° baptizatus, et 3° si adultus est, habens intentionem saltem habitualem ordinem suscipiendi.

Licitae: mas baptizatus 1° adultus; 2° confirmatus (cfr. pag. 415, n. 84); 3° existens in statu gratiae; 4° immunis ab omni censura et irregularitate; 5° habens litteras dimissoriales et testimoniales a proprio episcopo, si ab alieno ordinatur, et testimoniales ab illo episcopo, in cuius dioecesi post aetatis suae annum septimum (vel saltem 14um) completum per 6 menses (per 3, si ut miles) continue commoratus est; 6° habens scientiam ad rite exercendum ordinem suscipiendum necessariam; 7° gaudens titulo ordinationis, cfr. infra n. 11; 8° habens animum implendi obligationes ordini suscipiendo annexas, si ordo maior suscipiendus est; 9° constitutus in aetate canonica (annus completus 21. pro subd., 22. pro diac., 24. pro presbyt., 30. pro episc.); 10° ut ordinem inferiorem susceperit et iam exercuerit; 11° servatis interstitiis.

10. **Literae dimissoriales, dimissoriae, testimoniales:** Quid sunt? R.

Dimissoriales: quibus ab episcopo proprio ordinandi huic conceditur licentia primam

tonsuram vel ordinem aliquem suscipiendi ab episcopo alieno.

Dimissoriae: quibus episcopus proprius (domicilii) ordinandi hunc in perpetuum et absolute ex dioecesi sua dimittit.

Testimoniales: quibus episcopus proprius ordinandi (si hic ab alieno ordinatur) vel episcopus, in cuius dioecesi ordinandus per 6 menses (per 3, si ut miles) in continuo commoratus est, testimonium fert de natalibus, baptismo, confirmatione, moribus, aetate, scientia, et immunitate eius ab omni censura, irregularitate et alio quovis impedimento canonico.

11. **Titulus ordinationis:** est certa provisio de honesta et perpetua sustentatione temporali suscipientis ordinem maiorem.

Quotuplex? R. duplex: ordinarius et extraordinarius.

Tituli ordinarii: seu vi iuris communis sunt 3: 1° titulus beneficii, 2° patrimonii et 3° voti sollemnis paupertatis (iam emissi).

Extraordinarii: seu vi indulti a S. Sede dati contra ius commune: sunt 4: 1° titulus pensionis, 2° mensae sive regiae, sive communis (quoad congregationes et instituta religiosa) sive privatae seu collegii, 3° servitii dioeceseos (post promissionem ordinandi, se in perpetuum velle fideliter dioecesi inservire), 4° missionis (post iuramentum ordinandi, se in perpetuum velle inservire missioni, cui destinatus fuerit).

12. **Irregularitas:** est simplex inhabilitas (non poena) perpetua ab ecclesia ob reverentiam divini ministerii statuta ad amplectendum statum clericalem (per primam tonsuram) et licitam susceptionem ordinum licitumque exercitium ordinis sacri iam suscepti (non iurisdictionis).

Divisio: Dividuntur in irregularitates ex mero defectu et in irregularitates ex delicto.

Ex mero defectu: sunt 7: 1° ex defectu corporis, 2° animae, 3° libertatis, 4° natalium, 5° sacramenti, 6° famae, 7° lenitatis.

Ex defectu corporis: mutilati, debilitati ita, ut sacrum facere non possint, notabiliter deformes, gravi et insanabili morbo laborantes, qui aliis horrorem ingerit vel ad sacrum faciendum ineptum reddit.

Ex defectu animae: amentes, illiterati, neophyti, non-confirmati.

Ex defectu libertatis: servi, milites, coniugati, officiales civiles, obligati ad ratiocinia.

Ex defectu natalium: 1° certo illegitimi, licet occulti, nec legitimati sive per subsequens matrimonium mulieris cum patre prolis sive per dispensationem Papae; 2° nati ex adulterio uxoris iuridice probato.

Ex defectu sacramenti: bigami.

Ex defectu famae: infames ob enorme et notorium delictum; haeretici usque ad 2um gradum in linea paterna et usque ad 1um gradum in linea materna, si hi parentes 1° alicui sectae se adiungebant ante nativitatem filii, idque 2° notorie et 3° in haeresi mortui sunt.

Ex defectu lenitatis: occisor vel mutilator alterius in bello offensivo etsi iusto; iustam sententiam mortis malefactoris ferentes, exequentes, et in ea processum agentes.

Irregularitates ex delicto: sunt 4: 1° ex iteratione baptismi publica et absoluta (cfr. pag. 402, n. 11); 2° ex exercitio ordinis maioris sollemni, i. e. cum ceremoniis et insignibus ordinis, quem exercens non habet (cfr. pag. 402, n. 12); 3° ex illicito exercitio sollemni ordinis maioris, cuius exercitium censura prohibet; 4° ex homicidio iniusto, saltem indirecte voluntario, physice vel moraliter causato, licet occulto, effectu certe secuto, procuratione abortus foetus animati (40 dies post conceptionem) vel coopera-

tione ad eam, effectu certe secuto, ex mutilatione iniusta sui vel alterius; 5° ex turpi commercio circa stipendia missarum (cfr. pag. 198, 3°b).

13. **Officium divinum:** est oratio in lingua latina a ministris ecclesiae eius nomine fusa ad Deum laudandum certis diei et noctis partibus secundum formulam ab ecclesia compositam, quae ex psalmis, variis hymnis et lectionibus ex Sacra Scriptura, SS. Patribus et vitis Sanctorum constat.

Divisio: dividitur in horas maiores et minores.

Maiores: sunt 3: Matutinum, Laudes, Vesperae.

Minores: sunt 5: Prima, Tertia, Sexta, Nona, Completorium.

14. **Titulus obligationis ad recitandum breviarium:** est triplex: 1° ordo maior, 2° professio in ordine ad chorum obligato, 3° beneficium ecclesiasticum, cui annexum est onus officii divini recitandi.

15. **Lex coelibatus:** est lex ecclesiastica, vi cuius clericus post susceptum subdiaconatum nec licite nec valide matrimonium inire potest. Cfr. pag. 400, n. 81.

PRINCIPIA.

1. *Defectus in collatione ordinum* 1° circa materiam vel formam *certo essentialem* certo vel probabiliter commissus collationem reddit certo vel probabiliter invalidam, quae ergo tota repetenda est vel absolute vel condicionate, prouti defectus certo vel solum probabiliter commissus est; 2° defectus circa materiam vel formam *dubie essentialem* certo vel probabiliter commissus, collationem probabiliter invalidam reddit, ideoque ordo maior sic collatus sub condicione iterandus est; non autem ordo minor, quia ecclesia defectum supplet; 3° defectus etiam certo commissus circa materiam vel formam *mere*

praeceptivam, collationem non reddit invalidam, et ritus omissus suppleri solum debet, si gravis est, non, si levis est (e. g. impositio manuum presbyterorum assistentium ordinationi, recitatio canonis per ordinatos, traditio vestimentorum, unctio cum oleo catechum., pro quo ex errore chrisma adhibitum fuit).

2. Ordo superior valide quidem suscipitur, *non suscepto ordine inferiore* (episcopatu probabiliter excepto, quia complementum presbyteratus est) tamen illicite suscipitur nec licite exercetur, idque vi legis ecclesiae. Cfr. pag. 415, n. 83.
3. *Preces et 3 missae* neo-ordinatis ab episcopo iniunctae non obligant sub peccato, quia episcopus obligare non vult.
4. Condiciones ad incurrendam *irregularitatem*: 1° ut in iure certo sit expressa; 2° ut actio, ex qua oritur: a) sit certo posita, excepto homicidio, ob quod, si mors certo secuta est, sacerdos a celebratione missae prohibetur, etsi dubium sit, utrum mors ex eius actione physica, an aliunde secuta sit; b) externa; c) consummata; et d) si ex delicto oritur, actio debet esse graviter culpabilis et post baptismum commissa, quia omnis irregularitas ex delicto probabiliter rationem poenae habet; excepta irregularitate ex homicidio, quam clericus in ordine maiori constitutus incurrit, si sine venia S. Sedis medicinam vel chirurgiam exercet et per aliquam incisionem vel adustionem causa fuit, quod infirmus mortuus sit, quamvis clericus omnem diligentiam adhibuerit et artem probe calleat; e) posita cum scientia irregularitatis, si haec ex delicto oritur, quia probabiliter rationem poenae habet et quidem vindicativae extraordinariae, a qua probabiliter eius ignorantia excusat, modo non fuerit crassa; sed ab irregularitate, quae ex defectu oritur, nulla ignorantia excusat, quia certo

non est poena, sed mera inhabilitas propter indecentiam statuta. Cfr. pag. 402, n. 10.

5. *Irregularitas* temporalis *cessat* per remotionem causae, quae eam induxit; irregularitas perpetua autem sola dispensatione tollitur, excepta irregularitate ex defectu natalium, quae per professionem sollemnem in aliquo ordine cessat (sed tantum ad ordines suscipiendos).

6. *Episcopi, confessarii regulares,* et in casu urgentis necessitatis etiam quilibet confessarius: ex licentia S. Sedis dispensare possunt in omni irregularitate ex delicto occulto proveniente (excepto homicidio occulto, directe voluntario) et quidem tum, si ipsum factum delicti occultum est, tum, si hoc factum quidem publice notum, tamen non publice notum est, ex eo oriri irregularitatem vel putatur, recte factum esse. Episcopi insuper dispensare possunt in casibus dubiis (ad cautelam). Cfr. pag. 39, n. 39.

7. In recitatione *breviarii,* 1° ut valida sit, requiritur: a) ut recitetur breviarium b) idque romanum secundum formam a Pio X° praescriptam (inde ab initio anni 1913) (nisi recitans proprio gaudeat) c) in lingua latina; d) omnes horas e) vocaliter, i. e. formando verba lingua et labiis, ita ut recitans seipsum audire possit, i. e. seipsum audiret, si omnia silerent, f) per seipsum vel alternando cum alio, 7° cum attentione saltem externa; cfr. pag. 75; g) inde a media nocte usque ad mediam noctem sec. tempus verum vel medium, nec (absque privilegio) anticipando Matut. cum Laud. ante ham 1am p. m., h) officium diei, i. e. non aliud notabiliter diversum sive quoad qualitatem sive quoad quantitatem. Pars aliter recitata repetenda est utpote invalide recitata, idque sub gravi, si est notabilis i. e. una ha vel pars ei aequivalens; sub levi, si non est notabilis. 2°

Alia omnia non obligant sub gravi et ex iusta causa licite mutari possunt. 3° Quod recitari non potest modo valido absque notabili damno proprio vel alieno, licite omitti potest. Cfr. pag. 400—401, n. 82—86.

VII.

DE SACRAMENTO MATRIMONII.

1. **Sacramentum matrimonii:** est contractus validus matrimonialis inter baptizatos, significans et efficiens sanctificationem coniugum.
2. **Contractus matrimonialis:** est 1° consensus a) validus, b) mutuus, c) internus d) perfecte liber maris et feminae e) signo sensibili expressus, 2° quo sibi mutuo ius tradunt et acceptant in corpus suum in ordine ad actum coniugalem.
3. **Consensus validus et invalidus:** prouti revera gignit ius in corpus alterius vel non gignit.
4. **Unitas matrimonii:** est proprietas matrimonii, vi cuius valide iniri potest solum inter unum et unam.
5. **Indissolubilitas:** est proprietas matrimonii, vi cuius mutuum ius in corpus et mutua obligatio coniugalis auferri non potest, nisi per mortem. Est duplex: interna et externa.

   Interna: vi cuius consensu contrahentium, sive mutuo. sive unius, auferri non potest.

   Externa: vi cuius neque per auctoritatem publicam sive reipublicae sive ecclesiae auferri potest.

   Polyandria: si mulier simul plures viros habet.

   Polygynia: si vir simul plures feminas habet.

   Bigamia: si vir successive plures feminas vel femina successive plures viros habet.

6. **Materia sacramenti matrimonii:** est duplex: remota et proxima.
   Remota: sunt corpora nupturientium.
   Proxima: mutua traditio iuris in corpus signo sensibili expressa.
7. **Forma:** est mutua acceptatio iuris traditi in corpus, signo sensibili expressa.
8. **Minister sacramenti matrimonii:** est ille, qui ponit materiam et formam; sunt ipsi nupturientes.
9. **Subiectum sacramenti matrimonii:** est mas et femina baptizati consentientes in mutuam traditionem et acceptationem iuris in corpus in ordine ad actum coniugalem. Est duplex: validi sacramenti matrimonii et liciti.
   Validi: si sunt habiles ad contrahendum, i. e. nullo impedimento ligati, quod vel ex iure naturae vel divino positivo vel mere ecclesiastico matrimonium invalidum reddit.
   Liciti: iidem, si sunt in statu gratiae et nullo impedimento ligati, quod matrimonium reddit illicitum sive ex iure naturae sive divino-positivo sive mere ecclesiastico.
10. **Effectus sacramenti matrimonii:** sunt duplicis generis: alii sequuntur ex matrimonio, quatenus contractus est; alii, quatenus sacramentum est. Qui sequuntur ex matrimonio, quatenus contractus est, dividuntur in effectus utrique coniugi communes et in illos, qui tum marito tum uxori proprii sunt.
    Effectus communes contractus matrimonialis: 1° vinculum matrimoniale i. e. mutuum ius in corpus alterius idque exclusivum et perpetuum et mutua obligatio eaque exclusiva et perpetua tradendi corpus suum comparti petenti in ordine ad actum coniugalem ex sese aptum ad generationem prolis; 2° ius et obligatio cohabitationis mutuae quoad torum et mensam; 3° legitimitas prolis et ius ac obligatio sustentandi et educandi prolem futu-

ram; 4° obligatio ad mutuum amorem specialem et adiutorium in temporalibus et spiritualibus; 5° administrandi rem domesticam; 6° quaedam communio bonorum.

Proprii: 1° Pro marito: a) potestas maritalis, vi cuius est superior in gubernatione domus et familiae, b) potestas patria in filios et filias. 2° Pro uxore: a) ius accipiendi sustentationem a marito iuxta statum eius, b) participatio fori, domicilii, privilegiorum et tituli mariti.

Effectus matrimonii, quatenus sacramentum est: 1° augmentum gratiae sanctificantis, habituum infusorum et donorum Spiritus S, 2° gratia sacramentalis, i. e. ius ad speciales gratias, ut coniuges possint castitatem et fidem coniugalem servare, liberos bene educare et onera matrimonii christiane tolerare.

11. **Divisio matrimonii:** dividitur in legitimum, ratum, et consummatum; in attentatum, verum et putativum; canonicum et civile; catholicorum inter se et haereticorum inter se, mixtum et cum disparitate cultus; absolutum et condicionatum; in sollemne et non-sollemne; in publicum, occultum, clandestinum, secretum seu conscientiae, et morganaticum.

Legitimum: est matrimonium non-baptizatorum inter se, quod non est sacramentum quidem, tamen validum i. e. initum sine impedimento dirimente iuris naturae divini-positivi et positivi civilis.

Ratum: est matrimonium, quod est simul sacramentum, i. e. inter baptizatos valide initum (vel si post matrimonium in infidelitate valide initum utraque pars baptizatur). Est ratum tantum, seu non consummatum, si nondum completum est (post initum matrimonium, resp. post baptismum utriusque coniugis prius infidelis) copula carnali perfecta i. e. immis-

sione membri genitalis virilis in vaginam mulieris cum seminatione ibidem facta.

Consummatum: est matrimonium validum, quod post eius celebrationem copula carnali perfecta completum est.

Attentatum: invalide initum cum scientia utriusque vel alterutrius partis, ei obstare impedimentum dirimens voti sollemnis castitatis vel ordinis sacri (maioris).

Verum: i. e. validum.

Putativum: quod revera 1° invalide initum est ob impedimentum dirimens, tamen 2° praemissis proclamationibus (nisi in eis dispensatum fuerit), 3° in facie ecclesiae, i. e. coram parocho catholico loci et 2 testibus et 4° validum putatur a coniugibus vel saltem ab alterutro et ab aliis.

Canonicum: cui non obstat ullum impedimentum dirimens, sive iuris naturae sive divini-positivi sive mere ecclesiastici.

Civile: est matrimonium, quod a societate civili habetur ut validum seu in quo ineundo ea omnia observantur, quae lex civilis exigit ad id, ut matrimonio tribuantur omnes effectus temporales civiles matrimonii validi.

Divisio: matrimonium civile dividitur in matrimonium simpliciter civile et mere civile; in matrimonium civile obligatorium, facultativum et necessitatis.

Simpliciter civile: si nupturientes consensum suum matrimonialem exterius exprimunt quidem coram magistratu civili, tamen matrimonium vel iam contraxerunt vel contracturi sunt in facie ecclesiae.

Mere civile: si consensum suum tantum coram magistratu civili praestant.

Obligatorium: si lex civilis matrimonia non inita coram magistratu civili non agnoscit ut vera et valida.

Facultativum: si lex civilis tum matrimonia contracta in facie ecclesiae tantum, tum coram magistratu civili tantum inita agnoscit ut valida.

Necessitatis: si tantum illis nupturientibus, qui sine ulla confessione religiosa sunt aut qui propter impedimentum ecclesiasticum, quod societas civilis non agnoscit, matrimonium coram ecclesia valide inire non possunt, potestatem dat ineundi matrimonium coram magistratu civili illudque ut validum agnoscit.

Matrimonia catholica seu **catholicorum inter se:** si utraque pars baptizata est et catholica est aut aliquando fuit. Vide pag. 325, n. 33.

Matrimonia acatholica seu **haereticorum vel schismaticorum inter se:** si utraque pars baptizata quidem est sed vel haeretica vel schismatica est et semper fuit.

Mixta: si utraque pars quidem baptizata est, una pars tamen catholica est aut aliquando fuit, altera vel haeretica vel schismatica est et semper fuit.

Cum disparitate cultus: si una pars baptizata, altera certo non baptizata vel certo invalide baptizata est.

Matrimonium absolute initum: si neuter contrahentium consensum suum dependentem reddidit ab aliqua condicione.

Matrimonium condicionatum: si contrahentes vel unus eorum alteri ius in corpus tradere intendit tantum sub condicione aliqua, sine qua non, expresse et saltem interius facta.

Divisio condicionis: dividitur in condicionem de praeterito, de praesenti, de futuro; de re possibili vel impossibili; de re honesta vel inhonesta; condicio de re inhonesta in condicionem de re, quae repugnat essentiae matrimonii et in condicionem, quae ei non repugnat.

Condicio repugnans essentiae matrimonii: est condicio, qua contrahens excludit aliquam obligationem, quae est de essentia vel essentiali proprietate matrimonii. Est triplex: 1° quae est contra ius ad

copulam perfectam aptamque ad generationem prolis; 2° contra unitatem matrimonii, seu contra idem ius comparti exclusive dandum; 3° contra eius internam indissolubilitatem perpetuam et absolutam, seu contra idem ius comparti in perpetuum dandum.

Sollemne et non-sollemne: prout praeter essentialia ad validum matrimonium, etiam sollemnitates accidentales (missa pro sponsis, benedictio nuptialis) adhibentur vel non.

Publicum: quod tum proclamatum tum coram parocho loci et 2 testibus initum est.

Occultum: quod non proclamatum, tamen coram parocho loci et 2 testibus initum est.

Clandestinum: quod non coram parocho loci et 2 testibus initum est.

Secretum: quod omissis proclamationibus initur coram parocho vel sacerdote ab episcopo delegato et 2 testibus, qui tamen omnes strictum silentium servare debent; et coniuges non possunt licite coram aliis vel in publico se gerere ut coniuges.

Morganaticum: est verum matrimonium cum muliere inferioris status initum ea lege, ut ipsa et liberi non participent statum, dignitatem, titulum, et privilegia mariti et patris et certa parte bonorum contenti esse debeant.

12. **Sponsalia:** sunt 1° promissio 2° futuri matrimonii 3° vera, 4° perfecte libera, 5° mutua et 6° scripta (si vel utraque vel una pars est catholica vel aliquando fuit) 7° inter determinatas personas, quae valide et licite inter se inire possunt matrimonium.

Error et metus in ineundis sponsalibus: quid sit et quotuplex, vide supra pag. 16, n. 8, 166, n. 3.

13. **Divisio:** Sponsalia dividuntur in publica et clandestina seu occulta; publica in sollemnia et privata; distinguuntur sponsalia

etiam in simplicia et poenalia, absoluta et condicionata.

Sollemnia: in quibus intervenit auctoritas publica.

Privata: quae fiunt solum coram testibus privatis.

Publica: quae fiunt per scripturam subsignatam (cum assignatione loci, anni, mensis et diei) aut 1° ab Ordinario vel aliquo parocho (vel quasi-parocho; cfr. pag. 210, n. 14) loci (non delegato), intra fines sui territorii, et a sponsis, aut 2° a duobus testibus, qui scribere possunt nomina sua, et a sponsis.

Clandestina: quae non fiunt per scripturam dicto modo subsignatam.

Poenalia et simplicia: prouti poena statuitur ei, qui sine iusta causa a sponsalibus recedit, vel non statuitur. Cfr. pag. 417, n. 94.

Absoluta et condicionata: prouti sub condicione aliqua ineuntur vel nulla condicio consensus ponitur. Condicio dividitur in suspensivam et resolutivam, etc.; vide pag. 143.

14. **Effectus sponsalium publicorum:** sunt 4: 1° obligatio iustitiae eaque gravis ineundi matrimonium, nisi gravis difficultas excuset; 2° invaliditas sponsalium cum alia persona, si priora sponsalia non sunt soluta; 3° impedimentum dirimens publicae honestatis cum personis alteri parti in 1° gradu lineae rectae vel collateralis consanguineis, nisi invalida sint vel sub condicione suspensiva inita; 4° impedimentum impediens matrimonium cum alia persona.

15. **Causae dissolutionis sponsalium:** aliae sunt causae, ex quibus ipso iure solvuntur, aliae, propter quas ad arbitrium sponsi vel sponsae solvi possunt.

Ipso iure: 1° mutuus consensus, 2° impedimentum superveniens indispensabile, 3° electio status altioris, scl. virginitatis vel clericalis vel regularis, 4° solutio per Papam.

Ad arbitrium unius: 1° si altera pars fidem sponsalitiam fregit (sine consensu alterius nimis diu differendo matrimonium aut alio migrando vel cum alia persona sponsalia faciendo vel impudice se gerendo); cfr. pag. 417, n. 99. 2° si quid detegitur, quod, si antea cognitum fuisset, efficisset, ut sponsalia non fuissent inita; cfr. pag. 417, n. 98. 3° si quid supervenit, quo praeviso sponsalia non fuissent inita.

16. **Impedimentum matrimonii:** est aliqua circumstantia, quae matrimonium vel illicitum vel etiam invalidum facit.

17. **Divisio:** impedimenta dividuntur in impedimenta dirimentia et impedientia; in impedimenta iuris naturae, iuris positivi divini, mere ecclesiastici et mere civilis; in impedimentum antecedens matrimonium et superveniens; certum et dubium; dispensabile et indispensabile, publicum et occultum, iuris publici et privati, absolutum et relativum, personale et commune.

Impedimentum dirimens: est impedimentum, propter quod matrimonium non potest valide iniri.

Impediens: propter quod matrimonium non potest licite iniri, etsi valide ineatur.

Iuris naturae: quod Deus iam per legem naturae statuit.

Iuris divini positivi: quod Deus constituit positiva sua libera voluntate ultra legem naturae.

Iuris mere ecclesiastici: quod ecclesia constituit ultra legem naturalem et divinam positivam.

Iuris mere civilis: quod societas civilis constituit sive per arrogantiam (pro baptizatis) sive legitime (pro matrimoniis non-baptizatorum inter se).

Antecedens: quod iam adest, antequam consensus matrimonialis praestetur.

Superveniens: quod oritur demum post matrimonium valide initum; hoc solum impedit usum licitum matrimonii.

Certum: si nulla prudens ratio adest dubitandi de existentia impedimenti.

Dubium: si gravis ratio stat pro eo, quod nullum impedimentum existat.

Divisio: impedimentum dubium dividitur in impedimentum dubium dubio iuris et in impedimentum dubium dubio facti; impedimentum dubium dubio iuris dividitur in impedimentum dubium dubio iuris naturae vel divini positivi et in impedimentum dubium dubio iuris ecclesiastici tantum.

Dubio iuris: si dubium de existentia impedimenti fundatur in dubio non circa factum aliquod, sed circa ipsum ius sive naturale sive divinum positivum sive mere ecclesiasticum, i. e. si factum quidem certum est, et solum dubitatur, utrum ex eo secundum legem naturae vel ius divinum positivum vel ecclesiasticum oriatur impedimentum, necne.

Dubio facti: quod versatur circa factum quoddam, i. e. si dubitatur, an revera factum adsit, ex quo, si adest, certo oritur impedimentum.

Dispensabile: in quo Papa dispensare potest et solet.

Indispensabile: in quo Papa dispensare non potest aut non solet (i. e. si hucusque nunquam dispensavit vel solum rarissime dispensat).

Iuris publici: cuius finis immediatus principalis est bonum commune.

Iuris privati: cuius finis immediatus principalis est bonum privatum ipsorum contrahentium.

Publicum: quod publice notum est.

Divisio: impedimentum publicum dividitur in impedimentum ex natura sua publicum et in impedimentum facto publicum; impedimentum facto publicum dividitur in impedimentum materialiter et simul formaliter publicum et in impedimentum solum materialiter publicum.

Natura sua publicum: quod oritur ex facto non diffamante.

Facto publicum: quod aut omnibus aut tot personis (cfr. pag. 172, n. 10) iam notum est, ut nulla spes prudens adsit, fore, ut id non omnibus brevi notum fiat.

Occultum: quod ex natura sua et simul de facto occultum est. 1° Ex natura sua occulta sunt illa impedimenta, quae oriuntur ex facto diffamante. 2° Facto occultum est impedimentum in duplici casu: a) si factum, ex quo impedimentum oritur, non est in loco publice notum (in hoc casu est de facto materialiter occultum); b) si saltem publice notum in loco non est, ex tali facto impedimentum tale oriri (in hoc casu est de facto materialiter quidem publicum, tamen formaliter occultum de facto). 3° Impedimentum facto occultum est insuper aut stricte occultum: si nemini praeter nupturientes et confessarium notum est; aut simpliciter occultum: si solum paucis (inter mille: 3) notum est, ita ut adhuc celari possit.

Materialiter et formaliter seu stricte publicum: si tum factum, ex quo impedimentum oritur, tum, quod ex hoc facto impedimentum oriatur, publice in loco notum est.

Materialiter tantum publicum sed formaliter occultum seu non stricte publicum: quando factum, ex quo oritur impedimentum publice quidem notum est, tamen, quod ex hoc facto impedimentum oriatur, non est publice notum.

Absolutum: quod facit, ut cum nulla persona matrimonium valide iniri possit.

Relativum: propter quod matrimonium solum cum certis quibusdam personis valide iniri non potest.

Personale et commune: prouti utrumque contrahentem vel unum eorum tantum afficit.

18. **Impedimenta impedientia:** sunt 6 et comprehenduntur hoc versiculo:
‚Ecclesiae vetitum, tempus, sponsalia, votum, mixtaque religio, si proclamatio desit'.
19. **Ecclesiae vetitum:** est prohibitio Papae vel episcopi, qua in particulari casu ex gravi causa vetant matrimonium.
20. **Tempus:** impedimentum temporis clausi consistit in eo, quod 1° inde a prima Dominica Adventus usque ad Epiphaniam inclusive, et 2° a feria IV^a Cinerum usque ad Dominicam in Albis inclusive matrimonium non possit licite cum sollemnitate iniri.
21. **Sponsalia:** impedimentum sponsalium consistit in eo, quod ille, qui valida et publica sponsalia fecit cum aliqua persona et haec non sunt soluta, non possit licite cum alia persona matrimonium inire.
22. **Votum:** impedimentum impediens voti consistit in eo, quod quis non possit licite matrimonium inire, si fecit votum non nubendi vel virginitatis vel simplex castitatis perfectae et perpetuae (non scholastici S. I.) vel votum ingrediendi religionem, in qua emittitur votum castitatis perfectae, vel suscipiendi ordinem maiorem.
23. **Mixta religio:** impedimentum mixtae religionis consistit in eo, quod persona catholica non possit licite inire matrimonium cum persona baptizata non catholica, nisi 1° condiciones necessariae promissae fuerint et 2° adsit certa spes probabilis futurae executionis earum et insuper 3° causa vere gravis ad mixtum matrimonium ineundum et 4° obtenta sit dispensatio Papae. Cfr. pag. 346, 347, 351, 361.
24. **Defectus proclamationum:** consistit in eo, quod illicitum sit matrimonium inire, si non antea matrimonium 1° ter, 2° viva voce (Parisiis sufficit proclamationem scriptam affigere in loco patenti ecclesiae, ut ibi per totum diem maneat) denuntiatum sit 3° a

parocho proprio (quoad vagos a parocho loci actualis commorationis) sponsi et sponsae (vide pag. 28, n. 8; 34, n. 11; 177, n. 3) 4° tribus diebus Dominicis vel festis de praecepto iisque continuis et quidem 5° in ecclesia, 6° inter missam parochialem, nisi adsit casus urgentis necessitatis vel matrimonium mixtum. Cfr. pag. 420, n. 115.

25. Impedimenta dirimentia: sunt 19 et comprehenduntur hoc versiculo: „1° error, 2° condicio, 3° votum, 4° cognatio (triplex), 5° crimen (triplex), 6° cultus disparitas, 7° vis, 8° ordo, 9° ligamen, 10° honestas, 11° aetas, 12° si affinis, 13° si clandestinus, et 14° impos, 15° mulier sit rapta nec loco reddita tuto; haec socianda vetant, connubia facta retractant".

26. Error: impedimentum erroris consistit in eo, quod matrimonium invalidum sit, si in una vel utraque parte nupturientium deerat consensus substantialis.

Defectus consensus substantialis: habetur in quadruplici casu 1° si consensus non erat internus, sed solum externus, 2° si condicio consensus sine qua non, verificata non est, 3° si condicio contractui matrimoniali apposita repugnat substantiae matrimonii, 4° si matrimonium initur cum errore substantiali.

Error substantialis in matrimonio ineundo: est triplex: 1° si versatur circa obiectum essentiale contractus matrimonialis, i. e. si quis putat, non esse tradendum ius in corpus ad actum coniugalem perficiendum eumque ex se aptum ad generandam prolem et aliter matrimonium non vellet contrahere; 2° si versatur circa duas essentiales proprietates matrimonii i. e. si quis putat, praeter coniugem alteri se posse carnaliter coniungi aut matrimonium solvi posse mutuo consensu vel vi voluntatis unius partis, et non vellet matrimonium contrahere, si haec ita non essent, 3° si quis errat a) in persona,

quacum contrahit vel b) circa qualitatem personae redundantem in substantiam personae, i. e. circa talem qualitatem, sub qua eam primo concepit et per quam ab omni alio homine in toto mundo distinguitur. De matrimonio condicionato vide supra pag. 143; 167, n. 5; 315—316.

27. **Condicio:** impedimentum condicionis consistit in eo, quod invalidum sit matrimonium inter personam baptizatam et liberam ex una parte et personam perfectae servituti subiectam ex altera parte, si pars libera ignoravit servitutem partis servae.

28. **Vis** i. e. **metus:** impedimentum metus consistit in eo, quod matrimonium sit invalidum, si consensus matrimonialis quidem verus, internus et externus fuit, tamen hic datus est 1° propter metum 2° saltem relative gravem, 3° iniuste incussum 4° ab alio homine 5° in ordine ad consensum matrimonialem obtinendum.

29. **Raptus:** impedimentum raptus consistit in eo, quod ille, qui mulierem per vim sive physicam sive moralem ei illatam abduxit ad matrimonium cum ea ineundum, non possit validum matrimonium cum ea inire, etsi haec interne et externe nec etiam ex metu consentiat, quamdiu eam detinet in sua potestate.

30. **Aetas:** impedimentum aetatis consistit in eo, quod puer, etsi iam septennis sit, ante annum aetatis 14^{um} completum, et puella, etsi iam septennis sit, ante annum 12^{um} completum, non possint validum matrimonium inire, nisi iam ante hanc aetatem actualem potentiam ad copulam coniugalem habendam acquisierint.

31. **Impotentia:** impedimentum impotentiae consistit in eo, quod validum matrimonium non possit ille inire, qui ad coeundum (imo probabilius mulier, etiamsi substantialiter ad generandum tantum) impotens est idque antecedenter et in perpetuum sive absolute sive relative.

Divisio: impotentia dividitur in antecedentem et supervenientem, absolutam et relativam, perpetuam et temporaneam, naturalem et accidentalem, in impotentiam coeundi et impotentiam generandi.

Antecedens: quae iam adest ante matrimonium.

Superveniens: quae consequitur matrimonium iam initum.

Absoluta: quae habetur relate ad quamcumque personam alterius sexus.

Relativa: quae habetur tantum relate ad personam, quacum quis matrimonium inire vult vel iam iniit.

Temporanea et perpetua: prouti mediis licitis et non graviter periculosis auferri potest vel non. Cfr. pag. 418, n. 102.

Naturalis et accidentalis: prout a naturali corporis constitutione vel a causa accidentali post nativitatem orta originem habet.

Impotentia coeundi: In viro: consistit in eo, quod membrum suum genitale non possit in vaginam mulieris immittere aut saltem in ea seminare non possit. In muliere: quod non habeat vaginam aut penitus occlusam aut tam arctam, ut vir membrum suum genitale in eam immittere non possit, vel si hymen vir eius rumpere non valet.

Impotentia generandi: est impotentia substantialis, prolem generandi. Consistit in viro: in defectu seminis virilis (est simul impotentia coeundi); in muliere: in defectu utriusque ovarii vel uteri.

Sterilitas: est accidentalis impotentia ad generandum. Adest in viro: si semen eius non est prolificum i. e. si non continet spermatozoidas; in muliere: si ovarium eius ova non elaborat et ob alios morbos genitalium.

32. **Ligamen:** impedimentum ligaminis consistit in eo, quod matrimonio valide inito nec soluto non possit valide novum matrimonium iniri.

33. Clandestinitas: impedimentum clandestinitatis consistit in eo, quod matrimonium hominis catholici ritus latini, cum quacunque persona fiat, (exceptis matrimoniis mixtis in imperio Germaniae et in Hungaria, si nupturientes ibi nati sunt et ibi contrahunt; ex constit. Provida, 18. I. 1906 pro Germ., extensa 23. II. 1909 ad Hung.) invalidum sit, si non initur coram duobus testibus et simul aut coram Ordinario (vel vicario generali) aut coram parocho (vel quasi-parocho) loci, in quo copulatio fit, aut alio sacerdote ab alterutro delegato et quidem intra fines territorii respectivi. Pro matrimoniis catholicorum ritus orientalis inter se, aut haereticorum vel schismaticorum inter se non valet hoc impedimentum. Ita inde a paschate 1908.

Catholicus: in sensu decreti: „Ne temere" (2. Aug. 1907) est omnis, qui 1° vel nunc est vel 2° saltem aliquando fuit membrum ecclesiae catholicae i. e. aut in ecclesia catholica baptizatus est (i. e. ab homine catholico) aut aliquando conversus est ad ecclesiam catholicam et postea ab ea defecerunt sive post sive ante usum rationis.

Acatholicus: est ille, qui neque nunc est, neque unquam fuit membrum ecclesiae catholicae i. e. haereticus vel schismaticus, qui in haeresi vel schismate baptizatus et nunquam ad ecclesiam catholicam conversus est (neque ante neque post usum rationis).*)

Parochus: vide supra pag. 210, n. 14.

Ordinarius: vocatur ille, qui habet iurisdictionem episcopalem vel quasi episcopalem scl. pro utroque foro.

*) Si una pars haeretica vel schismatica est, altera pars in ecclesia catholica quidem baptizata, sed nata ex parentibus haereticis vel schism. et inde ab infantia in haeresi vel schism. educata, in singulis casibus recurrendum est ad S. Sedem.

34. Cognatio: impedimentum cognationis consistit in eo, quod personae, quae in certo gradu sibi consanguineae, aut quae spiritualiter vel legaliter sibi cognatae sunt, valide matrimonium inter se inire non possint. Est triplex: consanguinitas, cognatio spiritualis, cognatio legalis.

Consanguinitas: impedimentum consanguinitatis consistit in eo, quod duae personae non possint valide matrimonium inire, a) quae in linea recta sibi consanguineae sunt, nec b) illae, quae in linea collaterali in 1° vel 2° vel 3° vel 4° gradu, sive aequali sive inaequali, sibi consanguineae sunt; exceptis Nigritis in America latina et in insulis Philippinis, pro quibus consanguinitas in lin. collat. se extendit usque ad 2um gr. tantum.

Linea recta: sibi consanguinei in linea recta sunt illi, quorum unus ab altero per naturalem generationem descendit.

Linea collateralis: sibi consanguinei in linea collaterali sunt illi, qui a communi stipite proximo per naturalem generationem descendunt, quin unus ab altero descendat.

Gradus consanguinitatis: est numerus generationum, quae intercedunt inter duas personas sibi consanguineas in linea recta aut quae intercedunt inter duas personas sibi consanguineas in linea collaterali ex una parte et communem stipitem proximum, a quo descendunt, ex altera parte.

Linea collateralis aequalis: sibi consanguinei in linea collaterali aequali sunt illi, qui eodem gradu distant a communi stipite proximo.

Linea collateralis inaequalis: sibi consanguinei in linea collaterali inaequali sunt illi, qui diverso gradu distant a communi stipite proximo.

Consanguinitas multiplex: duae personae sibi multipliciter consanguineae sunt: 1° quando sibi consanguineae sunt tum in

linea recta, tum in linea collaterali, 2° si in linea collaterali multipliciter sunt sibi consanguineae, i. e. si a) vel plures stipites proximos communes habent, per eosdem progenitores vel b) ab uno eodemque stipite communi proximo per plures diversos progenitores descendunt, vel c) si a pluribus stipitibus communibus proximis per plures diversos progenitores descendunt.

Computatio graduum in linea recta: in quoto gradu 2 personae sibi consanguineae sunt in linea recta? R. in toto gradu, quoto ab invicem distant; tot autem numerantur gradus, quot sunt personae, demta una.

Computatio graduum in linea collaterali: in quoto gradu sibi sunt consanguineae 2 personae in linea collaterali? R. in toto gradu, quoto gradu persona remotior a communi stipite distat; tot autem numerantur gradus, quot sunt personae ex parte remotiore, demto stipite.

Computatio multiplicis consanguinitatis: quotupliciter 2 personae sunt sibi consanguineae? R. totuplex est consanguinitas earum 1° quotuplex est linea, in qua sibi consanguineae sunt, 2° quot sunt stipites communes, in quibus conveniunt, 3° quotupliciter conveniunt in uno eodemque stipite communi, 4° quot sunt stipites communes, in quibus conveniunt et quotupliciter in uno vel pluribus eorum conveniunt.

35. **Cognatio spiritualis:** impedimentum cognationis spiritualis consistit in eo, quod validum matrimonium non possit iniri 1° inter ministrum baptismi vel confirmationis ex una parte et baptizatum ac confirmatum aut eorum parentes ex altera parte, neque 2° inter patrinum (patrinam) baptizati vel confirmati ex una parte et baptizatum et confirmatum aut eorum parentes ex altera parte.

Multiplex cognatio spiritualis: adest: 1° si duae familiae sibi invicem faciunt patrinos vel in baptismo vel in confirmatione vel in utroque, 2° si quis eiusdem filii patrinus est tum in baptismo tum in confirmatione, 3° si quis duorum filiorum eiusdem familiae patrinus est, unius in baptismo, alterius in confirmatione.

36. **Cognatio legalis:** impedimentum cognationis legalis consistit in eo, quod validum matrimonium iniri non possit 1° inter adoptantem vel eius uxorem et adoptatum, neque 2° inter uxorem adoptati et adoptantem, neque 3° inter adoptantem et liberos adoptati, neque 4° inter liberos minorennes adoptantis et adoptatum. Sed adoptio facta esse debet interventu auctoritatis publicae, et ita, ut adoptatus ad instar filiorum habeatur.

Adoptio: est personae extraneae assumtio gratuita in familiam adoptantis interveniente auctoritate publica. Duplex est: perfecta et imperfecta.

Perfecta adoptio: si adoptato dantur omnia iura filii (filiae) naturalis aut saltem paternae potestati adoptantis subiicitur (si est minorennis) vel ad instar filiorumfamilias in domo habitaturus assumitur (si est maiorennis).

Imperfecta: si nihil horum obtinet, sed adoptato solum ius ad haereditatem datur. Cfr. pag. 418, n. 106.

37. **Affinitas:** impedimentum affinitatis consistit in eo, quod invalidum sit matrimonium inter virum et consanguineas mulieris, quacum copulam perfectam habuit; item inter mulierem et consanguineos viri, quocum perfectam copulam habuit; et quidem cum consanguineis tum in linea recta tum in collaterali usque ad 2um gradum inclusive, si copula fuit illicita, i. e. extra-matrimonialis, et cum consanguineis tum in linea recta tum in collaterali usque ad 4um

gradum inclusive, si copula fuit licita, i. e. in matrimonio valido habita (pro Nigritis in America latina et in Philippinis usque ad 2um gradum tantum).

Multiplex affinitas: adest 1°: si quis perfectam copulam habuit cum pluribus consanguineis personae, quacum matrimonium inire vult: 2° si tum vir tum mulier, qui matrimonium inter se inire volunt, copulam perfectam habuerunt cum persona consanguinea alterius partis, 3° si tum vir tum mulier, qui matrimonium inire volunt, copulam perfectam habuerunt cum compluribus consanguineis alterius partis.

Divisio: affinitas dividitur in antecedentem et supervenientem.

Antecedens: habetur 1° quando sponsus vel sponsa copulam perfectam habuerat fornicando cum persona, quae alteri parti consanguinea est in primo vel secundo gradu sive in linea recta sive collaterali; 2° quando viduus vel vidua (vel persona ad fidem conversa post solutum matrimonium in infidelitate contractum) novum matrimonium inire vult cum persona baptizata, quae in 1° vel 2° vel 3° vel 4° gradu sive in linea recta sive in collaterali consanguinea est comparti mortuae (respect. separatae), quacum copulam coniugalem perfectam habuit.

Superveniens: habetur, quando maritus vel uxor adulterando copulam perfectam habet cum persona, quae comparti consanguinea est in primo vel secundo gradu sive in linea recta sive collaterali. Haec impedit solum usum licitum matrimonii cum proprio coniuge, si coniux cognovit hoc impedimentum. Cfr. pag. 128, 10° et 349, n. 17.

38. **Publica honestas:** publicae honestatis impedimentum consistit in eo, quod validum matrimonium non possit iniri: 1° inter personam, quae publica et valida sponsalia fecit et personam, quae parti, quacum sponsalia

fecit, consanguinea est in primo gradu sive in linea recta sive collaterali; (vide pag. 316—317, n. 12—14); neque 2° inter viduum vel viduam (respect. post solutum matrimonium per ecclesiam vel vi privilegii Paulini) et personam, quae priori coniugi consanguinea est usque ad quartum gradum inclusive sive in linea recta sive collaterali, etsi matrimonium non fuerit consummatum vel etiam invalidum fuerit, dummodo non fuerit invalidum ex defectu consensus substantialis nec matrimonium mere civile (excepto matrimonio mixto mere civili in Germania et Hungaria, cfr. supra n. 33 et pag. 360, n. 43; 418, n. 107; 419, n. 109.

39. **Votum:** impedimentum dirimens voti consistit in eo, quod is non possit validum matrimonium inire, qui in aliquo ordine religioso votum sollemne (vel simplex, si est scholasticus Societatis Iesu) castitatis perfectae valide et cum perfecta libertate emisit.

40. **Ordo:** impedimentum ordinis consistit in eo, quod is non possit validum matrimonium inire, qui ordinem maiorem valide et cum scientia suscepit, ei obligationem coelibatus esse annexam. Cfr. pag. 308, n. 15; 400, n. 81.

41. **Crimen:** impedimentum criminis est triplex: 1° utroque patrante, 2° uno patrante, 3° neutro patrante.

1° **Utroque patrante** (seu solum homicidium): consistit in eo, quod illi non possint validum matrimonium inire inter se, quorum unus altero cooperante (sive physice sive moraliter) coniugem suum vel conspirantis occiderat (sive per se sive per alium) cum intentione ineundi matrimonium cum complice homicidii eaque huic manifestata.

Duplex: si ambo conspirantes coniugati sunt et utriusque coniux ab eis occiditur.

2° **Uno patrante** (seu homicidium cum adulterio): consistit in eo, quod illi, qui scienter cum invicem verum et perfectum

adulterium commiserunt, non possint validum matrimonium inire, si unus ex ipsis postea coniugem suum vel complicis sui occiderat ex intentione ineundi matrimonium cum eo.

Duplex: si ambo adulteri coniugati sunt et uterque coniugem suum vel complicis occiderat.

3° **Neutro patrante** (seu solum adulterium): consistit in eo, quod illi, qui scienter cum invicem verum et perfectum adulterium commiserunt, non possint validum matrimonium inire, si sibi mutuo et vere matrimonium promiserant post mortem coniugis ineundum. Cfr. pag. 419, n. 112.

Duplex: 1° si ambo adulteri coniugati sunt et uterque scivit personam, quacum peccat, esse coniugatam; 2° si unus adulterorum bigamus est et adulterium cum mutua promissione matrimonii post mortem coniugis ineundi, repetitum fuit durante secundo matrimonio.

42. Disparitas cultus: impedimentum disparitatis cultus consistit in eo, quod persona baptizata non possit validum matrimonium inire cum persona non baptizata (i. e. vel certo non baptizata vel certo invalide baptizata).

43. Libellus supplex: est scriptum, quo petitur dispensatio in impedimento aliquo matrimoniali, sive impediente sive dirimente, vel a S. Sede vel ab illo, qui habet potestatem dispensandi sibi delegatam a S. Sede.

Stilus libelli supplicis: in libello petitionis exprimi debent: 1° nomen et cognomen et dioecesis oratorum, nisi impedimentum sit occultum seu diffamans: 2° impedimenta omnia in infima specie, et numerus eorum, et in consanguinitate, affinitate et honestate etiam linea et gradus (saltem remotior in linea collat. inaequali); 3° causae dispensationis; 4° status fortunae

oratorum, si a S. Sede petitur dispensatio pro foro externo (propter taxas solvendas, si non sunt pauperes); 5° circumstantia impedimenti, quae dispensationem reddit faciliorem (aff. ex copula illicita; honest. publ. ex spons., praesertim si soluta sunt; in cog. spir. compaternitas) vel difficiliorem (aff. ex cop. licita; publ. hon. ex matr.; paternitas in cog. spir.; si gradus propinquior in consang. in lin. coll. inaeq. 1us est; impedimentum impediens, quod praeter imp. dirimens adest, etsi in eo ab alio tribunali dispensabitur vel dispensatum est).

44. Causae dispensationis: sunt duplicis generis: aliae sunt canonicae, aliae non-canonicae.

Canonicae: sunt causae motivae ab ipsa S. Sede expresse admissae. Sunt 16: 1° angustia loci, 2° aetas superadulta (24 an.), 3° deficientia vel insufficientia dotis, 4° lites de dote iam inceptae vel instantes, 5° paupertas viduae, 6° bonum pacis, 7° suspecta familiaritas vel cohabitatio sub eodem tecto, 8° legitimatio prolis, 9° infamia mulieris, orta ex suspicione, quod cognita sit a consanguineo vel affine, 10° revalidatio matrimonii, 11° periculum matrimonii vel mixti vel etiam coram ministro acatholico ineundi, 12° periculum incestuosi concubinatus, 13° periculum matrimonii mere civilis, 14° remotio gravium scandalorum, 15° cessatio publici concubinatus, 16° excellentia meritorum.

Non-canonicae: sunt omnes aliae causae, quae non continentur inter expresse enumeratas a S. Sede; solum sufficiunt ad concedendam dispensationem in gradibus remotioribus, semper autem causas canonicas adiuvant, ut facilius concedatur dispensatio.

45. Concessio dispensationis: modus eam concedendi est duplex: vel datur dispensatio in forma gratiosa vel in forma commissoria.

In forma gratiosa: si S. Sedes ipsa vel ipse episcopus concedit dispensationem, adeoque ille, per cuius manus nupturientibus dispensatio concessa, transmittitur vel per quem executioni mandanda est, sit merus executor gratiae iam factae.

In forma commissoria: si S. Sedes vel episcopus alteri committit concessionem dispensationis fulminandam, adeoque hic sit commissarius gratiae concedendae, isque vel necessarius, si ei concessio dispensationis iniungitur, vel voluntarius, si eius prudenti iudicio relinquitur concessio vel denegatio dispensationis.

46. **Clausulae dispensationis:** sunt quaedam adiuncta, quorum observatio commissario iniungitur pro concessione dispensationis. Aliae sunt mere praeceptivae, aliae requiruntur ad valorem dispensationis.

47. **Examen sponsorum:** est inquisitio parochi proprii sponsorum (per se sponsae; cfr. pag. 177, n. 3), ab ecclesia praecepta, 1° in existentiam impedimentorum dirimentium et impedientium (circa publica coram sponsis vel etiam 2 testibus simul praesentibus, circa occulta coram sponso et sponsa seorsim), et 2° in religionem christianam i. e. scientiam eorum, quae ab omnibus christianis necessitate medii et praecepti scienda sunt (cfr. pag. 70, n. 1—2), et obligationum status matrimonialis. (Instructio de obligationibus circa usum matrimonii et prolem futuram melius datur brevi post copulationem, idque caste sed accurate, exponendo principia generalia de iis, quae coniugibus licita et quae sub gravi vel solum sub levi eis prohibita sunt; cfr. pag. 118, n. 21; 124—128.)

48. **Assistentia parochi:** est duplex: essentialis simplex et sollemnis.

Essentialis simplex (ad valorem matrimonii requisita): qua parochus loci sine ritu

sacra et veste sacra extra ecclesiam in loco decenti 1° libere excipit, consensum nupturientium 2° expressum coram 2 testibus simul physice praesentibus, qui sui plene compotes sunt eorumque consensum audiunt vel vident, 3° post praeviam sponsorum petitionem (saltem implicitam) et 4° interrogationem parochi de eorum consensu (saltem implicitam: se paratum ostendendo ad petitam receptionem consensus). — 3 et 4° non requiruntur, si matrim. mixtum sine debitis condicionibus initur.

Ritus copulationis: seu assistentia sollemnis: quae praeter essentialem assistentiam haec continet: 1° in ecclesia fit, 2° formalis interrogatio sacerdotis ad sponsos de consensu matrimoniali eorumque consensus expressio coram adstantibus duobus testibus, 3° verba sacerdotis: „Ego vos coniungo in matrimonium in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti." 4° missa pro sponsis et benedictio nuptialis post Pater Noster et Benedicamus Domino, si sponsa benedictionem hanc nunquam accepit, excepto matrimonio mixto et tempore clauso; 5° benedictio annuli et quandoque etiam vini S. Ioannis.

49. Sacerdos matrimonio assistens: duplex distinguitur: validae et licitae assistentiae; sacerdos validae assistentiae, alius vi muneris sui, alius vi delegationis assistit.

Valide et vi muneris: tum Ordinarius et quasi-Ordinarius (episcopus, administrator, vicarius et praefectus Apostolicus, vicarius generalis et capitularis, abbas exemtus habens clerum et populum sibi subiectum), tum parochus et quasi-parochus loci, licet copulandi non sint eorum subditi, sed extranei, si 1° intra fines territorii sui sive exclusive proprii sive communis cum alio parocho (nisi iurisdictio eius generatim solum personalis sit: tunc ubique sibi subiectos copulare potest; vel saltem in hosce copu-

landos iurisdictionem personalem habeat, etsi ad aliam parochiam pertinentes: tunc eos copulare potest tum in sua tum in parochia, ad quam pertinent) 2° voluntarie et absque metu gravi incusso consensum nupturientium audiunt vel vident, 3° postquam eos ad petitionem eorum de consensu interrogarunt (vide supra n. 48), 4° munus suum pastorale iam reapse adierunt, et saltem putentur legitimi Ordinarii, respect. parochi, dummodo error sit communis et adsit titulus muneris saltem coloratus, nec 5° nominatim et publice excommunicati vel ab officio suspensi sunt.

Valide ex delegatione assistit: quilibet sacerdos, si 1° delegatus est ad assistendum ab Ordinario (vel quasi-Ord.) aut a parocho (vel quasi-par.) loci (in quo copulatio fit) aut ab alio sacerdote, qui ab alterutro accepit delegationem ad assistendum vel generalem vel si pro particulari casu quidem, tamen cum iure expresse dato subdelegandi, 2° delegatione saltem tacita nec metu extorta, sibi nominatim (vel explicite vel implicite) facta et notificata ante copulationem, 3° et assistentia fit intra fines territorii delegantis Ordinarii vel parochi, 4° nec nominatim et publice excommunicatus vel ab officio suspensus est, et 5° consensum rite excipit (vide in hac pag. supra 2°—3°).

Licite assistit: ille, qui valide assistit, si aut 1° proprius Ordinarius (vel quasi Ord.) vel proprius parochus (vel quasi par.) alterutrius sponsorum est (sponsae, nisi iusta causa excuset) ratione domicilii, i. e. si unus ex sponsis in eorum territorio domicilium habet, aut 2° si est Ordinarius (vel quasi Ord.) vel parochus (vel quasi par.) territorii, in quo unus ex sponsis saltem per mensem in continuo de facto commoratus est et adhuc actu ibi commoratur (per se: sponsa, nisi iusta causa excuset)

aut 3° si licentiam habet ad assistendum (nisi adsit casus necessitatis) aut ab Ordinario (quasi Ord.) vel parocho (quasi par.) proprio domicilii alterutrius sponsorum (per se: sponsae) aut territorii menstruae commorationis alterutrius eorum. 4° Si unus sponsorum habitualiter nullibi domicilium nec actu locum menstruae commorationis habet, seu vagus est, requiritur licentia Ordinarii (quasi Ord.) vel sacerdotis ab hoc delegati, nisi adsit casus necessitatis; 5° requiritur certitudo de statu libero sponsorum, de absentia omnis alterius impedimenti vel dirimentis vel impedientis, item de factis proclamationibus praescriptis et de absentia impedimenti iuris civilis; tandem status gratiae sponsorum, nisi conversionem recusent.

50. Inscriptio matrimonii: est inscriptio nominum coniugum, testium, sacerdotis copulantis, loci et anni, mensis ac diei copulationis in librum matrimonialem per parochum loci vel, si absens est, per eius vicarium. Postea etiam in librum baptizatorum ad nomina coniugum in eo contenta eadem inscribuntur; si copulati alibi baptizati sunt, ad parochum (resp.: episcopum) baptismi transmittenda est notificatio celebrati matrimonii: nomina et cognomina coniugum, testium, et parentum coniugum, aetas coniugum, tempus et locus copulationis, subscriptio parochi cum sigillo parochiae.

51. Revalidatio matrimonii: est actus, quo matrimonium hucusque invalidum fit validum. Est duplex: ordinaria et extraordinaria seu sanatio in radice.

Ordinaria: est renovatio consensus coniugum, postquam utraque pars cognovit invaliditatem matrimonii et post remotionem impedimenti dirimentis per dispensationem; fieri debet coram parocho et 2 testibus (saltem clam) si matrimonium clandestine fuit initum, aut eius nullitas publice nota est, secus sufficit, privatim i. e. absque parocho et testibus

renovare consensum. Si una pars in forma ecclesiae consensum renovare non vult, petenda est dispensatio in forma ecclesiae.

Sanatio in radice: fit, quando utraque pars coniugum invaliditatem matrimonii ignorat et est simplex remotio impedimenti dirimentis 1° mere ecclesiastici per S. Sedem, vi cuius 2° consensus matrimonialis ab initio vere datus et 3° adhuc virtualiter perdurans, sed hucusque inefficax ad gignendum vinculum matrimoniale, ex nunc fit efficax ad gignendum hoc vinculum, quin fiat renovatio consensus, et insuper ecclesia aufert omnes effectus invaliditatis, quos illud matrimonium in foro externo ecclesiastico hucusque produxit seu coram ecclesia istud matrimonium est, ac si ab initio validum fuisset.

52. **Dissolutio matrimonii:** est duplex: perfecta seu quoad vinculum et imperfecta seu quoad torum et mensam tantum.

Perfecta: qua tollitur mutuum ius in corpus mutuaque obligatio reddendi debitum coniugale.

Casus solutionis vinculi matrimonialis: 1° matrimonium infidelium, etiam consummatum a) solvi potest etiam extra condiciones privilegii Paulini per Papam, si saltem una pars baptismum suscipit, dummodo non fuerit consummatum post baptismum ab utraque parte susceptum; b) in casu privilegii Paulini per matrimonium novum validum partis conversae cum persona baptizata (vel non baptizata cum dispensatione ecclesiae). 2° Matrimonium ratum, non consummatum fidelium solvitur per Papam: a) vi legis generalis per professionem sollemnem in aliquo ordine religioso (cfr. pag. 415, n. 88), b) per solutionem in particulari casu ex gravi causa.

Privilegium Paulinum: consistit in eo quod solvitur 1° matrimonium a non-baptizato cum parte non-baptizata initum, 2° si

una pars baptismum validum suscipiendo christiana fit, 3° altera pars autem interpellata 4° nec baptismum suscipere nec pacifice (i. e. absque peccato) cohabitare vult cum parte conversa et haec 5° novum matrimonium validum init. Cfr. pag. 415, n. 87. **Imperfecta:** qua separatio coniugum fit a communi habitatione, manente vinculo matrimoniali. Alia est perpetua (ob adulterium certum, formale, perfectum, non condonatum, non mutuum; item si una pars consentiente altera parte vel ordinem ingreditur vel ordinem maiorem suscipit), alia temporanea (ex causa vere gravi).

53. **Divortium civile perfectum:** est sententia iudicis civilis, coniuges iuxta codicem civilem posse ab invicem discedere et novum matrimonium inire.

PRINCIPIA.

1. *Sponsalia clandestina* certo invalida sunt in foro externo ecclesiastico, et probabilius etiam in foro interno conscientiae, quia in decreto: ‚Ne temere' simpliciter invalida declarantur. Ideoque 1° non obligant in conscientia ad ineundum matrimonium, quia obligatio dubia, nulla est. Sed cf. n. 9. 2° Non inducunt impedimentum impediens sponsalium, quia non obligant. 3° Neque actionem dant contra resilientem a talibus sponsalibus coram ecclesia, neque impedimentum dirimens publicae honestatis inducunt, quia hi sunt duo effectus iuridici pro foro externo, quos sponsalia producunt, quae in foro externo valida habentur. Cfr. pag. 416, n. 92.
2. *Sponsalia* inita cum *errore* 1° invalida sunt, si a) error fuit *substantialis* (i. e. ignorantia vel error circa obiectum essentiale vel essentiales proprietates seu obligationes matrimoniales), sive error fuerit antecedens sive concomitans tantum, quia deest consensus in matrimonium futurum;

b) si *accidentalis* quidem fuit, attamen illa res accidentalis a contrahente explicite, saltem interne, tamquam *condicio* consensus sui *sine qua non* posita est, quia hac condicione non verificata deest consensus in matrimonium futurum; 2° secus valida sunt, quia adest consensus in matrimonium futurum, sed a) rescindibilia sunt ad arbitrium partis, quae erravit, si eius accidentalis error antecedens fuit et *dolo causatus* est ab altero contrahente vel a tertio, illo consentiente, quia initio sponsalium effectus iniuriae sunt, qui eo removeri debet, quod pars, quae dolum commisit, consentire debeat in solutionem sponsalium, si pars decepta eam vult; b) ne rescindibilia quidem sunt, si *α*) error etsi antecedens, *non fuit dolo causatus* ab altero contrahente neque a tertio, eo consentiente, quia nulla iniuria erranti illata est ab altero contrahente, aut *β*) si accidentalis error concomitans tantum fuit, quia hic non est causa contractus. Cfr. pag. 165, n. 2.

3. Sponsalia inita cum *metu* 1° invalida sunt, si a) metus *usum rationis perturbavit*, adeo, ut metum passus actus saltem perfecte humani seu plenae advertentiae non fuerit capax, quia nemo vi propriae voluntatis ullam obligationem valide in se suscipere potest, nisi per actum perfecte humanum; b) si metus nullo modo usum rationis turbavit, tamen metum passus *non interne*, sed ad malum imminens declinandum solum externe consenserat, quia deest consensus, scl. internus; 2° valida sunt iure naturae, si interne et externe plene consenserat, quia consensus aderat, sed a) rescindibilia sunt, si metus fuit *antecedens, iniuste incussus ab altero contrahente vel a tertio, eo sciente et consentiente, et quidem in ordine ad extorquenda sponsalia*, quia initio sponsalium effectus iniuriae alterius contrahentis sunt, quem hic removere debet, id-

que eo, quod eorum rescissionem ad arbitrium partis laesae faciendam permittere debeat; imo sponsalia sic inita ex iure positivo ecclesiastico probabiliter etiam invalida sunt (a quocunque demum metus iste incussus sit, modo gravis fuerit) ut scl. ineundis matrimoniis plena libertas servetur intacta, quum secus infausta sint. Ideoque ex his sponsalibus nulla habetur obligatio ineundi matrimonium adeoque neque impedimentum impediens sponsalium; etiam impedimentum publicae honestatis non oritur, quia impedimentum dubium dubio iuris est nullum (cfr. pag. 416, n. 90); b) ne rescindibilia quidem sunt, si metus aut *concomitans* tantum fuit, quia hic non est causa actus, aut si antecedens quidem fuit, tamen *non ab homine* (respect. non altero contrahente nec eo consentiente a tertio) incussus est, sed a causa interna vel externa necessaria, vel ab homine saltem *non iniuste* vel *non in ordine ad sponsalia* obtinenda, sed in ordine ad aliquid aliud incussus fuit, quia sic alius (respect. alter contrahens) vel non est causa sponsalium vel non causa iniusta ideoque initio sponsalium non sunt effectus iniuriae alterius contrahentis nec libertas in matrimonii promissione laesa est. Cfr. pag. 166, n. 3.

4. Sponsalia inita *stante impedimento aliquo dirimente vel impediente*: 1° invalida sunt, a) si impedimentum est *indispensabile* vel b) si sponsalia *absolute inita* essent, quia ad aliquid impossibile vel ad illicitum non potest valide suscipi obligatio ulla; 2° si impedimentum *dispensabile* est et sponsalia inita sunt *sub condicione* (saltem tacita): ‚si possumus' et a) impedimentum tale est, quod iam *ex se vel ex voluntate contrahentium*, scl. absque dispensatione cessat, sponsalia, remoto impedimento eo ipso fiunt valida, ante remotionem impedimenti nondum valent: quia remoto impedimento impleta est

condicio consensus, ideoque consensus ipse adest, sed non antea; b) si autem impedimentum *sola dispensatione cessat*, sponsalia ex positivo iure ecclesiastico probabilius non fiunt valida obtenta dispensatione, sed manent invalida, nisi post obtentam dispensationem novo consensu praestito nova fiant sponsalia; ideoque ante hanc renovationem consensus valent consectaria ut supra n. 3, 2°, a. Cfr. pag. 416, n. 93; 417, n. 95.

5. Sponsalia inita *sub condicione* aliqua (scl. sine qua non) eaque 1° *suspensiva*, nunquam valent, si condicio non impleta est, quia deest consensus, nisi condicio fuerit revocata; si impletur, eo ipso valorem accipiunt, nisi consensus interim revocatus fuerit, quia adest consensus, excepta condicione: ‚si dispensamur' (cfr. n. 4). Iniustum autem est (excepto, si condicio fuit: ‚si dispensamur'), ante impletam condicionem consensum revocare, vel impletionem condicionis culpabiliter impedire; 2° si condicio *resolutiva* fuit, sponsalia non amplius obligant, si haec condicio impletur, quia desinit consensus sponsorum et sponsalia solvi possunt mutuo consensu.

6. Sponsalia inita: *parentibus* matrimonio filiorum cum certa quadam persona ineundo non consentientibus: 1° invalida sunt, si parentes iuste dissentiunt (scl. si vel in dedecus familiae cederet vel scandala et odia propinquorum causaret), quia tunc matrimonium futurum promissum illicitum est et ad aliquid illicitum non potest valide suscipi obligatio; si parentes absque iusta causa dissentiunt, sponsalia valida sunt, quia res promissa licita est; 2° sponsalia inita parentibus insciis tantum, sunt valida quidem, sed illicite inita, quia matrimonium promissum licitum est, quum filii solum tunc matrimonium cum determinata persona illicite ineant, si parentes dissentiunt idque iuste, non autem, si illud nesciunt tan-

tum, seu si filii consilium eorum non exquisierunt; attamen sponsi illicite sibi promiserunt matrimonium, qui ex reverentia erga parentes filii ante promissionem matrimonii consilium eorum exquirere debent; scl. filius rem licitam illicite promisit.

7. Sponsus et sponsa tenentur ex iustitia sub gravi aut resilire a sponsalibus aut sibi invicem illos *defectus revelare* 1° quorum absentiam altera pars tamquam conditionem sine qua non consensus sui posuit; 2° qui matrimonium vel invalidum vel nocivum; vel 3° infaustum vel 4° qui cogniti alteri parti illud saltem notabiliter difficilius reddunt (morbus gravis vel etiam contagiosus, gravis infamia, sterilitas, diversa religio, gravis defectus moralis, impraegnatio per alium virum, fornicatio sponsae, proles iam genita, viduitas, nisi haec ultima tria certo et omnino celari possint vel altera pars ea non aegre ferret).

8. Res in sponsalibus promissa seu matrimonium futurum *res impossibilis* fit ideoque impleri non debet, quia eo ipso solvuntur: si unus ex sponsis post sponsalia inita 1° statum altiorem amplectendi seriam voluntatem concepit, quum hic status cum obligationibus status matrimonialis incompatibilis sit; post quam vocationem valide et licite etiam vota emittere potest, quia sponsalia iam soluta sunt; cfr. pag. 417, n. 97; 2° si quid detegit, quod iam tempore sponsalium adfuit aut post sponsalia de novo supervenit, quodque, si cognitum, respect. praevisum fuisset, effecisset, ut sponsalia non fuissent inita; quia in hoc casu matrimonium infelix fieret, si nihilominus iniri deberet, quum careret amore et libertate competente, quibus haec unio intima et perpetua adeo indiget; 3° probabiliter: si matrimonium contraxit cum alia persona, etiam eo soluto, quia matrimonium initum est status ex sese perpetuus; cfr. pag. 417, n. 96; 4° si post inita sponsalia

contraxit impedimentum indispensabile vel sine culpa sua impedimentum dispensabile.

9. Qui 1° alteri matrimonium ficte promisit, quin hic fictionem facile cognoscere potuerit, aut 2° sine iusta causa a sponsalibus recessit, aut 3° alteri parti iustam causam a sponsalibus resiliendi dedit, tenetur *damnum* grave inde ortum sub gravi *reparare* ex iustitia, si ista fecit cum gravi culpa sua et conscientia iniustitiae actionis suae, quia est causa eius efficax, iniusta et theologice culpabilis. Hinc iuvenis qui libet, qui puellam defloravit sub ficta clandestina promissione matrimonii. tenetur eam ducere, si matrimonium unicum medium est (ordinarie ita!) iniuriam ei illatam reparandi, non vi sponsalium, sed ob debitam reparationem iniuriae: nisi timendum esset infaustum matrimonium vel parentes eius iuste dissentiant.

10. *Finis matrimonii*: 1° essentialis primarius est generatio et physica educatio prolis; 2° essentialis secundarius: tum mutuum adiutorium, tum remedium concupiscentiae carnalis; 3° alii fines sunt accidentales tantum.

11. Ipse contractus matrimonialis inter personas baptizatas initus i. e. mutua earum traditio et acceptatio iuris in corpus, eaque valida et signo sensibili expressa, est *sacramentum matrimonii* i. e. signum practicum gratiae supernaturalis, non autem sacramentum matrimonii est res aliqua contractui superaddita, ideoque contractus matrimonii et sacramentum matrimonii una eademque res sunt, non duae res inseparabiles. Hinc: 1° eo conficitur sacramentum seu id est materia et forma eius, quo contractus fit, i. e. mutuus consensus isque validus; et illi sunt ministri sacramenti seu illud conficiunt, qui contractum faciunt, i. e. nupturientes, non sacerdos assistens, et illi suscipiunt sacramentum, qui contractum

suscipiunt, i. e. nupturientes; 2° si baptizatus sacramentum non vult, neque contractum vult inire et si contractum inire non vult neque sacramentum vult ideoque in utroque casu invalidum est matrimonium, quia intentio requiritur ad valorem tum contractus tum sacramenti; 3° si contractus seu consensus matrimonialis invalidus est i. e. si elicitus consensus inefficax est ad gignendum vinculum matrimoniale etiam sacramentum est invalidum, quia materia et forma eius desunt.

12. Pro matrimoniis: I. *baptizatorum inter se* 1° *ecclesia catholica eaque sola* a) potestatem habet statuendi impedimenta dirimentia et impedientia: haec enim statuendo condiciones ponit, quibus non servatis, contractus matrimonii illicitus vel etiam invalidus est; quo ipso potestatem exercet, quam ipsa et ipsa sola a Christo accepit, determinandi modum, quo sacramenta conficienda, conferenda et suscipienda sunt, ut convenienter, digne et salutariter haec fiant. Repugnat autem, ut una eademque res regatur a duabus potestatibus perfectis et ab invicem independentibus, quum sic fieri posset, ut una eadem res sub eodem respecta licita et simul illicita, vel valida et simul invalida sit. b) Ad ecclesiam eamque solam pertinet iudicium *a*) de valore vel nullitate matrimonii inter baptizatos initi, quia ipsa sola a Christo habet potestatem iudicandi, utrum sacramentum aliquod valide an invalide confectum et susceptum sit; ipsa sola competens est, iudicare de existentia vel non-existentia effectuum essentialium omnis matrimonii inter baptizatos initi, scl. an adsit vinculum matrimoniale seu mutuum ius in corpus et mutua obligatio, obligatio ad cohabitationem et an proles legitima sit, necne, quia illius tantum est de his effectibus iudicare, cuius est iudicare de valore matrimonii, quum ex omni

et solo matrimonio valido oriantur; ipsa tantum iudicare potest de valore et liceitate sponsalium inter baptizatos, quia solius ecclesiae est iudicare, an adsit obligatio sacramentum aliquod conficiendi et suscipiendi, et quandonam licite vel illicite suscipiatur obligatio ad sacramentum aliquod conficiendum et suscipiendum. 2° *Societas civilis* a) pro omnibus matrimoniis baptizatorum solum condiciones statuere potest, sub quibus ipsa effectus accidentales civiles seu bona quaedam temporalia eis tribuere velit; b) pro certis classibus civium, in quas omnis civis libere ingreditur, statuere impedimenta impedientia, i. e. leges, quae in certis casibus matrimonium illicitum faciant. II. Pro matrimoniis *non-baptizatorum inter se*, seu quorum utraque pars certo non est valide baptizata, societas civilis *statuere potest impedimenta* impedientia et dirimentia, quia haec matrimonia non sunt sacramenta nec contrahentes subsunt potestati ecclesiae, et tamen bonum commune exigit, ut eorum matrimonia legibus positivis regantur, quum leges iuris naturalis et positivi divini pauciores et leges naturales in multis rebus etiam mancae vel dubiae sunt; sed societas civilis illa impedimenta non statuit, ut est civilis, sed quatenus ob defectum alterius potestatis sacrae inter infideles simul pro eis est suprema potestas religiosa, quia omne matrimonium ex natura sua ideoque etiam inter infideles res sacra et religiosa est utpote ordinatum ad procreandos homines destinatos ad finem supernaturalem.

1'3. Impedimenta 1° *iuris naturae et divini positivi*, tum impedientia tum dirimentia obligant omnes homines totius mundi; 2° impedimenta autem, quae *iuris ecclesiastici tantum* sunt: a) non valent pro matrimoniis non-baptizatorum inter se, quia ecclesia in non-baptizatos iurisdic-

tionem, vi cuius impedimenta matrimonialia statuit, non habet; sed b) **valent pro omnibus matrimoniis baptizatorum inter se** sive catholici sint, sive haeretici sive apostatae, sive schismatici, quia vi voluntatis Christi omnis homo baptizatus (etsi dubie valide baptizatus, nisi certo probetur nullitas baptismi collati) per characterem baptismalem subiicitur iurisdictioni Papae; ideoque potest etiam matrimonia haereticorum et schismaticorum inter se subiicere impedimentis impedientibus et dirimentibus ecclesiasticis et de facto etiam vult, ut haeretici et schismatici ea observent (excepto impedimento clandestinitatis inde a paschate 1908); c) **si una pars baptizata, altera non baptizata est**, eorum matrimonium subest impedimentis ecclesiasticis, quae **non sunt reciproca**, quia ecclesia in partem baptizatam iurisdictionem habet, etsi eius matrimonium non sit sacramentum; sed **impedimenta reciproca**, quorum fundamentum non est natura, pro eis non valent: cognatio spirit. et legalis, et publ. honestas. 3° Impedimenta **iuris mere civilis valent solum pro matrimoniis non-baptizatorum inter se**, modo iuri naturae non contradicant.

14. Impedimenta 1° *iuris naturae* sunt: a) **impedientia**: α) sponsalia, β) votum, γ) mixta religio et disparitas cultus, si aut condiciones de universa prole catholice educanda et de libertate partis catholicae in exercitio suae religionis non serio promissae sunt aut spes certa deest futurae executionis condicionum promissarum, aut saltem causa vere gravis non habetur ad hoc matrimonium ineundum; b) **dirimentia**: α) defectus consensus substantialis, β) probabiliter metus, γ) aetas septennio inferior seu potius talis, in qua nondum habetur usus rationis plenus, qui ad actum perfecte humanum requiritur (cfr. pag. 416, n. 91), δ) impotentia antecedens et perpetua ad

coeundum, tum absoluta, tum relativa; probabiliter etiam impotentia antecedens et perpetua ad generandum (in muliere); ε) ligamen, quatenus polyandriam excludit, ζ) consanguinitas in 1° gradu lineae rectae et probabiliter in infinitum in hac linea, in linea collaterali autem in 1° gradu; 2° *iuris divini positivi* tantum: ligamen, quatenus excludit polygyniam; 3° *iuris ecclesiastici tantum*: a) impedientia: α) vetitum, β) tempus, γ) mixta religio, si dispensatio non habetur, etsi omnes condiciones et cautiones necessariae praestitae sint et gravis causa adsit, δ) defectus proclamationum; b) dirimentia: α) condicio, β) raptus, γ) aetas supra septennium, sed infra annum aetatis 14um, respect. 12um, δ) clandestinitas, ε) consanguinitas ultra 1um gradum lineae collateralis, ζ) cognatio spiritualis et η) legalis, ϑ) affinitas, ι) publica honestas, κ) crimen, λ) votum sollemne, μ) disparitas cultus, quatenus dirimens est.

15. *Rationes* impedimentorum dirimentium iuris ecclesiastici tantum: a) tempus: memoria passionis Christi recolenda et poenitentia agenda; b) mixta religio: vigilantia super condiciones et cautiones et infelicitas matrimoniorum mixtorum; c) condicio: servitus compartis aliquatenus impedit usum matrimonii et rectam educationem prolis; d) raptus: libertas omnimoda in ineundo matrimonio servanda; e) aetatis: indecentia matrimonii ante potentiam proximam coeundi; f) clandestinitatis: periculum, ne coniuges matrimonio contracto compartem relinquant et aliud matrimonium invalidum ineant; g) consanguinitatis ultra 1um gr. lin. coll.: amicitia et caritas extendenda ultra proximos propinquos, refrenatio libidinis inter ipsos, vitanda infoecunditas vel infelicitas matrimonii (ob defectus physicos vel morales prolis); h) cognationis spiritualis: reverentia spiritualiter coniunctis debita;

i) cognationis legalis: reverentia, quam adoptatus eiusque filii et uxor adoptanti eiusque uxori debent et pericula fornicationum inter personas in eadem familia degentes; k) affinitatis: indecentia propter propinquitatem corporum ortam ex copula carnali; l) honestatis publicae: indecentia propter coniunctionem animorum ortam ex promissione matrimonii et ex matrimonio inito; m) voti et ordinis: bonum commune ecclesiae vel religionis ob pericula laesionis coelibatus clericorum maiorum vel voti castitatis hominum regularium; n) criminis: sanctitas matrimonii christiani, ne via ad illud paretur per crimina; o) disparitatis cultus: periculum amittendae fidei pro parte baptizata et prole futura.

16. *Impedimentum dubium*, impedimentum nullum' i. e. 1° si impedimentum aliquod dirimens dubium est (positive) et a) impedimentum iuris ecclesiastici tantum est, *α*) ecclesia supplet, i. e. impedimentum removet (si adest), quando dubium est dubium iuris, *β*) non autem removet, si est dubium facti, quia non vult removere. Sed b) ecclesia ne potest quidem removere impedimentum, si est impedimentum iuris naturae vel divini positivi, sive dubium sit dubium facti sive iuris, quia ad hoc non accepit a Deo potestatem. 2° Ideoque a) absque dispensatione valide et licite initur matrimonium stante impedimento dirimente dubio et mere ecclesiastico, si est dubium iuris; sed ex reverentia erga legem ecclesiae nihilominus dispensatio petitur, si tempus suppetit vel saltem postea procuranda est. b) Illicite vero initur stante impedimento aliquo dirimente dubio, quod dubium est ob dubium facti etsi impedimentum mere ecclesiasticum sit, sed petenda est dispensatio (ad cautelam); item illicite initur, si impedimentum dubium impedimentum est iuris naturae

vel divini positivi. Ratio horum est: quia contrahentes periculo proximo se exponerent graviter peccandi per copulam, quum in dubio melior sit condicio possidentis (scilicet ius in integritatem carnis suae). Utrum validum sit matrimonium sic initum necne, dependet ab eo, utrum impedimentum revera adsit vel non adsit, quod tamen ignoratur.

17. *Impedimenta* 5, scl. triplex impedimentum criminis, item impedimentum affinitatis supervenientis et cognationis spiritualis supervenientis (i. e. si parentes in matrimonio proprium filium suum extra casum necessitatis baptizant) probabiliter *non incurruntur, si ignorantur* (ab utroque: in impedimento criminis) modo ignorantia fuerit invincibilis vel saltem non graviter culpabilis seu crassa, quia principaliter illa impedimenta probabiliter rationem poenae ecclesiasticae tantum habent et quidem poenae vindicativae extraordinariae, quae probabiliter non incurritur ab ignorante eam, si ignorantia fuit invincibilis vel leviter culpabilis, licet solam poenam ignoraverit. Ideoque applicatur principium: impedimentum dubium, impedimentum nullum. Cfr. pag. 393, n. 41; 418, n. 105; 419, n. 108.

18. Si impedimentum aliquod dirimens iuris mere ecclesiastici *in damnum* 1° commune alicuius loci cederet, i. e. si eius observatio pro tota communitate impossibilis facta est, impedimentum certo cessat, quia nulla lex obligat, si in damnum commune est; 2° propter incommodum privatum (i. e. sponsorum vel alicuius tertii) autem etsi gravissimum sit, solum probabiliter cessat; ideo autem probabiliter cessat, quia leges matrimoniales ecclesiasticae etiam irritantes probabiliter sunt leges principaliter prohibentes matrimonium et secundario tantum illud irritantes, sed a lege positiva prohibente excusat incommodum etiam privatum proportionate grave;

quod utique hic debet esse gravissimum, quum leges matrimoniales dirimentes gravissimi momenti sint pro bono communi. Ideoque applicatur principium: impedimentum dubium, impedimentum nullum.

19. In *casu perplexo*, i. e. I. Si immediate *ante copulationem*, quando a) iam omnia ad nuptias parata sunt, b) impedimentum aliquod dirimens mere ecclesiasticum et occultum, sed dispensabile detegitur, et c) tempus dispensationis procurandae non suppetit nec d) copulatio sine gravi scandalo vel infamia differri potest: e) impedimentum probabiliter 1° cessat, si neutra pars nupturientium in fraudem legis egit i. e. si neuter ideo impedimentum celavit, ut inducendo casum perplexum, copulationem extorqueret: quia impedimentum cederet in gravissimum incommodum nupturientium; ideoque copulatio certo valida est, quum applicetur axioma: impedimentum dubium, impedimentum nullum; cfr. supra n. 18 et 16, 2°a; 417, n. 100. Sed 2° si utraque pars vel una earum in fraudem legis egit, impedimentum non cessat seu ecclesia non removet, quia fraus nemini debet patrocinari, ideoque ficte vel condicionate contrahere debent et postea dispensatio ab impedimento procuranda est; fictus consensus est solum dissimulatio sacramenti, quae ex causa gravi licet, non simulatio sacramenti, quia nulla pars essentialis sacramenti matrimonii ponitur: nam solus consensus mutuus validus est materia et forma huius sacramenti; II. Si *post contractum matrimonium* a) impedimentum mere ecclesiasticum dirimens occultum dispensabile detegitur, quo stante matrimonium initum est b) ab utroque contrahente in bona fide, i. e. in ignorantia de existentia impedimenti, et c) nunc una pars coniugum putativorum invaliditatem matrimonii cognoscit, altera pars vero eam ignorat et d) pars conscia sine gravissimo

damno suo vel alicuius tertii neque a reddendo debito coniugali abstinere neque partem ignaram de invaliditate monere potest, impedimentum sine dispensatione cessat, ideoque matrimonium fit ex nunc validum et pars conscia debitum coniugale reddere et petere potest: quia impedimentum cederet in gravissimum incommodum privatum; cfr. supra n. 18 et 420, n. 116.

20. Sponsalibus valide initis nec solutis: 1° *sponsalia* cum alia persona illicita et invalida sunt, quia res in secundis sponsalibus promissa illicita est et ad rem illicitam faciendam nec licite nec valide suscipi potest obligatio. Sed 2° *matrimonium* initum cum alia persona validum est, quamvis illicitum, quia matrimonium contrahens per priora sponsalia non amisit ius in corpus suum, sed mansit dominus eius; sed dominus rei valide etsi illicite eam tradit alteri, si eam uni iam promisit; scl. res uni iam promissa invalide promittitur, sed valide datur alteri, etsi illicite. Cfr. pag. 168, n. 14.

21. Ex lege naturae 1° *mortale est, inire matrimonium mixtum*, si aut a) 2 *condiciones* necessariae (institutio et educatio universae prolis in sola religione catholica et libertas pro parte catholica in exercenda religione catholica) *non* serio promissae sint aut b) etsi condiciones promissae sint, tamen *non* simul adest vera et *certa spes* prudens futurae executionis harum condicionum, quia sic nihilominus adesset periculum proximum gravis damni in fide unice vera pro parte catholica et prole futura; atqui peccatum grave est, se exponere periculo proximo peccati gravis; in qua lege naturae prohibente absoluta ecclesia ne potest quidem dispensare. 2° Si vero haec *certa spes* adest (certitudo non requiritur), a) *licitum* est, matrimonium mixtum, obtenta dispensatione, inire, si ad illud ineundum gravis causa habetur,

quia tunc periculum pro fide remotum est et remoto periculo peccati etiam gravis licet se exponere ex iusta causa; b) si causa non est vere gravis, *veniale peccatum* est, quia non licet sine iusta causa se exponere periculo peccati gravis, etsi remotum factum sit per cautelas adhibitas. Cfr. pag. 54, n. 5; 417, n. 95.

22. *Facto voto cum matrimonio incompatibili nec soluto*, matrimonium valide, sed illicite initur (invalide si fuerit votum sollemne castitatis perfectae in ordine emissum vel simplex scholastici S. J.: quia haec vota vi iuris positivi ecclesiastici dirimunt matrimonium): quia res Deo promissa valide quidem, sed illicite datur homini; illicite ideo, quia contrahens ineundo matrimonium vel votum iam laedit vel periculo proximo se exponit laedendi votum vel impletionem eius notabiliter difficiliorem sibi reddit. Cfr. pag. 419, n. 110.

23. *Votum ante matrimonium emissum* et cum eo incompatibile, post matrimonium sine dispensatione in voto initum, voventem in tantum adhuc obligat, in quantum adhuc impleri potest, nisi dispensatio in voto fiat; in quantum vero observari non amplius potest, ad nihil amplius obligat, nisi ad poenitentiam; scl. si eius observatio est contra ius matrimoniale alterius partis, quia obligatio religionis ex voto orta cedere debet obligationi iustitiae ex contractu matrimoniali ortae, utpote fortiori.

24. Qui notitiam vere probabilem alicuius impedimenti matrimonialis, etsi occulti habet, illud sub gravi *denuntiare* tenetur, nisi alio modo matrimonium impediri possit, tum ex caritate erga nupturientes tum ex lege positiva ecclesiae, nisi a) denuntiatio cederet in grave incommodum vel proprium vel tertii (qui non est unus ex sponsis) quia nec caritas nec lex humana obligat cum gravi incommodo; aut b) illud

sciat tantum sub secreto commisso consilii vel officii, quia bonum commune hoc secretum servandum exigit. Cfr. pag. 421, n. 119.

25. *Matrimonium* saltem ab una parte contrahentium *initum sub* aliqua *condicione* sine qua non *suspensiva* eaque explicite et saltem mentaliter concepta nec ante initum matrimonium revocata, 1° invalidum est: a) si condicio apposita repugnat naturae seu substantiae matrimonii: quia deest consensus in matrimonium; vult enim aliquid aliud, sed non matrimonium; b) si condicio non verificatur (quaecunque fuerit), sive sic contrahens sciat, condicionem non esse verificatam sive id nesciat sive errore putet, eam esse verificatam: quia deest consensus eius in matrimonium, quum eum dependentem fecerit ab existentia condicionis appositae; 2° validum est vel fit eo ipso, sine novo consensu, si condicio non repugnans substantiae matrimonii, impleta est, quia tunc adest consensus in matrimonium.

26. Si matrimonium contrahens *duas* habet *intentiones sibi contradictorias*: ineundi et non ineundi matrimonium (si scl. aliquam ex 3 obligationibus matrimonio essentialibus vel sacramentum matrimonii, quod baptizatus cum baptizata init, suscipere non vult), matrimonium validum est, si intentio ineundi matrimonium est praedominans; invalidum est, si intentio non ineundi est intentio praedominans; cfr. pag. 13; 20, n. 5.

27. *Polyandria* per legem naturae primariam adeoque stricte prohibita est, quia finem matrimonii essentialem eumque primarium reddit impossibilem, eo quod mulier sterilis fit, si simul cum pluribus viris copulam habet. *Polygynia* est solum contra legem naturae secundariam adeoque iure naturae non est stricte prohibita, quia finem matrimonii essentialem solum secundarium difficiliorem, non impossibilem red

dit. Sed vi iuris divini positivi polygynia ante Christum licita post Christum pro omnibus hominibus abrogata est.

28. *Morte alterius coniugis* omne matrimonium solvitur. De morte eius vero constare debet morali certitudine, i. e. ita, ut omne prudens dubium exclusum sit: quia secus in favorem coniugis dubie mortui applicandum est principium: in dubio melior est condicio possidentis. Haec ordinarie acquirenda est aut ex testimonio ecclesiastico authentico aut ex testimonio 2 testium ocularium vel talium, qui mortem a testibus ocularibus perceperunt, si omni exceptione maiores sunt; extraordinarie admittitur probatio mortis per indicia, sed talia, quae simul sumta moralem certitudinem pariant aut per iuramentum.

29. Ubique terrarum tum inter baptizatos tum inter non-baptizatos matrimonium initum stante seu non soluto priore matrimonio (per mortem vel in casu privilegii Paulini vel per Papam), non est nisi turpis *concubinatus*, qui mortale peccatum est.

30. *Baptismus dubius* sive sit dubie collatus sive dubie validus (intellige dubium positivum i. e. ut ratio aliqua gravis adsit pro facto baptismi et eius validitate) in ordine ad matrimonium sive contrahendum sive iam contractum habendus est ut valide collatus, nisi contrarium certo probetur: tum, quia relate ad effectus iuridicos alicuius actus axioma valet: in dubio standum est pro valore actus, tum ex expressa declaratione S. Sedis.

31. Impedimenta *indispensabilia* sunt: 1° omnia impedimenta iuris naturae, tum certa tum dubia; 2° impedimentum iuris divini positivi: ligamen. Nam in his ecclesia non potest dispensare; 3° a) aetas sine actuali potentia generandi, b) affinitas in 1° gradu lin. rectae ex co-

pula licita, c) ordo sacerdotalis vel episcopalis, nisi agatur de convalidando matrimonio sacerdotis moribundi, d) crimen ortum vel ex homicidio publice noto vel ex coniugicidio cum adulterio licet homicidium occultum sit, nisi agatur de convalidando matrimonio, e) cultus disparitas in regionibus fidelium, praesertim matrimonium cum iudaeo, etsi omnes condiciones et cautiones praestentur, f) votum sollemne. Nam in hisce impedimentis ecclesia vel nunquam dispensavit vel saltem rarissime dispensat.

32. *Papa* 1° *dispensare potest* in omnibus impedimentis matrimonialibus mere ecclesiasticis, quia eius leges sunt; 2° non potest dispensare in impedimentis iuris naturae sive certis sive dubiis, et in impedimento iuris divini positivi scl. ligaminis, quia leges Dei sunt et a Christo non accepit potestatem dispensandi in his impedimentis. 3° Accepit autem a Christo *potestatem solvendi* vota, sponsalia, matrimonia rata non consummata fidelium, existente gravi causa, item matrimonia etiam consummata in infidelitate contracta, si vel utraque vel saltem una pars ad fidem christianam transit, modo non consummatum sit post conversionem utriusque: quia haec faciendi est praxis constans et universalis Romanorum Pontificum, ex qua infallibiliter sequitur, eos posse haec facere valide et licite, quia per hanc praxim implicite et obligatorio modo omnes fideles definitive docent, se haec valide et licite facere posse; atqui Papa infallibilis est in doctrina de rebus fidei vel morum istis characteribus insignita. Cfr. pag. 415, n. 89.

33. *Episcopi* in impedimentis matrimonialibus dispensabilibus, potestate a Papa accepta, dispensare possunt: 1° potestate quasi-ordinaria: a) in impedimentis dubiis dubio facti; b) in casu fre-

quenter occurrente, scl. in proclamationibus, in votis non reservatis; c) in casu urgentis necessitatis, i. e. si impedimentum detegitur immediate ante nuptias, quae differri non possunt nec tempus suppetit adeundi S. Sedem; modo impedimentum dirimens sit occultum saltem facto et formaliter aut impediens voti perfectae castitatis; d) si periculum est in mora, i. e. si impedimentum detegitur post matrimonium in facie ecclesiae in bona fide (saltem ab uno nupturientium) initum et iam consummatum, dummodo impedimentum dirimens sit natura et facto occultum aut impediens voti perfectae castitatis; 2° potestate a Leone XIII° data ad a) convalidandum matrimonium eorum, qui b) hic et nunc in concubinatu vivunt et c) quorum unus in periculo mortis est, dispensare possunt d) in omnibus impedimentis mere ecclesiasticis dirimentibus (non autem si simul adest imped. impediens) etiam publicis (excepto ordine presbyt. et affin. in 1° gr. l. rect. ex cop. lic.), si e) aegrotus intra 3 hebdomadas moriturus timetur; 3° in omnibus aliis casibus episcopus solum vi aliarum specialium facultatum, si tales obtinuit, dispensare potest; hae sunt vel ordinariae (annuales, triennales, quinquenn.) vel extraordinariae; vi facultatum ordinariarum dispensare potest in dirimentibus tunc tantum, si natura et facto omnino seu stricte occulta sunt, nec vi facultatum ordinariarum vel extraordinariarum in uno eodemque casu dispensare potest in pluribus imped. dirim. publicis aut in dirim. publico et simul in impediente reservato (tempus, sponsalia, votum perfectae cast. vel ingrediendi ordinem, mixta religio) nisi specialem acceperit facultatem cumulandi dispensationes.

34. *Parochus et quilibet alius sacerdos* dispensat 1° vi specialium facultatum, quas vel ab episcopo vel Papa acceperit; 2° si quis

a) est in periculo mortis et b) nec Ordinarius nec parochus loci nec ab alterutro delegatus ad assistendum haberi potest, quilibet sacerdos valide et licite eum copulare potest, modo 2 testes adhibeat, si haberi possunt, secus eis non indiget. Insuper in hoc casu facultate Leonina (cfr. n. 33, 2°) gaudet et quidem non solum ad concubinarios, sed ad quoslibet fideles copulandos: ex indulto a Pio X° concesso.

35. Papa dispensat 1° per S. Officium in impedimento mixtae religionis et disparitatis cultus (item in facienda interpellatione in casu privilegii Paulini); 2° in aliis omnibus impedimentis per S. Congreg. de disciplina sacramentorum, si dispensatio fieri debet pro foro externo adeoque in impedimentis publicis, sive natura sive facto tantum publica sint, idque tum pro pauperibus, tum pro divitibus; 3° per S. Poenitentiariam pro solo foro interno adeoque, si impedimentum occultum est, sive occultum sit facto et natura sive facto tantum, idque gratis pro omnibus.

36. Ut dispensatio valida sit, adesse debet 1° *causa* aliqua eaque 2° motiva, sive canonica sive non-canonica, eaque 3° vera et 4° existens tempore concessionis dispensationis: quia Papa sine tali causa dispensare non vult, etsi posset, alius autem, qui ab eo facultatem dispensandi accepit, ne potest quidem, quia nemo in lege Superioris sui sine iusta causa dispensare valet, quum Superior ei non dederit ad hoc potestatem. Vi huius principii neque Papa valide solvere potest vota, professionem sollemnem, sponsalia, matrimonia rata fidelium non consummata et consummata infidelium, non existente gravi causa, quia dispensat (improprie) in lege Superioris, scl. Dei. Cfr. pag. 385, n. 9.

37. ‚Si preces veritate nitantur': scl. 1° *invalida est concessa dispensatio:* a) si una causa motiva allegata fuit et haec vera

non est, etsi in bona fide ut vera allegata fuerit; b) si solum causae impulsivae allegatae sunt et una earum vera non est, etsi in bona fide adducta fuerit: quia deest iterum causa motiva, quum solum omnes causae impulsivae simul sumtae unam causam motivam efficiant. 2° *Valida autem est*, si una causa motiva allegata vera fuit, quamvis aliae causae motivae vel omnes impulsivae allegatae falsae sint, sive in bona fide sive in mala fide falso allegatae fuerint.

38. Commissarius seu delegatus concedendae (vel etiam solum exequendae) dispensationis constitutus per literas non potest valide dispensare, nisi *documentum scriptum* de facultate dispensandi sibi concessa *in manu habeat*, etsi certus sit de potestate sibi iam concessa, nisi notitiam concessionis factae habeat per nuntium telegraphicum ex officio seu auctoritate S. Sedis (respect. Ordinariatus) missum (Leo XIII.).

39. Quando impedimentum occultum est, cuius manifestatio vel petentem diffamaret apud Ordinarium vel sigillum sacramentale laederet, 1° libellus supplex pro dispensatione obtinenda (vel revalidatione matrimonii iam contracti) a confessario petentis dirigendus est a) *immediate ad S. Poenitentiariam*, alloquendo Cardinalem („Eminentissime Princeps"), b) nomine oratorum seu sponsorum, quorum vera nomina tamen teguntur, c) assignando locum confessarii; huic deinde datur facultas dispensandi pro foro interno tantum. 2° Ut eam valide exerceat a) debet esse confessarius approbatus ab episcopo loci, in quo dispensatio conceditur, et, b) si in rescripto dicitur „audita prius sacramentali confessione" et „iniuncta salutari poenitentia", ut fiat in actu confessionis et iniuncta salutari poenitentia praescripta; 3° solum viva voce dispensatio datur neque determinata formula requiritur. Cfr. pag. 420, n. 114.

40. Dispensatio in impedimentis matrimonialibus mere ecclesiasticis (et revalidatio) petitur vel 1° ad valorem matrimonii: si impedimentum certo adest; 2° ad cautelam, si dubium est, dubio facti; 3° pro foro externo: si in aliquo impedimento natura publico sed de facto saltem formaliter occulto dispensatum fuit pro foro interno tantum: scl. ut constet de dispensatione facta, si forte postea impedimentum etiam facto et formaliter publicum evadat; 4° solum ad maiorem tranquillitatem conscientiae vel saltem propter reverentiam legibus ecclesiae debitam: si impedimentum dubium est dubio iuris ecclesiastici, quia in hoc casu certo cessavit impedimentum ecclesiam supplente iuxta axioma: ‚impedimentum dubium, impedimentum nullum'.

41. *Delegatio data ad assistendum* alicui matrimonio non expirat morte delegantis, quia gratia facta est (scl. sponsis), utpote facultas sacerdoti data in favorem tertii tamquam commissario necessario, non voluntario, gratia facta autem non cessat per mortem illius, qui eam dedit.

42. 1° *Omnis sacerdos valide et licite* matrimonio eorum *assistit*, quorum unus *in periculo mortis* est, si nec Ordinarius nec parochus loci nec ab alterutro delegatus haberi potest ad assistendum (scl. sine gravi incommodo), modo 2 testes adhibeantur, si haberi possunt et si haberi non possunt, praesentia solius sacerdotis sufficit. 2° Si in aliquo loco *iam inde a mense* completo nec Ordinarius nec ullus parochus (vel quasi parochus) nec ab alterutro delegatus haberi potuit ad assistendum, valide et licite matrimonium a nupturientibus contrahitur sine assistentia sacerdotis, modo adhibeant 2 testes. In hoc duplici casu inscriptio matrimonii in libris praescriptis postea curari debet a sacerdote, qui adstitit, respect. a 2 testibus adhibitis et coniugibus ipsis.

43. Matrimonium hominis baptizati catholici *mere civile*, i. e. initum coram magistratu civili tantum et matrimonium *coram solo ministro religionis acatholicae* celebratum: 1° *invalidum* est: a) si non pertinet ad matrimonia exemta a lege clandestinitatis; b) si ad haec pertinet quidem, tamen α) nupturientes vel una pars eorum coram magistratu civili, respect. ministro acatholico solum caeremoniam aliquam exteriorem, non autem consensum matrimonialem praestare voluerunt, aut β) si initum est stante aliquo alio impedimento dirimente vel iuris naturae vel divini positivi vel ecclesiastici, in quo dispensatum non fuit. — Matrimonium mere civile invalidum non est matrimonium putativum, sed foedus concubinatus, ideoque ex eo non oritur impedimentum publicae honestatis et ex copula in eo habita affinitas oritur solum usque ad 2um gr.; aequivalet autem mutuae promissioni matrimonii; 2° *validum* est, si exemtum est a lege clandestinitatis et nupturientes coram magistratu civili, resp. coram ministro acatholico verum consensum matrimonialem praestare intendebant, dummodo non aliud impedimentum dirimens adsit, in quo dispensatum non fuit; 3° *graviter illicitum* autem omne matrimonium est, quod non initur in facie ecclesiae, i. e. coram parocho catholico loci et 2 testibus (excepto casu in n. 42).

44. ‚Ubi sponsa, ibi sponsalia' et nuptiae: i. e. 1° ex consuetudine *parochus proprius* (scl. domicilii vel menstruae commorationis) *sponsae sponsalia excipiat*, examen sponsorum instituat, dispensationes necessarias procuret, documenta necessaria colligat et ea simul cum testimonio de proclamationibus in sua parochia factis parocho copulanti mittat, si non ipse copulans est; 2° ex decreto: ‚Ne temere' etiam *copulatio ad parochum* proprium *sponsae* pertinet,

i. e. ad *liceitatem* copulationis requiritur, ut parochus sponsae eam peragat aut ut alius sacerdos, qui eam facit, ab eo licentiam ad assistendum habeat; tamen ex causa rationabili etiam parochus sponsi copulare potest.

45. *Matrimoniis mixtis* 1° ex iure communi solum assistentiam essentialem praebere licet, etsi omnes condiciones et cautiones necessariae praestitae sint et etiam dispensatio ecclesiae obtenta sit: ne horror fidelium erga haec matrimonia, ex quibus tam gravia et communia damna pro ecclesia sequuntur, minuatur; 2° non praestitis condicionibus et cautionibus autem ne essentialis quidem assistentia licita est, nisi fiat ex licentia generali vel speciali S. Sedis ad maiora mala vitanda, dummodo sponsi promittant, se nec ante nec post copulationem per sacerdotem catholicum, ministrum alienae religionis, ut talem, adituros esse; 3° si certum est, eos adire velle hunc ministrum, iterum nulla assistentia licita est; quod si eum adeunt, ipso facto incurrunt excommunicationem Papae speciali modo reservatam, pro utroque foro, si hoc sciebant; pro foro externo tantum, si id ignorabant. Cfr. pag. 192, n. 5—6; 201 n. 3.

46. Si aliquod matrimonium in facie ecclesiae initum postea tamquam invalide initum detegitur ob occultum impedimentum dirimens, quod adfuit, cuius autem 1° *utraque pars* coniugum putativorum *ignara* est, a) relinquendi sunt in bona fide sua, quia separatio sine scandalo publico fieri non posset et coniuges non separati copulam non obstante monitione nihilominus haberent, b) et si impedimentum dispensabile est, *sanatio in radice* petitur, quin eis quidquam dicatur de petita et concessa dispensatione; 2° si *una pars* eorum nullitatis matrimonii *ignara, altera* autem eius *conscia* est,

et haec partem ignaram de nullitate matrimonii monere non potest sine gravi incommodo proprio vel tertii, aut pars ignara ad consensum renovandum moveri non posset, a) etiam sanatio in radice petitur, si impedimentum dispensabile est; sanatio concessa deinde applicatur parti consciae (vel in confessione vel extra eam), quae consensum suum renovare debet. Imo b) sine dispensatione matrimonium fit validum et pars conscia parti ignarae debitum coniugale petenti licite reddere potest in casu, in quo a reddendo debito abstinere non potest absque gravissimo incommodo, dummodo impedimentum dispensabile sit: quia in hoc casu impedimentum istud mere ecclesiasticum sine dispensatione probabiliter cessat, sed impedimentum dubium, nullum est; cfr. pag. 350, n. 19, II.

47. *Matrimonium solvere* et ad novas nuptias transire seu vinculum matrimoniale solvere: 1° *ex qualibet causa*, iam per legem naturae stricte prohibitum, adeoque etiam novum matrimonium initum irritum seu merus concubinatus turpis est: obstat enim lex naturae primaria, quum sic educatio prolis, quae etiam primarius finis essentialis matrimonii est, impossibilis fieret; 2° *ex gravibus quibusdam causis* tantum matrimonium solvere et novum matrimonium inire, non est stricte per legem naturae prohibitum, licet ab ea dissuadeatur, quia contra legem naturae secundariam tantum est, i. e. solum aliquem finem matrimonii essentialem, secundarium, scl. mutuum amorem et adiutorium, impossibilem reddit, finem primarium autem scl. educationem prolis difficiliorem tantum facit. Cfr. pag. 415, n. 86. 3° Tamen vi *iuris divini positivi* post Christum a) nullum matrimonium, ne inter infideles quidem, valide solvi potest sive per voluntatem coniugum, ne mutuo consensu quidem, sive per

potestatem civilem, sed b) solus Papa a Deo accepit potestatem, in quibusdam casibus matrimonium sive fidelium sive infidelium solvendi, adeo ut coniuges novum matrimonium valide et licite inire possint; insuper solvitur in casu privilegii Paulini.

48. ‚In dubio standum est pro valore actus' i. e. si matrimonio inito, *de eius validitate dubium oritur*, matrimonium habendum est ut validum, nisi eius nullitas certis argumentis probetur: tum propter principium generale enuntiatum, quod omnino necessarium est ad tuendum bonum privatum et commune, tum propter gravissima pericula matrimoniorum aliorum invalidorum, quae secus saepissime inirentur, tum, quia non licet aliquem in dubio spoliare aliquo iure, quod hucusque in bona fide possedit, nisi certo probetur, hoc ius non habere, iuxta principium: in dubio melior est condicio possidentis. De usu matrimonii dubie validi cfr. pag. 128, 9°.

49. Sententia iudicis civilis de *divortio perfecto civili*, qua scl. matrimonium a baptizato valide initum (nec solutum a Papa) solutum declaratur et licentia ad novum matrimonium ineundum datur, non est res intrinsecus mala, sed ex sese indifferens, quia licet gravissima mala ex hisce sententiis fori civilis sequantur, ex sese tamen necessario solum hunc sensum habet: matrimonium contractum a potestate civili privari effectibus accidentalibus civilibus, impunitatem dari ad novas nuptias faciendas et hasce effectibus civilibus donandas fore, si iuxta leges civiles ineantur. Ideoque, nisi specialis prohibitio ecclesiae adsit, 1° iudici catholico licitum est, ferre sententiam talis divortii, modo ipse a) intentionem habeat, ut matrimonium contractum effectibus solum civilibus privetur, insuper b) firmiter credat, forum civile incompetens esse tractandi

causas matrimoniales christianorum et c) coniugem aliosque moneat de sensu sententiae suae (ad scandalum cavendum): quia cooperatio materialis ad malum gravissimum ex causa gravissima licita est, sed haec in iudice catholico adest. Cfr. pag. 420, n. 117. 2° Coniugi catholico: a) ex eadem ratione licet a iudice civili petere divortium perfectum civile, dummodo α) non habeat intentionem novum matrimonium ineundi, sed tantum obtinendi, ut eius matrimonium contractum effectibus civilibus privetur, nisi forte ab ecclesia eius matrimonium declaratum fuerit ut invalidum, vel obtinuerit a Papa dispensationem in matrimonio rato, nondum consummato; β) iam obtinuerit ab ecclesia licentiam ad perpetuum divortium imperfectum seu ad instituendam separationem perpetuam a communi toro et mensa (respect. declarationem nullitatis aut solutionem matrimonii rati non consummati); γ) causam gravem habeat ad petendum divortium perfectum civile, scl. absque divortio tali malum aliquod grave alio modo evitare non possit. b) Secus non licet. 3° Advocato catholico: a) licet causam divortii perfecti in foro civili defendere, quando coniux licite tale divortium petit (scl. in casu sub 2° a), quia rem licitam licet etiam defendere; b) secus ei non licet, nisi ad evitandum damnum vere notabile, quia cooperatio etiam materialis tantum ad malum gravissimum solum ex causa gravissima licita est.

DE INDULGENTIIS.

1. **Indulgentia:** Quid est? R. est remissio poenae temporalis Deo debitae pro peccatis quoad culpam iam remissis ab ecclesia extra sacramentum concessa, per applicationem satisfactionum Christi et

Sanctorum (quarum nondum usus fuit), vivis per modum absolutionis (seu solutionis ex thesauro ecclesiae), defunctis per modum suffragii seu petitionis ad Deum.

2. **Divisio:** indulgentiae dividuntur in personales, reales et locales, in plenarias et partiales.

Personales, reales et locales: prouti immediate personae sive physicae sive morali aut rei aut loco pio vel rei in certo loco positae affixae sunt.

Plenaria: qua omnes poenae temporales remittuntur, quae sive in hac sive in altera vita luendae essent, supposita immunitate ab omni culpa etiam veniali et etiam adhaesionis voluntariae ad ullum peccatum, etsi veniale tantum.

Partialis: qua immediate pars poenae canonicae et consequenter mediate tantum poenae temporalis Deo debitae remittitur, quantum a Deo remitteretur, si poena canonica remissa perageretur.

Quadragena: qua tantum poenae temporalis Deo debitae remittitur, quantum a Deo remitteretur, si quis per totam quadragesimam in solo pane et aqua ieiunaret.

Indulgentia septem annorum et totidem quadragenarum: qua tantum poenae temporalis Deo debitae remittitur, quantum a Deo remitteretur, si quis per 7 annos poeniteret secundum antiquos canones poenitentiales et insuper per 7 quadragesimas in solo pane et aqua ieiunaret.

3. **Indulgentia in forma ecclesiae consueta:** est indulgentia, ad quam valide lucrandam praeter intentionem saltem habitualem implicitam, statum gratiae et opus praescriptum nihil aliud requiritur.

Indulgentia sub consuetis condicionibus: est indulgentia plenaria, ad quam valide lucrandam praeter 1° statum gratiae et 2° intentionem saltem habitualem implicitam

requiritur 3° confessio (pro iis, qui laudabilem consuetudinem habent, quotidie communicandi, sufficit confessio menstrua) et communio; 4° recitatio precum ad intentionem Papae.

4. **Facultas certis rebus applicandi indulgentias in forma ecclesiae consueta:** est facultas, rei annectendi indulgentiam sub silentio, formando crucem super rem cum intentione annectendi indulgentiam. Omnis talis facultas, obtenta post 1. Nov. 1908, ut valide exerceri possit, S. Officio proponenda est, ut ab eo recognoscatur, exceptis facultatibus datis a S. Cong. de Propag. fide subditis suis et illis, quae ab Ordine aliquo religioso concessae sunt. Idem valet de omnibus indulgentiis.

Facultas applicandi indulgentias data cum clausula: „de consensu ordinarii loci:" significat 1° validam applicationem fieri solum a sacerdote ad confessiones excipiendas ab episcopo loci approbato; 2° eam licite fieri posse solum cum consensu saltem rationabiliter praesumto episcopi loci.

5. **Celebriores quaedam indulgentiae plenariae:**

a) **Toties quoties:** i. e. toties in die (scl. a meridie diei festum praecedentis usque ad mediam noctem diem festum concludentem) lucranda, quoties quis ecclesiam praescriptam ingreditur et preces recitat (5 vel 6 Pater et Ave et Credo). Sunt 4: 1° Portiuncula (2. Aug.), 2° die festo Rosarii (1ª dom. Oct.), 3° die festo B. M. V. de monte Carmelo (16. Iul.), 4° die festo 7 Dolor. B. M. V. (3ª dom. Sept.)

b) **Viae crucis:** absque confessione et communione.

c) **Altaris privilegiati:** est indulgentia plenaria animae illius defuncti applicanda, pro quo missa offertur (de Requiem, si per rubricas licet; si per rubricas

non licet, oratio pro defuncto sumenda est: in feriis Quadragesimae, 4 Temporum, fer. 2ª rogationum et vigiliis, nisi occurrat festum duplex; ita erit inde a 1. Jan. 1913).

Quotuplex est? R. duplex: locale et personale, prout vel certo altari hoc privilegium annexum est vel sacerdos illud ad personam obtinuit, ita ut, ubicunque celebret, eo uti possit.

d) **Altaris Gregoriani:** est indulgentia plenaria, quae animae illius defuncti applicatur, pro quo in altari S. Gregorii Papae in ecclesia huius Sancti, Romae in monte Coelio, missa offertur et pro cuius acceptatione ex parte Dei specialiter intercedunt S. Gregorius et ecclesia, ut anima statim e purgatorio liberetur.

Altaris Gregoriani ad instar: si privilegium altaris S. Gregorii cuicunque alteri altari a S. Sede annectitur.

e) **In articulo mortis:** quam homo lucratur in ipso instanti mortis suae.

Tituli: ex quibus obtinetur indulgentia plenaria in articulo mortis. Quot sunt? R. 4 personales et unus generalis.

Personales: ita ut applicatio indulgentiae per sacerdotem non requiratur: 1° certa pia exercitia per vitam continuata; 2° quaedam res sacrae benedictione papali i. e. indulgentia plenaria a Papa ditatae, et quam moriens secum habet; 3° si quis sodalis confraternitatis est vel scapulare ab ecclesia approbatum portat (vel certum numisma, simplici cruce manu formata benedictum a sacerdote, qui facultatem habet scapulare, cuius locum numisma tenet, benedicendi eoque induendi, excepto scapulari III. ordinis S. Francisci); 4° benedictio Apostolica seu papalis, quae est speciale privilegium alicui personae vel etiam eius consanguineis datum, quo Papa eis indulgentiam plenariam pro articulo mortis concedit.

Generalis: absolutio generalis; haec est facultas a Benedicto XIV° omnibus episcopis data moribundis dandi indulgentiam plenariam pro instanti mortis et hanc facultatem sacerdotibus dioecesanis subdelegandi.

f) **Iubilaei:** est sollemnis indulgentia plenaria a Papa concessa cum facultatibus annexis pro omnibus confessariis approbatis (scl. 1° absolvendi etiam viros regulares, 2° absolvendi ab omnibus peccatis et censuris Papae etiam speciali modo vel episcopo reservatis; 3° dispensandi in irregularitate occulta ex violatione censurae contracta, 4° commutandi vota etiam reservata et iurata; 5° commutandi ex iusta causa opera praescripta, exceptis confessione, communione et precibus ad intentionem Papae. Hae facultates valide exerceri possunt solum in actu confessionis, institutae cum animo indulgentiam iubilaei lucrandi et semel tantum pro eodem poenitente (excepta facultate sub 5° posita). Cfr. pag. 411, n. 56.

Quotuplex? R. duplex: iubilaeum maius: quod quovis anno 25° recurrit, et minus: quod in quibusdam maioribus sollemnitatibus vel in singularibus ecclesiae necessitatibus conceditur et in quo etiam ieunium indicitur et eleemosyna praescribitur solvenda.

6. **Missionarius:** Quotuplex est? R. est duplex: simplex et Apostolicus; distinguitur etiam missionarius pro missione externa et pro missione interna.

Pro missione externa et interna: pronti laborat in regionibus infidelium vel destinatus est ad exercitia spiritualia danda fidelibus in nostris regionibus.

Apostolicus: qui a S. Sede titulo missionarii et specialibus privilegiis pontificiis donatus est.

APPENDICES.

I.

CATALOGUS PECCATORUM

ordinariorum, de quibus poenitens in confessione generali interrogandus est quoad ea, quae probabiliter commisit.

I. De peccatis contra fidem, spem, caritatem Dei et religionem.

a) Dubitasti serio de aliqua veritate *fidei*? — Negasti veritatem fidei?

b) *Desperasti* de salute tua?

c) *Murmurasti* contra Deum eiusque ordinationes? — (si affirmat) Habuisti voluntarie cogitationes *blasphemas* de Deo?

d) Locutusne es impie contra Deum vel ecclesiam vel sacerdotes? — Legisti pravos *libros* vel diaria (liberalia, socialistica, impia)? tradidisti aliis? putasti, te ideo excommunicari? (si affirmat) quosnam legisti? — Peregisti res *superstitiosas*, scienter, serio et cum firma fide? (si affirmat) spiritismum? — Suscepisti scienter sacramentum aliquod *indigne*?

II. *Blasphemasti* graviter? coram filiis? — *Iurasti* scienter falsum? in iudicio? in damnum grave proximi? — Fecisti *votum* aliquod in re gravioris momenti et non implevisti, quamvis potuisses?

III. a) Omisisti die praecepto culpabiliter *missam* vel magnam eius partem? (e. g. ab initio usque ad offertorium inclusive). — Fecisti vel aliis imposuisti sine necessitate gravem *laborem* corporalem diuturniorem? — Omisisti scienter et culpabiliter praeceptum *paschale*.

b) Manducasti scienter die abstinentiae *carnem*? — fregisti diebus *ieiunii* praeceptum de unica plena refectione, quamvis servare potuisses sine graviore incommodo?

IV. a) *Filius*: Fuisti *inoboediens* in re gravis momenti erga strictum praeceptum parentum? (e. g. nocte commorando extra domum aut personas vel domos frequentando). — *Contristasti* eos graviter? dixisti contra eos verba graviter *contumeliosa*? percussisti eos? grave malum serio eis optasti? *mortem*?

b) *famulus*: Neglexisti graviter *servitium* tuum? — intulisti domino *damnum* grave? defraudasti eum *summa* gravi?

c) *Parentes*: Dedisti grave *scandalum* filiis, verbis vel facto? — Neglexisti graviter *vigilantiam* (scl. ut filii orent, ecclesiam adeant, sacramenta suscipiant, ne malos libros legant, malos socios habeant vel familiaritatem illicitam foveant)? — Permisisti grave *scandalum* in familia inter filios vel famulos? Omisisti curam religionis vel bonorum morum *famulorum*?

d) *Coniux*: Negasti sine iusta causa *debitum coniugale* comparti serio petenti? — Peregistis recte *actum coniugalem*? (si negat) impedisti conceptionem? — Num de industria *abortum* fecisti? — Commisisti *adulterium*? opere? — corde? — Reddidisti comparti vitam graviter *molestam* continuis rixis vel conviciis? — *Offendisti* eam graviter? — Fuisti *inoboediens* marito in re gravis momenti quoad administrationem rei domesticae? — Damnificasti graviter *bona* familiae vel uxoris?

V. a) Habuisti cum aliquo *inimicitiam*? (retinuisti rancorem, iram, odium personae in corde? — optasti ei serio magnum malum? — es gavisus de grandi malo, quod ei accidit? — denegasti reconciliationem inimico eam petenti? — denegasti ei per longius tempus signa communia caritatis, e. g. eum non resalutando? quamdiu duravit inimicitia?)

b) *Offendisti* aliquem graviter? — *percussisti* graviter? — *vulnerasti*? — habuisti *duellum*?

c) *Nocuisti* notabiliter de industria vel sine necessitate sanitati vel vitae tuae? — Optasti tibi *mortem* ex taedio vitae? cogitasti de morte tibi inferenda?

d) *Inebriasti* te perfecte? (scivisti postea, quid feceris et dixeris?) — offendisti vel damnificasti graviter familiam per ebrietatem?

VII. et X.

Fecisti *furtum* in summa gravi? Restituisti ablatum? — Intulisti grave damnum alteri in aliquo *contractu*? — *Damnificasti* graviter bona proximi, laedendo vel destruendo ea? Reparasti iam damnum illatum? Cfr. pag. 163, n. 58.

VIII. Revelasti sine iusta causa *occultos defectus* notabiles proximi aliis eos ignorantibus? — Narrasti scienter falsos defectus graves proximi? in grave damnum eius in bonis fortunae? Revocasti calumniam? — Laesisti *secretum* proximi, tibi ab eo commissum in re gravi? Revelasti pluribus?

VI. et IX.

1. Peccasti *opere* contra castitatem?

Si respondet: *non*.

Quaeruntur: **Peccata imperfecta:**

α) fovisti voluntarie *cogitationes* valde inhonestas? saepe? omni die? pluries omni die?

β) *desiderasti* impura? videre? facere? quid? cum altero sexu? cum persona consanguinea? coniugata? Deo sacra? — pluries in hebdomada? in die? — a quanam aetate inceperunt haec desideria, quanto tempore duravit haec consuetudo? — desiderasti

cum persona eiusdem sexus aliquid impurum facere? tangere? plus?

γ) *Aspexisti* consulto valde inhonesta in aliis (non infantibus) serio et diutius? ex affectu libidinoso? — quoties?

δ) Habuisti *sermones* graviter inhonestos? coram pueris? Audisti libenter tales sermones? saepe?

ε) Numquid in *pueritia* tua impudica consulto aspexisti? fecisti? tecum? cum aliis? cum fratre vel sorore? esne haec confessus? quomodo dixisti confessario? putasti, ita sufficere?

Si respondet ad 1 (opere): *utique:*

Interrogatur **2.**: Peccasti *cum alio?*

Si respondet: *non,*

Quaeruntur: **Peccata solitaria operis:**

α) *polluisti* te? ex consuetudine? quando incepit? quamdiu duravit? hoc tempore omni hebdomada pluries te polluisti? omni die? aliquoties in die? — Habuisti in pollutionibus simul mala desideria? semper? Alia ut supra β.

β) Excitasti in te de industria motus et *sensus impuros*? omni die? (quando incepit haec consuetudo peccandi, etc.;) consensisti in motus et sensus impuros, qui sponte orti sunt? semper? omni die pluries?

γ) legisti *libros* valde turpes? habes eos adhuc? imagines obscoenas? — Frequentasti *choreas* vel *theatra* inhonesta? sine necessitate? peccasti complurics et graviter in eis (desideriis, tactibus, sermonibus)?

δ) peccasti cum aliquo *animali?* tangendo? fecisti plus? quoties? Esne confessus hoc peccatum? putasti, eius omissionem esse mortalem?

ε) nunc peccata *imperfecta* ut supra sub 1, α—ε.

Si ad 2 (opere cum alio) respondet: *utique*,

interrogatur **3.: cum altero sexu?**

Si respondet: *utique*,

α) estne *totum peccatum* factum? (ut in matrimonio? vel ita: tactus? plus?) — Esne (estne) *gravida* facta? potuisses? scisne, cur non? si dicit: scio: Procurasti de industria *abortum*? cum effectu? Cfr. pag. 427, B 3°.

β) erat illa persona consanguinea? coniugata? Deo sacrata?

γ) Saepe? semper cum eadem persona? quandonam incepit haec consuetudo peccandi? quamdiu duravit? quoties in hebdomada? in mense? — Habuisti *familiaritatem?* habes adhuc? sciunt parentes? visne et potes personam illam in matrimonium ducere? quandonam? consentient parentes?

δ) Numquid praeterea illam vel aliam personam alterius sexus valde turpiter *tetigisti? osculasti?* passa (passus) es libere in te talia oscula vel tactus? saepe? omni die? pluries in hebdomada? in mense? — eratne illa persona consanguinea? coniugata? sacra? (esne sollicitata a confessario in confessione?)

ε) peccasti etiam tecumipso *solitarie*? Si affirmat, fiunt interrogationes sub 2, *α*—*δ*.

ζ) peccata *imperfecta* sub 1.

Si ad 3. (cum altero sexu) respondet: **cum persona eiusdem sexus,**

α) per *tactus* valde turpes? usque ad *pollutionem?* num *plus* (peius) fecisti, quam cum sola manu? saepe? ex consuetudine? quando incepit? quamdiu duravit? quoties peccasti hoc tempore in die? hebdomada? mense? — eratne illa persona consanguinea? coniugata?

β) peccata cum *altero sexu*,
γ) peccata *solitaria*,
δ) peccata *imperfecta*.
} sub 3, 2, 1.

II.

SPECULUM CANONICUM PAROCHI.

(Desumtum ex ordine servando ab episcopis in relatione status dioeceseos, sec. decretum S. Cong. Consist. 31 XII 1909, valde utile pro exercitiis spiritualibus.)

1.

DE FIDE ET CULTU DIVINO.

1. Utrum ecclesia satis instructa sit iis, quae ad fabricam ac *supellectilem* pertinent; et quaenam generatim cura habeatur, ut eadem munda sint et decenter ornata?

2. Utrum in singulis ecclesiis *inventarium* omnium bonorum et supellectilium habeatur et quomodo custodiatur, ne morte rectoris aut alio quolibet eventu contingat, ut aliquid subtrahatur aut disperdatur?

3. Utrum in ecclesia res vel supellectiles habeantur materia, arte, antiquitate *pretiosae*, praesertim codices vel libri, picturae, sculpturae, opera musiva arte vel antiquitate insignia? quomodo custodiantur? sintne haec recensita in inventariis? Cautumne sit, ne quid etiam tenue, sed ratione materiae, artis vel antiquitatis pretiosum, sine licentia S. Sedis et iudicio peritorum venumdetur?

4. Utrum singulis diebus, mane et vespere, horis opportunioribus, *ecclesia pateat* fidelibus?

   Utrum debita vigilantia *custodiatur*, ne sacrilegiis, profanationibus aliisve damnis obnoxia sit?

5. Utrum, dum sacra peraguntur, ita omnibus fidelibus pateant, ut quilibet vel pauperrimus absque gravamine vel rubore *libere ingredi* ibique adstare valeat?

6. Utrum aliquando ecclesia vel sacellum adhibeatur ad aliquem *profanum usum*, ad academicos coetus, musicos concentus, aliaque id genus?

7. Utrum in ecclesia et sacello, in quibus SS^ma^ Eucharistia asservari debet vel potest, condiciones a iure requisitae ad conservationem SS^mi^ Sacramenti accurate serventur: et an cura sit, ut *altare SS^mi^ Sacramenti* cultu, munditie et ornatu emineat?

8. Utrum *poenitentiae tribunalia* collocata sint in patenti ecclesiae loco et cratibus instructa iuxta canonicas leges?

9. Quomodo custodiantur sacrae *reliquiae* in ecclesia vel sacello? Utrum ibidem adsint reliquiae sigillo vel documento authenticitatis destitutae vel plane suspectae? Et an idcirco in visitatione Ordinarius aliquid decreverit?

10. Utrum in cultu divino, sanctorum veneratione, administratione sacramentorum, aliisque sacris functionibus *liturgicae leges* serventur?
Speciatim vero, utrum lingua et *cantus liturgicus* iuxta S. Sedis decreta adhibeantur?

11. Utrum graves *errores* contra fidem serpant inter fideles? Adsintne e clero, qui eisdem infecti sint? Quaenam huius mali fuerit vel adhuc sit causa? Quid fiat, ut eidem malo occurratur?

2.

DE PAROCHO IPSO.

a) *De eius vita et honestate.*

1. Quinam sint eius *mores*, qui cultus ac doctrina, quod studium aeternae salutis proximorum, quae pietas: quaenam erga suum Ordinarium Summumque Pontificem oboe-

dientia et reverentia: quaenam inter sacerdotes concordia, coniunctio, caritas?

2. An in quolibet casu *habitu proprio* et decenti induatur, nec det hac in re scandala vel dicteria?
3. Utrum in *missae celebratione* praeparationem et gratiarum actionem debite peragat: an serotinae *visitationi SSmi Sacramenti* assuetus sit: qua frequentia ad poenitentiae sacramentum accedere soleat?
4. Utrum ad spirituales *exercitationes* statis temporibus veniat?
5. Utrum intersit collationibus seu *conferentiis* ecclesiasticis: qua frequentia, quo fructu?
6. Utrum *emolumenta*, quae occasione administrationis sacramentorum, funerum, celebrationis missarum sollemnium, attestationum, publicationum percipere solet, recognita sint ab Ordinario vel diuturno usu probata?
   Et an sive ob gravitatem parochialium taxarum, sive ob rigorem exactionis earundem, inconvenientia aliqua et querelae, praesertim in re matrimoniali (concubinatus) et in funeribus deploranda sint?
7. Utrum habeat *domum canonicam*; et an ibi cum parocho eius adiutores una vivant? Et si ita non sit, an et quod studium habeatur, ut hoc regimen inducatur?
8. Utrum et qua observantia caveatur, ne quolibet sub praetextu, etiam ratione servitii, *iuniores mulieres* (etiam consanguineae, si cum parocho adiutores simul vivant) parochiales domus inhabitent aut frequentent: et an cura sit, ne in parochialibus aedibus familiae consanguineorum parochi cum filiis et nepotibus degant?
9. Quae eius cura sit de *iunioribus sacerdotibus* adiutoribus, ut studia non deserant et pietate adhuc proficiant? Utrum aliquis eorum rebus politicis et factionibus civilibus immodice et indebite se immisceat, cum offensione aliorum et spiritualis mi-

nisterii detrimento: et quid factum sit, aut fieri possit, ut intra iustos limites contineatur?

10. Utrum, quod Deus avertat, *vitam minus honestam* agat aut agere publice videatur vel ei imputetur aliquod crimen?
Caveatne nedum a *libris*, sed etiam a diariis irreligiosis vel impiis legendis, nisi gravis et legitima causa intercedat?
Nullane habeatur violatio legis de observandis et vitandis *in satisfactione missarum manualium*?

b) *De administratione parochiae.*

1. Si *bonis immobilibus* parochus eiusque ecclesia fruantur, quomodo administratio geratur, et quomodo caveatur pro conservatione patrimonii sacri alterutrius vel utriusque?
2. Utrum *libri parochiales* adsint, et ibi iuxta canonicas praescriptiones adnotentur, quae pertinent ad baptismum, matrimonium ac mortem fidelium?
Speciatim circa matrimonium, an novissima lex servetur, qua iubetur de peracto matrimonio inscriptionem fieri in baptizatorum libro ad singulorum nomen?
An habeantur quoque libri confirmatorum et status animarum, itemque tabellae seu libri missarum fundatarum et manualium, iique diligenter redigantur ac serventur?
3. Utrum adsit *tabularium* aliquod, illudque in duas partes, publicam et secretam, divisum, et utrumque naviter custoditum?
4. Utrum ipse eiusque adiutores debitam *residentiam* servent?
5. Utrum *diebus festis* missam pro populo applicet, sacrasque functiones ad diei festi sanctificationem proprias cum zelo et fructu celebret: potissimum vero, an evangelium explicet, et catechesim tam pueris quam adultis tradat, qua methodo, quo fructu? An sit hisce in rebus negligens?

6. Utrum *in audiendis confessionibus, sacra Eucharistia distribuenda, infirmorum assistentia* semper praesto sit, nihilque inconveniens, vel nulla querela hac de re habeatur?
7. Utrum, nisi gravis et legitima causa in aliquo speciali casu obstet, baptismum administret et matrimonio assistat in ecclesia, servatis *sollemnitatibus* a Rituali Romano praescriptis?
8. Quomodo se gerat erga fideles, qui *sectis secretis* notorie addicti, vel alia quavis de causa extra sinum Ecclesiae viventes, sacramenta in extremis deposcunt; et erga eos, qui extra Ecclesiae sinum defuncti, christiano more *sepeliri* a consanguineis velint?
9. Quaenam sit consuetudo in admittendis pueris *ad primam communionem*; et an sarta tecta servetur regula a Catechismo Concilii Tridentini tradita, ut pueri, qui sui confessarii et parentum indicio discretionis sunt capaces, a sacra mensa non prohibeantur, nec diu arceantur?
10. Utrum pro viribus curet fideles suos *in fide roborare*, ad sacramentorum frequentiam, praesertim ad S. Communionem etiam quotidianam excitare, et in christianae vitae more et puritate continere? Et ad hunc finem, praeter consueta sui officii munera:

   α) an aliquoties in anno, diebus praesertim sollemnioribus vel tempore adventus, quadragesimae vel mariani mensis, *praeconem et confessarium extraordinarium* advocet?

   β) an identidem post aliquam annorum periodum sacras *missiones* in sua parochia haberi curet?

   γ) an *pias devotiones* ab Ecclesia probatas, ut expositionem SSmi Sacramenti, viam crucis, rosarium, mensem marianum, aliaque similia in sua ecclesia celebret, et fidelibus commendet?

   δ) an studeat pueros, puellas et maioris aetatis fideles allicere, ut ad pias uniones,

patronatus, sodalitates vel *consociationes catholicas* se adscribant?

ε) an prudenter instituat vel saltem foveat *opera socialia*, quae Ecclesiae catholicae spiritu aluntur?

3.

DE MORIBUS PAROCHIANORUM.

1. Quae sit observantia legum *abstinentiae* et *ieiunii*, et *Paschalis* praecepti?
2. Quae sit *frequentia* ad sacramentalem confessionem et ad S. Communionem pro diverso personarum sexu, condicione, aetate?
3. Utrum parentes solliciti sint, ut *recens nati* saltem intra hebdomadam baptismo abluantur: an sint, qui nimium differant, aut forte negligant baptismum?
4. Utrum matrimonia mere civilia seu *concubinatus* habeantur et qua frequentia? An alii speciales vigeant abusus contra sanctitatem matrimonii?
5. Utrum usus *matrimoniorum mixtorum*, ubi sunt acatholici, invaluerit, qua frequentia, et an ex legitima venia? An condicio de universa prole in religione catholica educanda servetur? Quaenam fidei catholicae detrimenta ex his matrimoniis proveniant? An ab huiusmodi contrahendis nuptiis studeat fideles suos avertere?
6. Utrum *parentes* generatim curent filios suos non solummodo in sinu familiae sed etiam extra, et maxime in scholis, christianis moribus instituere?
7. Utrum fideles, qui graviter decumbunt, generatim *extrema sacramenta* deposcant? An, quo numero et quibusnam de causis funera civilia contingant?
8. Utrum in exercitio *iurium politicorum* et civilium curent fideles id agere, vel tales eligere, quo religioni et libertati Ecclesiae plene consulatur?

9. Utrum adsint *sectae secretae*, praesertim massonicae?
An *socialismus* aliaeque societates ab Ecclesia damnatae radicem fixerint et propagentur?
An *spiritismi* praxis habeatur?
Quid fiat, ut fideles ab his omnibus avertantur, et quo fructu?

4.

DE IUVENTUTIS INSTITUTIONE ET EDUCATIONE.

1. Utrum *scholae distinctae* iuxta sexum sint, an utrique sexui communes: quae mala inde sequantur: et quaenam remedia adhibeantur?

2. Ubi catholici cum acatholicis commixti sint, an catholici *scholam propriam primordiorum*, vulgo elementarem habeant, et quinam sit eius status?
Et si scholam propriam non habeant, et frequentare cogantur scholam publicam mixtam: an saltem catholica fides ibi non offendatur, et catholicis alumnis *iusta libertas* relinquatur, ut in fide per ecclesiasticos viros vel idoneos magistros instituantur?

3. Quod si pueri et puellae scholam publicam primordiorum adire cogantur, quae noxiae sint, quid fiat, ut iuventus *a perversione et corruptione immunis* fiat?

4. Utrum *schola media vel superior* hostiles sint, vel non, catholicis veritatibus et doctrinis?
Et si sint hostiles, quid fiat, ut adolescentes *ab erroribus et vitiis praeserventur*?
An habeatur schola media vel superior catholicis propria: et quinam sit earum status?

5. Utrum opus, quod *post-scholare* dicitur, ut recreatorium vel circulus, vel schola catechetica, vel oratorium serotinum vel

festivum, ad sanam christianae iuventutis institutionem et praeservationem habeatur: quodnam, et quo fructu?

5.

DE PIIS SODALITATIBUS ALIISQUE RELIGIOSIS CONSOCIATIONIBUS.

1. Utrum adsint *piae sodalitates* aliaeque religiosae consociationes rite institutae; an habeantur eae, quae a S. Sede potissimum commendatae sunt, ceu illae a SS^mo^ Sacramento, a Rosario, a doctrina christiana, aliaeque pro pueris et puellis in fide, pietate morumque puritate excolendis; quem fructum afferant?
2. Utrum adsint *tertiarii* in saeculo viventes, quo fructu, an saepe congregentur, et an sint exemplo fidelibus?
3. Utrum in aliqua pia sodalitate vel tertio ordine adsint, et in fratres seu sodales recipiantur, qui notorie addicti sint *sectis* ab Ecclesia damnatis, vel religioni adversi aut inhonestae vitae sint? Et quid fiat, ut hoc malum avertatur?

6.

DE PIIS LEGATIS ET ELEEMOSYNARUM COLLECTIONIBUS.

1. Utrum habeantur *pia legata* missarum, aliorumque onerum religiosorum, et an de iisdem archivum parochiale indicem habeat cum recensione onerum et indicatione redituum?
2. An fideliter et fructuose administrentur?
3. An missis legatorum aliisque obligationibus intra *praescriptum tempus* regulariter satisfiat: et si hoc nequeat fieri, an reditus praesertim missarum fundatarum Ordinario tradantur: an hac de re ad officium revo-

cari mereatur, aut revocatus iam sit, et quo fructu?

4. Utrum et quo fructu fiant *piae collectiones eleemosynarum* a S. Sede praescriptae vel commendatae pro communi bono ecclesiae, ut, pro Fidei propagatione, pro sancta infantia, pro redemtione captivorum, pro obolo S. Petri, pro Terra sancta?

5. Utrum fiant *collectiones speciales pro ipsius dioecesis necessitatibus*, ut pro fidei conservatione, pro praeservatione ab erroribus et pro sustentatione cleri, si opus sit?

6. Si religiosi vel religiosae *quaeritantes* habeantur, an tot sint numero, ut nimium gravamen fidelibus afferri videatur?

7.

DE OPERIBUS PIIS ET SOCIALIBUS.

1. Utrum in institutis caritatis catholici saltem *spirituali assistentia* frui libere possint?

2. Utrum adsint quaedam ex operibus illis, quae *socialia* dicuntur, quibus, dum consulitur bono morali et religioso fidelium, prospicitur etiam eorum temporali utilitati vel necessitati, ut asylum pro infantibus, patronatus pro iuvenibus utriusque sexus, circuli pro iuventute catholica, aut pro studiis peragendis, sociatio operariorum, agricolarum, mulierum in hunc vel alium pium finem vel mutuum subsidium, arca nummaria, aliaque similia?

3. Utrum consociationes et opera haec socialia et potissimum, qui eis praesunt, debitam in omnibus Ordinario et Summo Pontifici *reverentiam* praestent, et in iis, quae fidem, mores et iustitiae leges attingunt,

S. Sedis *directioni* et *moderationi* omnino subsint?

4. Cura ne sit, ut hisce consociationibus et operibus praeficiantur, qui non nomine tenus, sed *corde et opere catholici* sint? Et an caveatur, quatenus opus sit, ut qui hisce consociationibus et operibus adscripti sunt, aut beneficia et subsidia ab iis nanciscuntur, a vitiis recedant, in fidei doctrina instituantur, et christianam vitam ducant?
5. Utrum caveatur, ne in hisce catholicis consociationibus connumerentur *sectis secretis* adscripti, increduli, impii vel religioni adversi, qui consociationes ipsas vel earum opera a recto fidei et iustitiae tramite deducere possint?

8.

DE LIBRIS ET DIARIIS.

1. An *libri et diaria impia vel obscoena* in parochia adsint; quaenam potissimum, quali cum diffusione et detrimento?
2. Utrum strenue a catholicis agatur et praesertim a parocho et a sacerdotibus, ut libri et diaria impia vel obscoena a parochia removeantur, adhibita etiam, si fieri potest, civilis auctoritatis opera?

   An cleri et maxime confessariorum cura sit, ut libri et diaria obscoena vel impia a catholicis familiis arceantur, et a fidelibus non legantur?
3. Utrum libris et diariis noxiis alia opponantur religiosa et honesta: quot sint, quomodo diffusa, et quo fructu?

III.

SENTENTIAE PROBABILES (230) IN USUM CONFESSARIORUM.

Citationes ex S. Alphonso fiunt ex editione typica P. Leonardi Gaudé, C. SS. R. (Romae, 4 tomi, 1905—1912, Typogr. Vaticana).

I.
DE PRINCIPIIS.

1. Omnis *ignorantia* vincibilis, quae crassa non est, probabiliter leviter tantum culpabilis est.
2. Probabile est, invincibiliter ignorari posse malitiam actus *interni* (praesertim desiderii inefficacis), etsi cognita sit malitia actus externi. Sanchez, Decal. l. 1. c. 16, n. 16.
3. Interpretatio authentica comprehensiva legis praeexistentis iam promulgatae nova promulgatione probabiliter indiget, si lex obscura et dubia fuit, ideoque ante hanc non obligat.
4. Probabile est, *haereticos* et *schismaticos* non teneri illis legibus ecclesiae, quae immediate ad sanctificationem animae tendunt. Marc, Institut. mor. Alphons.[13] I. n. 198. Génicot, Cas. consc.[3] I. p. 23—24.
5. Probabile est, *vagos* non teneri ullis legibus particularibus locorum, nisi illis, quibus etiam peregrini tenentur. Laymann, Theol. mor. l. 1. tr. 4. c. 12. n. 4 et 7.
6. Leges disciplinares Sanctae Sedis nondum elapso *bimestri* post promulgationem, probabiliter neminem obligant, etsi legis notitiam habeat. S. Alphons. Theol. mor. l. I. n. 96, *q.* 2°.

7. Leges *irritantes* ecclesiasticae, in quibus irritatio in poenam statuta est, probabiliter actum non reddunt invalidum, si irritatio cognita non fuit, et haec ignorantia invincibilis vel leviter culpabilis fuit; ideoque ecclesia certo supplet, ita, ut actus valide ponatur. Sanchez, Decal. l. 1. c. 16, n. 15.

8. Lex irritans probabiliter cessat in casu gravissimi incommodi privati; ideoque ecclesia certo supplet. Ballerini-Palmieri, Opus theol. mor.[3] I. n. 318 ss.

9. Dispensatio concessa, cuius usus completus per unum actum fit, probabiliter non cessat, si causa motiva, ob quam data est, post eius concessionem, sed ante eius usum cessat, imo etiam post eius usum completum, valet pro alio actu; ideoque ecclesia certo supplet. Laymann, Theol. mor. l. 1. tr. 4. c. 22, n. 15. Noldin, Summa Theol. mor. I.[9] n. 189.

10. Ad *consuetudinem contra legem* probabiliter decennium sufficit ideoque elapso decennio lex non amplius obligat, si consuetudo non est simul praescriptio contra ius tertii, et haec longius tempus exigat. Bened. XIV. de synodo, l. 13, c. 5, n. 4; Wernz, ius decretal. I. n. 190. Noldin, I., n. 203.

11. Probabile est, remoto periculo gravis peccati se sine ulla iusta causa exponere, leve tantum peccatum esse. Ballerini-Palmieri, I. n. 692 ss., Génicot, Instit. Theol. mor.[4] II. n. 372.

12. Probabile est, silentio tolerari posse, ut moriens pro toto tempore agoniae ope *morphii* usu rationis privetur, si ad bene moriendum rite dispositus est et secus in periculo graviter peccandi versatur. Lehmkuhl, Theol. mor[10]. I. n. 743.

II.
DE PRAECEPTIS.

A.
De Fide, Spe, Caritate.

1. Probabilius est, mysteria *incarnationis* et *trinitatis* ab adultis nondum iustificatis ad iustificationem obtinendam non esse necessitate medii explicite scienda et credenda. S. Alphons. l. 2. n. 2.
2. Probabile est, non existere gravem obligationem, *pauperibus* in communi necessitate constitutis ex bonis simpliciter superfluis hinc inde succurrere. S. Thomas, Summa II. II. q. 32. a. 5. S. Antoninus, Summa theol. pr. 2. tit. 1. c. 24. § 5 v. tertio.

B.
De Religione.

3. Valde probabile est, *animas in purgatorio* tum suffragiis suis nos iuvare, tum a nobis utiliter invocari posse. Bellarminus, Suarez, Billuart, Gregor de Valentia, Gotti, Estius, Hurter, Noldin.
4. Probabile est, etiam *orationem pro alio* fusam infallibilem habere efficaciam, modo hic cum gratia accepta cooperetur. Suarez, De orat. l. 1. c. 27.
5. *Motus arboris* persicae, salicis et virgae ex corylo probabilissime viribus naturalibus magneticis vel electricis tribuendus est dummodo eius motus non dependeat ab intentione eius, qui virgam adhibet. Noldin, II⁹. n. 158.
6. Simplex *rotatio tabulae* (sine consultatione) probabilissime viribus mere naturalibus, scl. magneticis vel electricis tribuenda est. Noldin, II.⁹ n. 167.
7. Probabile est, *sacrilegia* personalia diversis modis commissa esse omnia eius-

dem speciei; idem valet de sacrilegiis realibus et localibus, ideoque in confessione sufficit dicere: indigne tractavi personam sacram, resp. rem s., locum s. S. Alphons. l. 3. n. 34. S. Thomas, II. II. q. 99, a. 3, ad 2.

8. Violatio privati *voti castitatis* probabiliter est sacrilegium stricte dictum, ideoque violatio voti etiam sollemnis castitatis in ordine emissi vel obligationis castitatis in subdiaconatu (ex religione susceptae) probabiliter non est specie diversa a violatione voti simplicis privati in saeculo emissi; hinc ex hoc capite non est necesse, in confessione aperire statum sacerdotalem vel regularem. S. Alphons. l. 3. n. 454.

9. Peccata *luxuriae* interna vel externa sine seminis effusione in loco stricte sacro commissa probabiliter non sunt gravia sacrilegia, ideoque circumstantia loci s. non debet accusari. Cfr. pag. 390, n. 28.

10. Probabile est, primam *lotionem* corporalium et purificatoriorum post sacrum usum eorum, etiam a clericis subdiacono inferioribus licite fieri posse. Lacroix, Pasqualigo, S. Alphons. l. 6. n. 387.

11. Probabile est, non esse *simoniam* (iuris divini) alteri dare munera ea intentione, ut vere obligatus sit rem spiritualem praestare in commodum proprium (scl. donatarii). S. Alphons. l. 3. n. 59. Ballerini-Palmieri, II. n. 437. Lessius, de iustit. et iure, l. 2. c. 35, n. 66 s.

12. Probabile est, *pro sacris functionibus* absque simonia (iuris divini) stipendium exigi posse, non solum titulo sustentationis, sed etiam pro labore corporali physico necessario cum eis coniuncto tamquam pretium eius. Laymann, Theol. mor., l. 4. tr. 10, c. 8, n. 42.

13. *Votum* (et iuramentum promissorium gratuitum) emissum etiam ex metu levi tantum (e. g. reverentiali) iniuste incusso ab alio homine ad extorquendum votum (resp. iuramentum), probabiliter invalidum est, ideoque ad nihil obligat. Ballerini-Palmieri, II. n. 609.

14. Probabile est, maritum *vota uxoris* directe ideoque omnia vota eius post matrimonium emissa irritare posse. S. Thomas, II. II. q. 88, a. 8, ad 3.

15. In voto (etiam iurato) principaliter in honorem Dei et secundario ac gratuito in utilitatem tertii facto et ab eo acceptato, probabiliter dispensari potest a Papa sine consensu tertii. Noldin, II. n. 236.

16. Probabile est, confessarios regulares dispensare posse in *votis reservatis* in casu urgentis necessitatis (e. g. in voto cast. perf. immediate ante matrim. detecto), item quando periculum est in mora (in voto cast. perfectae post contractum matrimonium detecto ad petendum debitum); ergo certo dispensare possunt, quia ecclesia supplet potestatem. S. Alphons. l. 3. n. 258.

17. In opus evidenter aequale *votum* probabiliter commutari potest etiam propria auctoritate. Noldin, II. n. 241.

18. Qui habet potestatem delegatam dispensandi in votis, etiam dispensare potest in iuramentis omnibus etiam voto annexis, nisi principaliter in utilitatem tertii facta et ab eo acceptata sint et hic iuri suo cedere nolit, quia hoc probabile est. S. Alphons. l. 3. n. 190. Suarez, de voto, l. 6. c. 14, n. 6. 14 et 19. Génicot, Instit. I. n. 307.

C.

De IV° praecepto.

19. Parentes divites, qui ad infamiam vitandam *infantem suum exponunt* in hospitali ex piorum largitione (non cura communitatis civilis) erecto, probabiliter non tenentur expensas sustentationis compensare. S. Alphons. l. 3. n. 656.

20. Probabile est, *famulos*, qui non specialiter ad res domini custodiendas conducti sunt, nec specialiter ad custodiam alicuius rei se obligarunt, non teneri ex iustitia ad damna domini impedienda, sive ab extraneis, sive a domesticis inferenda ideoque non tenentur ad reparanda haec damna, si ea non impedierunt. Lugo, De iust. disp. 19, n. 105 ss.

21. Probabile est, leges omnes circa tributa praestanda, tum indirecta, tum directa, non obligare in conscientia ad ea praestanda. Berardi, Praxis confess.[3] II. n. 413. Bucceroni, Casus consc.[5] n. 19. 1.

22. Probabile est, iniurias *consanguineis* in 1° gradu sive in linea recta sive collaterali illatas in bonis etiam personalibus (vita, sanitate, integritate membr., fama, honore), non specie differre ab iniuriis illatis consanguineis in aliis gradibus ideoque in confessione sufficit dicere: e. g. occidi aliquem mihi arcte coniunctum. Ballerini-Palmieri, II. n. 850 ss. Noldin, II. n. 337; collato n. 278 et 287.

D.

De V° praecepto.

23. Si dubium est, utrum id, quod mulier gerit, *foetus extra-uterinus* sit, an solus tumor, probabiliter id licet extirpare, si

secus mater in periculum vitae induceretur. Génicot, Casus consc. I. pag. 161.

24. Probabile est, *bellum* etiam offensivum esse licitum, si princeps ius probabilius ad hoc habet. Suarez, S. Alphonsus, l. 4. n. 404.

E.

De VI° praecepto.

25. Probabile est, *prostitutionem* saltem clandestinam in magnis urbibus, remoto scandalo et exceptis lupanaribus, a societate civili tolerari posse. S. Aug. et S. Thomas.

26. Probabile est, *copulam sponsi* vel sponsae cum persona extranea non superaddere peccato fornicationis grave peccatum contra iustitiam, ideoque haec circumstantia in confessione non est accusanda. S. Alphons. l. 6. n. 847.

27. Probabile est, *incestum* cum persona consanguinea non esse specie diversum ab incestu cum affine; et incestum cum persona consanguinea vel affine in gradu propinquo (S. Alphons. l. 4. n. 448), imo etiam in 1° gradu consanguinitatis lineae etiam rectae non esse specie diversum ab incestu cum persona consanguinea vel affine in gradu remotiore, ideoque sufficit dicere in confessione: commisi incestum. Suarez, de poenit. d. 22. s. 3, n. 12. Ballerini-Palmieri, II. 1016 ss. Noldin, de sexto [12] n. 22.

28. Probabile est, non esse grave *sacrilegium*, si quis in ecclesia vel oratorio publico per actum externum, graviter quidem, sed absque effusione seminis, contra castitatem peccat; S. Alphons. l. 3. n. 459 ad 462. Noldin, II. n. 178.

29. Pollutionem feminae (secretionem humoris) non esse peccatum specie diversum a simplici delectatione eius venerea, probabile est, ideoque in confessione semper sufficit dicere: sensum turpem in me excitavi. Antonelli, Medic. past. [3] I. n. 247—249, 266 ss. Noldin, de sexto, n. 30. Frassinetti, Ballerini, Génicot.
30. Probabile est, *delectationes morosas*, etiam de venereis, non esse specie diversas pro circumstantiis specie diversis obiecti, in quo quis delectatus est, ideoque in confessione sufficit dicere: in femina (vel viro) turpiter delectatus sum. Noldin, de sexto, n. 62.
31. Si post contractum matrimonium *coniuges impotentes* fiunt ad generandum, probabiliter licite uti possunt matrimonio, si potentes sunt ad coeundum, saltem modo imperfecto et cum spe probabili, ut saltem pars seminis intra vas uxoris recipiatur. Antonelli, Med. past. II[3] n. 810 ss. coll. 603 ss.
32. Uxor probabiliter non peccat graviter, si *humorem effundit*, quando vir post copulam, in qua ipse non seminavit, se retraxit. Capellmann, Med. past.[7] p. 140. Berardi, Praxis conf.[3] I. n. 993.
33. Probabilius matrimonium non consummatum fit per artificialem *fecundationem* uxoris illicitam; cfr. pag. 125, 3°. Gasparri, Tract. can. de matr.[4] II. n. 1302.
34. Uti matrimonio *ob solam voluptatem*: (generatim ponere actionem ex obiecto indifferentem, praesertim uti delectabilibus huius vitae) in hoc sensu: quod actus non apprehenditur ut illicitus et in modo utendi praescripta sanae rationis servantur, probabilissime nullum est peccatum. S. Thomas, Suarez, Mastrius, Ballerini-Palmieri, Génicot. Pesch, Noldin.

35. Usus matrimonii probabiliter licitus est, si una pars coniugum *morbo syphilitico* in mitiore gradu laborat. S. Alphons. l. 6. n. 909.
36. Probabile est, coniuges etiam non-deliberantes ingressum in religionem, ex privilegio ab ecclesia dato, primo bimestri post contractum matrimonium, quod nondum consummatum est, non teneri ad reddendum debitum coniugale. S. Alphons. l. 6. n. 958.
37. Coniugi perfecte *ebrio* (vel amenti) altera pars probabiliter non tenetur reddere debitum coniugale, etsi ille sit in periculo incontinentiae. S. Alphons. l. 6. n. 948. Ballerini-Palmieri, VI. n. 407 ss.
38. Actus coniugum mutui *enormiter obscoeni*, exerciti sine proximo periculo pollutionis viri, probabiliter solum levia peccata sunt. Sanchez, Filliuci, Ballerini, Berardi, etc.
39. Actus turpes coniugum *solitarii* ad capiendam delectationem veneream, sine proximo periculo pollutionis exerciti, probabiliter non sunt peccata gravia. Sanchez, de sacr. mat. l. 9. disp. 44. n. 16., Noldin de sexto, n. 95.
40. Si matrimonium in forma ecclesiae et in bona fide initum certo *invalidum* est et una pars nullitatem eius scit suumque consensum renovat, nec tamen compartem, ut etiam ipsa consensum renovare valeat, de ea monere potest sine gravissimo incommodo nec abstinere a reddendo debito coniugali, matrimonium probabiliter ex nunc fit validum, quia ecclesia supplet ideoque pars conscia invaliditatis matrimonii reddere potest debitum coniugale, dummodo matrimonium invalidum sit propter impedimentum iuris ecclesiastici tantum, idque occultum et dispensabile. Ballerini-Palmieri, VI. n. 532 s. Lehmkuhl, Theol. mor. II. n. 826. Noldin, de sexto n. 97; Summa theol.

mor. III.[9] n. 656. Cfr. supra pag. 385, n. 8 et infra pag. 420, n. 116.

41. Coniux *incestuosus* probabiliter licite petere potest debitum coniugale, si legem ecclesiae, quae eum iure petendi privat, ignoravit, ignorantia invincibili vel leviter culpabili, aut si copulam incestuosam ex metu gravi praestitit; cfr. supra pag. 385, n. 7 et infra pag. 418, n. 108.

42. Coniux *adulter* ius exigendi debitum coniugale probabiliter tunc demum amittit, quando compars adulterium certo cognovit et redditionem debiti coniugalis recusat. Sanchez, l. 1. disp. 68, n. 2 ss. Lehmkuhl, Theol. mor. II. n. 846.

43. Si uxor et maritus mutuo consensu *abstinentiam* ab usu matrimonii voverunt, probabiliter sibi invicem votum indirecte irritare possunt, nisi expresse iuri irritandi renuntiaverint. Noldin, de sexto, n. 101.

F.

De VII° praecepto.

44. Probabile est, *testamenta, legata*, etc. et *donationes* inter vivos ad causas profanas sine formalitatibus a lege civili praescriptis condita, ante sententiam iudicis in foro conscientiae valida esse; ideoque ante eam haeres non tenetur solvere legata, neque legatarius legatum ei traditum reddere tenetur. Marres, de iust.[2] I. n. 367 s. Delama, Tract. de iust. et iure,[3] n. 95. Noldin, II. 561. et multi alii.

45. Probabile est, clericos etiam in *bona beneficialia* superflua verum dominium perfectum habere etsi onere gravatum, ea in usus pios expendendi; iterum probabile est, hanc obligationem non esse obligationem iustitiae, sed religionis tantum; ergo neque clericus ea restituere debet, si ea male expendit, neque donatarius vel legatarius vel haeres, si ea accepit. S. Thomas, Sum-

ma, II. II. q. 185, a. 7. Quodl. 6. a. 12, ad 3. S. Alphons. l. 3., n. 492, coll. q. ref. q. X. Lehmkuhl, Theol. mor. I. n. 900.

46. Probabile est, legem civilem, quae emtionem-venditionem *animalis capti* in loco aperto, in quo alius ius exclusivum venandi vel piscandi habet, irritam esse statuit, ante sententiam iudicis non obligare in conscientia ad animal restituendum.

47. *Praescriptiones liberativae* etiam activae, brevis temporis (scl. elapso triennio) probabiliter in conscientia valent, modo adsit bona fides; ideoque talia debita elapso hoc tempore solvi non debent. Gury-Ferreres, Cas. consc.[2] I. n. 540—543.

48. Probabile est, *damnificatorem*, qui damnum intulit cum culpa ex imperfectione actus levi seu cum semiplena deliberatione, ad nihil teneri. Lugo, de iure et iust. disp. 8, n. 56. S. Alphons. l. 3. n. 552.

49. Si lex civilis statuit illum, qui bona fide emit *rem alienam*, eam domino reddere non debere, nisi hic eius pretium solvat, probabiliter huic legi in conscientia stari potest, ideoque hic possessor bonae fidei non tenetur eam reddere, si dominus pretium non solvit. Noldin, II. n. 438.

50. Si quis *rem alienam* in bona fide ab alio gratuito accepit et alteri vendidit et res apud hunc periit, pretium rei probabiliter retinere potest. Bucceroni, Instit. theol. mor. I. n. 1341. Génicot, Instit. theol. mor. I. n. 525. Gury-Ferreres,[2] I. n. 609.

51. Legi civili, quae omnes *fructus* perceptos ex re aliena possessori bonae fidei tribuit, probabiliter in conscientia stari potest. Noldin, II. n. 441. Gury-Ferreres, I. n. 600.

52. Si *res aliena* apud possessorem malae fidei casu infortunii vel ex vitio interno

periit et saltem eodem tempore etiam apud dominum periisset, etsi ex alia causa, possessor malae fidei probabiliter ad nihil tenetur. Lacroix l. 3. pr. 2, n. 218. D'Annibale, Summula theol. mor.[5] II. n. 420, S. Alphons. l. 3, n. 620.

53. Qui cum dubia fide *rem alienam* a possessore bonae fidei accepit, probabiliter ad nihil tenetur, si dubium adhibita morali diligentia solvi non potest. Lugo, de iustit. disp. 17, n. 83.

54. Probabile est, etiam in *concursu speciali* digniorem non habere ius ex iustitia commutativa ad beneficium, resp. officium, praemium, etc. ideoque Superior minus digno illud conferens non tenetur ad restitutionem erga digniorem.

55. Saltem externe probabile est, non teneri ad restitutionem, qui cum plena advertentia quidem damnum alteri intulit, sed in huius persona *invincibiliter* (physice) antecedenter *erravit*. Lugo, de iustit. disp. 17, n. 77 ss. Alphons. l. 4. n. 629. D'Annibale, II. n. 232. Génicot, Instit. theol. mor. I. n. 522.

56. Qui malum *consilium impulsivum et vestitum*, quod alteri dedit ad iniustitiam committendam, aeque efficacibus motivis retractavit, probabiliter ad nihil amplius tenetur. Ballerini-Palmieri, III. n. 362.

57. Probabile est, *non ad totum damnum* reparandum, sed solum ad partem damni restituendam illum teneri, cuius actio physica cooperans per se sola iam suffecisset quidem ad totum damnum inferendum, quae tamen non fuit necessaria, sed sine qua nihilominus totum damnum fuisset illatum, modo damnificatio facta non sit ex mutua conspiratione. Noldin, II. n. 499.

58. Probabile est, illum, qui *pauperibus* restituere potest vel debet, sibi ipsi resti-

tuere posse, si ipse pauper est. Lessius, de iustit., l. 2, c. 14, n. 41. Lugo, de iustit. disp. 6, n. 148.

59. Debitor, qui pecuniam restituendam *confessario* dedit, ut hic domino eam tradat, probabiliter ad nihil amplius tenetur, si apud confessarium casu vel culpa tertii periit. Lessius, Sporer, Tamburini, Frassinetti, Lehmkuhl, Noldin, II. n. 511.

60. Probabile est, *contractum*, quem unus alteri praesens vel per literas *obtulit*, tunc demum accipere valorem ideoque obligare, quando offerenti acceptatio alterius nota fit, nisi contrahentes vel lex civilis aliud expresse statuerint. Lugo, de iust. disp. 22, n. 26 s. Marres, de iust.[2] l. 3, n. 53 s. Vermeersch, quaest. de iust.[2] n. 316 ss.

61. *Donatio et promissio gratuita* probabiliter invalidae sunt, si factae sunt ex errore antecedenti, etsi accidentali tantum aut ex metu antecedenti iniuste incusso ab altero contrahente (vel a tertio cum praevio consensu alterius contrahentis) in ordine ad contractum extorquendum. Dicastillo, Lugo, de iust. disp. 22, n. 133 ss. Reutter, Theol. mor. pars III.

62. Probabile est, *haeredem* non teneri, ne post iudicis sententiam quidem, debita et legata defuncti solvere ultra vires haereditatis, etsi eam pure et simpliciter i. e. sine inventario acceptavit. Cfr. Bucceroni, Cas. consc.[5] n. 17. 1. S. Alphons., Homo apost. tr. 2. n. 20. Noldin, II. n. 555.

63. Probabile est, non esse *negotiationem* stricte dictam (per alium exercitam) emere actiones societatis etiam stricte negotiatoriae seu commercialis, sive iam constitutae, sive constituendae, si non emuntur ad id, ut iterum maiore pretio vendantur, sed solum ad acquirendum lucrum annuum.

Icard, Prael. iuris can. n. 356. Sanguinetti, Iur. eccl. inst. n. 220. Aichner, Comp. iur. eccl. § 73, nota. Aertnys, Palmieri, Génicot, Inst. theol. mor. II. n. 41. Gury-Ferreres, Cas. consc.[2] II. n. 61. Zitelli, Appar. iur. eccl. l. 1. tit. 2. c. 6. a. 1. d. 2. Laurentius, Institi. iur. eccl.[3] n. 116.

64. Probabile est, pro re, ex qua *emtor* specialem utilitatem vel voluptatem habet, quin ea indigeat, exigi posse pretium ultra summum pretium vulgare. Gousset, Schwane, Die theol. Lehre über d. Verträge[3], Marres, Waffelaert, Tract. theol. de virt. cardin. tr. II., Génicot.

65. Probabile est, in *licitatione* quemlibet ficte licitari posse, si hoc fit cum vero periculo, ne ultimus sit et sic rem emere debeat. Göpfert, Ephemer. lincens. 1891, pag. 113. Aertnys, Niglutsch; item dominum rei in licitatione iudiciali saltem coacta fictos licitatores subornare posse: Göpfert, l. c., Niglutsch, l. c. et 1893, pag. 654 Delama, tract. de iust. et iure, n. 248. Item quilibet emtor probabiliter cum aliis pacisci potest, ut a licitatione vel pretio augendo abstineant. Lehmkuhl, Theol. mor. I. n. 1122, Ballerini-Palmieri, III. n. 771.

66. Probabile est, *ludum* esse iniustum, in quo una vice magna summa pecuniae exponitur ideoque victus non tenetur solvere, saltem non totum. S. Francisc. Sal., Gousset, Gury, Comp. theol. mor. I. n. 949; cfr. Ballerini-Palmieri, III. n. 906.

G.

De VIII° praecepto.

67. Unico viro prudenti, qui rem non ulterius divulgaturus est, verum delictum proximi, eum *graviter infamans* nar-

rare, probabiliter non est grave peccatum, dummodo hic vir non ille sit, cui delinquens prae ceteris crimen velit celare. S. Thomas, Navarro, Bonacina, Tamburini.

68. *Detractiones* in materiis specie diversis probabilius non differunt specie ideoque in confessione declarari non debent. Noldin, II. n. 648.

69. Probabile est, non esse peccatum contra iustitiam ignorantibus *revelare crimen* absolute quidem, sed solo facto publicum, etiam in alio loco, in quem eius notitia nondum pervenit nec brevi perventura est, et quamvis in loco, in quo factum est, oblivione deletum et emendatum sit, dummodo notorietas facti fundetur in eo, quod factum sit publice patratum, non tantum in fama publica, et alii ex modo, quo rem narrat, non occasionem sumant, iudicandi, eum etiamnum improbum esse. Lessius, de iust. l. 2. c. 11, n. 82.

70. De alio grave crimen *temerarie* solum suspicari vel opinari vel de eo dubitare, probabiliter non est grave peccatum. S Thomas, Summa II. II. q. 60, a. 3.

H.

De Praeceptis ecclesiae.

71. Mulier praegnans, quae magna carnis appetentia laborat, probabiliter die prohibito aliquid *carnis* comedere potest hinc inde, etsi non sit debilis. Lehmkuhl, Theol. mor., I. n. 1208.

72. Die *ieiunii* unicam plenam refectionem ultra horam sine causa anticipare ante consuetam horam prandii, probabiliter non est grave peccatum. Ballerini-Palmieri, II. n. 1118, Laymann, Lessius, Sporer, Holzmann, Elbel.

73. Annus pro praecepta *confessione annua* probabiliter computari potest a ianuario ad ianuarium. Lugo, de poenit. disp. 15. n. 157.

74. Qui iam semel in anno *confessus* est, etsi sola venialia, probabilius per se non tenetur eodem anno iterum confiteri, si postea peccatum mortale commisit. Ballerini-Palmieri, V. n. 696. Lehmkuhl, Theol. mor., I. n. 1204.

75. Qui solum audit praelegentem ex *libro* ab ecclesia *prohibito*, probabiliter non numerandus est inter legentes, etsi ipse legentem induxerit ad praelegendum. S. Alphons. l. 7. n. 292.

76. *Approbationem* libri ab Ordinario (resp. etiam a Superiore regulari) datam probabiliter sufficit verbis generalibus indicare in libro. Pennachi, Comment. in const. Off. ac mun. Vermeersch, de proh. et cens. libr.[4] Génicot, Dilgskron, Göpfert.

77. Qui propter studia sua biblica quaslibet *versiones* S. Scripturae adhibere potuit, hoc privilegio probabiliter etiam gaudet absolutis hisce studiis. Ballerini-Palmieri, II. n. 1175.

I.

De Statibus particularibus.

78. Probabiliter *iudex* (iuris) non peccat, si illum condemnat, qui ex actis probatus est reus, quem autem iudex privata scientia sua certo novit innocentem, nisi agatur de poena mortis vel carceris. Lugo, de iust. disp. 37, sect. 4. n. 41 ss. Laymann, Lessius, S. Alphons. l. 4. n. 208.

79. *Iudex iuratus* probabiliter insontem declarare potest et debet illum accusatum, quem privata scientia sua reum esse certo scit, qui tamen ex actis iudicialibus non est probatus reus.

Lehmkuhl, Theol mor., I. n. 807. Ballerini-Palmieri, IV. n. 593.

80. *Reus* probabiliter a fugere potest, etiam postquam a iudice iuste condemnatus et incarceratus est, licet poena non sit atrox. Lugo, de iust. et iure. disp. 40. n. 41 ss. Ballerini-Palmieri, IV. n. 632. D'Annibale, Summula theol. mor. II. n. 601.

81. Probabile est, clericos latinos in maioribus ordinibus constitutos, qui non sunt regulares, ad coelibatum seu ad castitatem servandam non obligari vi alicuius voti castitatis, sed tantum vi praecepti ecclesiae, quae eis eam sub gravi praecipit ex motivo virtutis religionis. S. Alphons. l. 6. n. 808. Mastrius, Sanchez, Aversa, Salmanticenses, Sägmüller, Lehrbuch d. kath. Kirchenr.[2] p. 238 et 601, nota 1.

82. Probabile est, sacerdotem, qui breviarium romanum recitare tenetur, non teneri aliquid recitare ex aliquo breviario proprio (e. g. Benedictino), si romanum non habet; nec psalmos Matutini recitare debere illum, qui responsoria et lectiones non habet, nec ullos psalmos, si non habet antiphonas et capitula. Sabetti, Comp. theol. mor.[19] n. 584. Suarez, Sanchez, Palaus, Sanctius, Salmanticenses: apud S. Alphons. l. 4. n. 157—158.

83. Omittere *litanias maiores* die festo S. Marci et triduo rogationum, probabiliter non est grave peccatum. Ballerini-Palmieri, IV. n. 382. S. Alphons. l. 4. n. 161.

84. *Pro officio feriali* de industria et sine causa recitare officium alicuius Sancti probabiliter non est grave peccatum. Lessius, de iust. et iure, l. 2. c. 37. n. 77. Salmanticenses, Noldin, II. n. 763.

85. Probabile est, nullam esse obligationem ante celebrationem missae recitare *matutinum cum laudibus*. Ballerini, Noldin, II. n. 773.

86. *Matutinum cum laudibus* diei probabiliter (valide et licite) recitari potest inde ab ha 2a pomeridiana diei antecedentis. Sanchez, Viva, Salmanticenses, Ballerini-Palmieri, D'Annibale, Frassinetti, Sabetti, Bucceroni, Génicot, Noldin.

III.

DE POENIS ECCLESIASTICIS.

1. *Poenam vindicativam* extraordinariam probabiliter ille non incurrit, qui eam ignoravit ignorantia invincibili vel levitei culpabili. Sanchez, Decal. l. 1. c. 16. n. 15. Porro omnis poena vindicativa latae sententiae probabiliter extraordinarie magna est.

2. *Bibliothecae publicae* probabiliter non afficiuntur excommunicatione statuta in eos, qui retinent libros haereticorum vel apostatarum haeresim propugnantes aut libros a Papa nominatim sub excommunicatione prohibitos. Noldin, De poen. eccl.[9] n. 53.

3. Probabiliter non incurrit excommunicationem sacerdos, si absolvit *complicem*, qui praeter alia peccata etiam peccatum complicitatis nondum alias accusatum et directe remissum confessus est, eum monens de obligatione, peccatum complicitatis postea alteri confessario confitendi. Noldin, De poen. eccl., n. 63. Marc, Instit. mor. Alphons. n. 1782.

4. Probabiliter non incurrit excommunicationem sacerdos, qui *complicem* suum a peccato complicitatis absolvit in casu urgentissimae necessitatis (etiam

extra periculum mortis). Gury-Ballerini, Comp. theol. mor. II. ad n. 587.

5. Probabiliter non incurrunt excommunicationem *impuberes* clericum percutientes, nec illi, qui percussionem clerici mandant vel consulunt vel approbant. Lehmkuhl, Casus consc. I. n. 999 s., n. 1042 s. Noldin, De poen. eccl. n. 70.

6. Societates *socialisticae*, ut societates, probabiliter non sunt sub excommunicatione prohibitae. Vermeersch, Lehmkuhl, Köck, Die kirchl. Zensuren lat. sent.

7. Mater *abortum* ipsa procurans in se probabiliter non incurrit excommunicationem. Noldin, De poen. eccl. n. 93.

8. Episcopi et abbates *alienantes* sine licentia S. Sedis bona ecclesiastica pretiosa probabiliter non incurrunt excommunicationem. Aichner, Lehmkuhl, Ballerini.

9. *Irregularitas* ex delicto probabiliter ad instar poenae vindicativae se habet.

10. Ab incurrenda *irregularitate* ex delicto probabiliter excusat eius ignorantia invincibilis vel leviter culpabilis. Salmanticenses, Noldin, De poen. eccl. n. 128.

11. Qui solum condicionate illicite *rebaptizat*, probabiliter non fit irregularis. Gasparri, de s. ordinatione, I. n. 329. D'Annibale, Summula, I. n. 410.

12. Laicus probabiliter non fit irregularis, etsi ordinem maiorem sollemniter exerceat. Gasparri, de s. ordinatione, I. n. 334.

13. Illicite (scl. dolose) ad ordinem promotus probabiliter non fit irregularis (sed utique suspensus). Suarez, de censuris, disp. 42. sect. 3, n. 5.

IV.
DE SACRAMENTIS.

A.
In genere:

1. Sacramentum confirmationis et ordinis probabilissime, matrimonium et extrema unctio probabiliter *reviviscunt*, si valide quidem, sed propter obicem informiter suscepta sunt, et postea obex removetur.

2. Sacramentum collatum sub *condicione de* praesenti sed Deo soli nota, probabiliter validum est (quamvis nunquam licitum), si condicio impleta est. Viva, Cursus theol. p. 7. disp. 3. 9. 2. art. 3. n. 15. et Lacroix, l. 6. p. 1. n. 81.

3. Probabiliter non peccat graviter, qui *in statu peccati mortalis* sacramentum solum administrat, quin illud conficiat vel si non est minister ab ecclesia consecratus, vel si non sollemniter sacramentum conficit vel si in casu repentinae necessitatis sacramentum conficit. Noldin, III.[9] n. 32.

4. Sacramentum *indigno* administrare probabiliter licet etiam ad praecavendum damnum gravissimum privatum, etiam administrantis tantum. Lugo, Sporer-Bierbaum, Gobat, Ballerini-Palmieri, D'Annibale, Génicot, Noldin.

5. *Attritio* hominis non baptizati, qui nihil unquam audivit de religione christiana et de baptismo, probabiliter iam continet implicite voluntatem suscipiendi baptismum. Lacroix, l. 6. p. 1. n. 168.

6. Moribundus sacramenta etiam non necessaria ab excommunicato vitando vel haeretico aut schismatico publice noto probabiliter licite petere potest, si alius sacerdos haberi non potest. S. Alphons. l. 6. n. 88.

B.

De Baptismo.

7. Liquores e plantis, caffeum, cerevisia valde tenuis, thea, *materia* probabiliter valida baptismi sunt.
8. Si in baptismo aqua *crines* tantum tangit, baptismus probabilissime valet. Noldin, III. n. 60.
9. Etiam baptismus in alia parte corporis *praeter caput* collatus, probabiliter valet.
10. Baptismus collatus sub verbis: ego te baptizo *in nomine Patris et Filii, Spiritus S.*, probabiliter valet.
11. *Diaconus* existente gravi causa, probabiliter licite baptizat sine licentia sacerdotis. Suarez, de sacram. in gen. disp. 23, sect. 2, n. 10.
12. *Parentes*, qui baptismum infantis, qui non est in periculo mortis, solum ad mensem sine iusta causa differunt, probabiliter non graviter peccant, nisi obstet lex episcopi. Laymann, Theol. mor. l. 5. tr. 2. c. 6. n. 9.

C.

De Confirmatione.

13. Confirmatio collata cum *oleo infirmorum vel catechumenorum*, probabiliter valet. S. Alphons. l. 6. n. 162.
14. Probabiliter non graviter peccat, qui confirmationem, data occasione, sine causa excusante, suscipere *negligit*. S. Thomas, Summa, III. q. 72, a. 1, ad 3. Dölger, D. Sakr. d. Firmung, p. 179 ss. Génicot, Inst. Theol. mor. II. n. 164.
15. Confirmatio, ordo et matrimonium probabilius remittunt immediate i. e. ex opere operato peccata venialia (supposita virtuali eorum displicentia). Lugo, de poenit. disp. 9, n. 53.

D.

De Eucharistia.

16. Qui *sub utraque specie* communicat, uberiorem gratiam accipit, quam ille, qui sub una tantum specie communicat. Lugo, de euch. disp. 12. sect. 3. n. 68. Vasquez, Stentrup.
17. Adhuc probabile est, *essentiam sacrificii missae* iam haberi in consecratione unius tantum speciei, ideoque, si sine gravi culpa sacerdotis una tantum species consecrata fuit, sacerdos non tenetur pro stipendio accepto novam missam legere. S. Alphons. l. 6. n. 306.
18. Probabile est, eucharistiam immediate *peccata venialia* remittere, supposita virtuali displicentia eorum. Lugo, de poenit. disp. 9. n. 45 ss.
19. *Secale* (Roggen) probabiliter materia consecrationis valida est. Gobat, Theol. experiment. de sacr. tr. 3. n. 29.
20. Absente sacerdote et diacono, probabiliter etiam *laicus* in periculo mortis eucharistiam sibi et alteri licite administrare potest. S. Alphons. l. 6. n. 237.
21. Probabile est, sacerdotem licite eucharistiam distribuere posse ultimis digitis, si indicem et pollicem manus dextcrae impeditos habet: si fideles secus carerent communione. Lacroix, l. 6. p. 1. n. 490. Ballerini-Palmieri, IV. n. 896.
22. Probabile est, non teneri ad *viaticum* sumendum, qui ante hebdomadam ex devotione communicavit; item licite viaticum sumere, qui eodem die ex devotione iam communicavit. Lugo, de sacr. euchar. disp. 16. n. 39.
23. A praecepto tridentino praemittendi *confessionem* communioni post lapsum in mortale, probabiliter excusat verecundia vel repugnantia extraordinarie magna, confitendi certo cuidam sacerdoti, cuius tantum copia habetur. Berardi, Prax.

conf. III. n. 338. Génicot, Instit. theol. mor., II. n. 193; Cas. consc. II. p. 214. Noldin, III. n. 141. Lehmkuhl, Casus consc. II. n. 157.

24. Eucharistia peccatorem attritum probabiliter iustificat, si eam accipit in bona fide, i. e. nesciens, se esse in statu peccati mortalis. S. Thomas, 3. P. q. 72. art. 7. ad. 2. S. Alphons. l. 6. n. 269 et 302. Suarez, Salmant.

25. *Neosacerdos*, qui inadvertenter ieiunium fregit, nihilominus probabiliter primitias, quae sine gravissimo incommodo differri nequeunt, celebrare potest, si laesio ieiunii occulta mansit. Gobat, theol. experiment. de sacr. tr. 3. n. 411. Lacroix, l. 6. p. 1. n. 583. Génicot, Inst. theol. mor. II. n. 202. Noldin, III. n. 153.

26. Sacerdos non ieiunus probabiliter licite celebrare et communicare potest ad conficiendum *viaticum* pro moribundo. S. Alphons. l. 6. n. 286.

27. Illi, qui propter morbum *stomachi* ieiunium servare non possunt nec tamen proprie infirmi sunt, tempore paschali probabiliter licite communicare possunt absque ieiunio, si sine scandalo fieri potest. Berardi, Examen confess. l. n. 764. D'Annibale, Summula, III. n. 411. Gasparri, de euch. n. 1129. Génicot, theol. mor. inst. II. n. 202. Lehmkuhl, Cas. conse. II. n. 176. Gennari, Consultazioni[2] I. cons. 50, n. 6. Noldin, III. n. 157.

28. *Fructus missae specialis* probabiliter valide aliis donari potest. Conink, Gobat, Sporer.

29. Probabile est, occulte missam celebrari licite posse (etiam accepto stipendio) *pro defuncto* acatholico, (sed non pro infideli), qui quidem in externa et notoria professione religionis acatholicae, sed cum indiciis vere probabilibus bonae fidei et status gratiae decessit. Aichner, Comp. iur. eccl.[8]

§ 51. Lehmkuhl, Theol. mor. II. n. 176; Cas. consc. II. n. 196. Génicot, Inst. mor. theol. II. n. 221. Noldin, III. n. 176.

30. Valde probabile est, *applicationem* missae ante ultimum verbum formae essentialis consecrationis calicis (‚mei') factam, validam esse, ideoque sacerdos in hoc casu non tenetur novam missam celebrare. Cfr. pag. 240, n. 2.

31. Si sacerdos missam pro aliquo applicavit, qui ab eo *mortuus* credebatur, tamen adhuc vivebat, probabiliter satisfecit obligationi suae ideoque non tenetur novam missam celebrare. Noldin, III. n. 179.

32. Partem *stipendii* pro missa alteri tradita sibi retinere, probabiliter non est contra iustitiam, sed contra religionem tantum, ideoque pars retenta restitui non debet. Ballerini-Palmieri, IV. n. 1017. D'Annibale, Summula, III. n. 190 nota 17. Génicot, Inst. theol. mor. II. n. 231. Noldin, III. n. 191.

33. Si *summa fundationis* pro missis legendis, ex parte periit sine gravi culpa eius, qui eas legere debet, probabiliter hic numerum missarum propria auctoritate reducere potest, etsi fundator solum numerum missarum, non autem certum stipendium pro singulis missis determinavit. Gennari, Consult. moral.-can.-liturg.[2] p. 2. cons. 2. n. 8.

34. Probabile est, ex omni rationabili causa licite celebrari posse missam, in qua mulier ministrat. Noldin, III. n. 211.

35. Regulares probabiliter gaudent privilegio, missam celebrandi 2 horis (cum 20 minutis) *ante auroram* et una h[a] (cum 20 min.) *post meridiem*. Gasparri, de euch. I. n. 112.

36. Scienter *candelas* ex cera adulterata conflatas adhibere pro missa, probabiliter non est grave peccatum. Sabetti, Comp. theol. mor. n. 719.

37. Interiecta una hora inter abruptionem sacrificii missae et eius continuationem, probabiliter non amplius existit obligatio *complendi sacrificium.* S. Alphons. l. 6. n. 355. Lacroix, l. 6. p. 2. n. 552.

E.

De Poenitentia.

38. Probabile est, peccatorem non committere speciale peccatum grave *impoenitentiae*, si poenitentiam usque ad mortem differt. S. Thomas, Summa, II. II. q. 14. a. 2.

39. Probabile est, peccata mortalia post baptismum commissa solum *tempore mortis* vi praecepti divini esse confitenda. S. Thomas, 4. dist. 17. qu. 3. art. 4.

40. *Actus poenitentis* probabilissime materia sacramenti poenitentiae sunt, i. e. simul cum absolutione constituunt signum significans et efficiens gratiam remissivam peccati. Omnes *thomistae* et theologi recentiores fere omnes. Secundum complures *scotistas* autem et sec. D'Annibale, Summula, III. n. 181. 2. Ballerini-Palmieri, V. n. 3ss. Berardi, Prax. confess. IV. n. 2. actus poenitentis (sec. alios externi, sec. alios mere interni) sunt solum condicio sine qua non ad valorem absolutionis; etiam haec sententia adhuc probabilis est.

41. Absolutio data per verba: ‚*absolvo te*' probabiliter valida est, quamvis nunquam licita. Lugo, Sporer, Gobat, etc.

42. Oratio: *Passio* etc. post absolutionem, probabiliter non obligat sub peccato. Iidem et alii.

43. Absolutio data poenitenti praesenti, sed *in absentia sacerdotis* tantum confesso, probabilius valida est. Suarez.

44. Probabile est, etiam *attritionem* ex nobiliore aliquo motivo (e. g. gratitudinis,

oboedientiae, amoris concupiscentiae, etc.) elicitam peccatorem iustificare extra sacramentum. S. August., et non pauci ex theologis antiquioribus.

45. Absolutio data peccatori, qui propositum quidem quoad mortalia universale explicite elicuit, sed de uno peccato commisso ex motivo particulari dolet, quod non se extendit ad aliud peccatum mortale commissum et nondum remissum, cuius omnino immemor est, probabiliter valida est, quamvis infructuosa, seu sacramentum in hoc casu probabiliter informe est. Suarez, de poen. disp. 20. sect. 5. n. 7. Lugo, de poen. disp. 14. sect. 6. n. 88. Noldin, III. n. 260.

46. Qui peccatum aliquod mortale tamquam *dubie commissum* accusavit in confessione, quod postea comperit, se certo commisisse, probabiliter non tenetur denuo idem peccatum confiteri. Ballerini-Palmieri, V. n. 226. Lehmkuhl, Theol. mor. II. n. 318. Gury, Comp. theol. mor. II. n. 480. Génicot, Inst. theol. mor. II. n. 291, Noldin, III. n. 278.

47. Poenitens, qui peccatum ab ultima confessione commissum et nondum remissum accusat tamquam olim commissum et iam remissum, probabiliter satisfecit obligationi integre confitendi, etsi de industria sic fecerit, sive indirecte: hoc fingendo, sive directe: mentiendo ad interrogationem confessarii. Lugo, de poen. disp. 16. n. 46 ss. Gury, Compend. theol. mor. II. n. 488 nota. D'Annibale, Summula, III. n. 309, nota 60. Bucceroni, Inst. theol. mor. II. n. 715. Noldin, III. n. 281. Génicot, Inst. theol. mor. II. n. 288.

48. Qui peccatum mortale accusare non potest sine manifestatione *complicis* sui, probabiliter hoc peccatum licite omittere potest. Elbel, Ballerini-Palmieri, V. n. 257. Cfr. Noldin, III. n. 285.

49. Probabile est, *actus poenitentis mere internos* (ad extra non manifestatos) sufficere ad validam et licitam absolutionem moribundorum. Ballerini-Palmieri, V. n. 240 s. Cfr. pag. 408, n. 40.

50. Valde probabile est, in homine ex communi aestimatione iam *defuncto* seu post ultimam expirationem, saltem intra semihoram animam adhuc esse in corpore, si homo ex diuturna infirmitate obiit, intra 2 autem vel etiam plures horas, si ex repentino morbo interno vel ex repentino accidenti externo obiit, ideoque licite tali defuncto sacramenta ultima (absolutionem et extremam unctionem cum absolutione generali) sub condicione (si vivis) administrari posse. Villada, Cas. consc. pr. 3. p. 235 ss. Antonelli, Med. past.[3] II. n. 922 ss. Gury-Ferreres, Cas. consc.[2] II. append. p. 614—623. Noldin, III. n. 294.

51. Probabile est, *haereticis moribundis* materialibus, si aliqua probabilitate attriti supponi possunt, valide et licite clam absolutionem (sub condicione) conferri posse. Gobat, Lacroix, Reuter, Elbel, Noldin; Bucceroni, Cas. consc.[2] n. 27, 3; 127, 6; Gury-Ferreres, Cas. consc. n. 488—490; Gennari.

52. Etiam *surdi et muti* a nativitate, qui instrui non potuerunt, in morte probabiliter licite sub condicione absolvi et extreme inungi possunt. Noldin, III. n. 133.

53. Poenitentiam pro *peccato reservato* impositam, probabiliter etiam confessarius simplex commutare potest, ideoque ecclesia supplet potestatem. Cfr. Noldin, III. n. 309.

54. Probabile est, poenitentiam a confessario, qui eam imposuit, extra confessionem etiam post longum tempus *commutari* posse. Lugo, de poenit. disp. 25, n. 112. Ballerini-Palmieri, V. n. 318.

55. Probabile est, illum, qui non est in statu gratiae, valide posse *indulgentias* pro defunctis lucrari. Suarez, de poenit. disp. 53, sect. 4. n. 6. Bellarminus, de indulg. l. 1. c. 14. Ballerini-Palmieri, V. n. 791.
56. Fidelis, cui tempore *iubilaei* facultates iam semel applicatae sunt et hic, antequam opera praescripta impleverit, in censuram incurrit, probabiliter vi iubilaei denuo absolvi potest, ideoque ecclesia supplet potestatem. Lehmkuhl, Theol. mor., II. n. 555.
57. Probabile est, sacerdotem *non approbatum* valide (non vero licite) absolvere posse a peccatis venialibus et mortalibus iam alias remissis, eumque iurisdictionem in ea habere. Suarez, Lugo, Pesch, Ballerini-Palmieri, Noldin.
58. Episcopi probabiliter non indigent *approbatione* ad valide et licite absolvendos etiam alienos extra dioecesim suam.
59. Facultas concessa ab episcopo ‚ad beneplacitum nostrum' probabiliter *non expirat* morte concedentis, ideoque ecclesia supplet. Ballerini-Palmieri, V. n. 355.
60. Probabilius est, *peregrinos* absolvi vi iurisdictionis a propriis ipsorum episcopis tacite per consuetudinem directe sacerdoti concessae. Ballerini-Palmieri, Lehmkuhl, Noldin, Sabetti, etc.
61. Probabilius est, sacerdotem non approbatum praesente approbato, item confessarium simplicem praesente privilegiato, valide et licite absolvere *moribundos* ab omnibus peccatis et censuris, etiam reservatis; ideoque ecclesia certo supplet. Ballerini-Palmieri, V. n. 365. Génicot, Inst. theol. mor. II. n. 332. Noldin, III. n. 353.
62. Probabile est, ecclesiam iurisdictionem *supplere* etiam in casu erroris communis sine titulo colorato, ideoque absolutio in hoc casu dubie valida est. S. Alphons. l. 6. n. 572.

63. Probabile est, *regularem* in itinere constitutum socio sacerdote sui ordinis destitutum valide et licite absolvi posse ab omni sacerdote, etiam non approbato (sed per se non a reservatis sui ordinis nec si Capuccinus vel sacerdos Ord. teuton. est), ideoque ecclesia certo supplet (ita ex iure communi; ex iure particulari Ordinis idem licere potest, etsi habeat socium idoneum). S. Alphons. l. 6. n. 575. Ballerini-Palmieri, V. n. 331. Noldin, III. n. 360.

64. *Convictores* sub disciplina regularium viventes probabiliter ad familiam regularium pertinent, quamdiu sub eorum disciplina vivunt, ideoque ecclesia supplet iurisdictionem in eos, ita ut valide absolvantur ab illis regularibus licet non approbatis ab episcopo loci. Noldin, III. n. 361. Lehmkuhl, Theol. mor. II. n. 396.

65. *Reservatio* peccatorum ex intentione reservantium probabiliter est principaliter poena medicinalis tantum, ideoque probabiliter non incurritur, si ignoratur, modo ignorantia non fuerit crassa, ideoque ecclesia supplet. Ballerini-Palmieri, V. append. de cas. reserv. n. 206 ss. Noldin, III. n. 371.

66. *Casus episcopales* reservati cum censura probabiliter sunt reservati propter censuram ideoque non incurruntur ab illis, qui censuram ignorabant. D'Annibale, Summula, I. n. 340. Ballerini-Palmieri, V. n. 476. Génicot, Instit. theol. mor., II. n. 344. Noldin, III. n. 374°, 376.

67. Probabile est, *reservationem* peccati cessare per confessionem apud confessarium privilegiatum institutam, in qua peccatum reservatum ex oblivione non fuit accusatum. Noldin, III. n. 379.

68. Qui peccata mortalia *reservata* (scl. episcopalia) et non reservata habet, probabiliter non tenetur ante communionem peccata non reservata

confiteri, si non habet copiam confessarii privilegiati i. e. habentis potestatem in reservata. S. Alphons. l. 6. n. 265.

69. Probabile est, sacerdotem *complicem* suum in peccato turpi solum tunc invalide absolvere (a peccato complicitatis nondum ab alio confessario directe absoluto; item ab aliis peccatis, quibuscum simul peccatum complicitatis nondum ab alio confessario directe absolutum accusatur), si ausus fuerit absolvere, i. e. sciens poenitentem esse suum complicem et se ab ecclesia privatum esse iurisdictione in complicem suum, ideoque ecclesia supplet iurisdictionem in casu ignorantiae sacerdotis, modo non fuerit affectata. Cfr. Noldin, III. n. 385.

70. In peccatum *complicitatis* iam directe absolutum sacerdos complex probabiliter habet iurisdictionem, ideoque ecclesia supplet. D'Annibale, Summula, III. n. 324, Scavini, Theol. mor. universa,[14] III. n. 367. Génicot, Instit. theol. mor., II. n. 352.

71. Sacerdos *complicem* suum in casu gravissimae necessitatis (etiam extra periculum mortis) probabiliter valide et licite absolvit (a peccato complicitatis nondum directe alias remisso et ab aliis peccatis simul cum illo accusatis), ideoque ecclesia supplet iurisdictionem. Gury-Ballerini, II. ad n. 587. Noldin, III. n. 386.

72. Probabiliter non est denuntiandus confessarius, qui poenitentem extra locum confessionis tunc ad turpia *sollicitavit*, quando hic petiit, ut post aliquot horas, non statim eius confessionem excipiat. Ballerini-Palmieri, V. n. 717. Noldin, III. n. 390.

73. Probabilius est, confessarium licite absolvere posse poenitentem, cuius peccatum grave, quod hic illicite reticet, ex confessione *complicis* eius certo scit.

Lugo, de poenit. Disp. 22. n. 22. Lehmkuhl, Cas. consc. II. n. 40 ss. Elbel-Bierbaum, Theol. mor. III. p. 8. n. 44. Ballerini-Palmieri, V. n. 587. Noldin, III. n. 402.

F.

De extrema unctione.

74. *Chrisma* et *oleum catechumenorum* probabiliter valida materia extremae unctionis sunt. S. Alphons. l. 6. n. 709.

75. Extremam unctionem administrare *sine lumine et sine ministro*, probabiliter nullum peccatum est. Gury-Ballerini, II. n. 498 nota.

76. Probabile est, non peccare graviter, per se, moribundum, qui data occasione sine causa excusante *non suscipit* extremam unctionem. S. Thomas, Suppl. q. 29 a. 3. ad 1. Suarez, de poen. disp. 44. sect. 1. S. Alphons. l. 6. n. 733. Noldin, III. n. 461.

77. Probabile est, extremam unctionem valide *iterari* posse in eodem periculo eiusdem morbi. Kern, De sacram. ext. unct. l. V. art. 2. p. 331—353.

G.

De Ordine.

78. *Subdiaconatus* probabilissime non est sacramentum.

79. Diaconatus, presbyteratus et episcopatus probabilissime *novos characteres* imprimunt.

80. Probabile est diaconatum et presbyteratum conferri sola *impositione manuum* episcopi (tactu physico) cum forma, quae in ea dicitur.

81. Probabile est, ad validam collationem *presbyteratus* non requiri tertiam impositionem manuum episcopi (post communionem) et formam: Accipe spiritum s. etc. Gasparri, de s. ordinatione, II. n. 1069 et n. 1074.

82. Valde probabile est, validam esse ordinationem *presbyteri*, qui immediate tetigit patenam quidem (cui hostia superposita fuit), non autem calicem. Lehmkuhl, Cas. consc. II. n. 692.
83. Probabiliter valide ordinatur in *episcopum*, qui nondum suscepit presbyteratum. Gasparri, l. c. I. n. 23 ss.
84. Qui *nondum confirmatus* primam tonsuram vel ordines suscipit, probabiliter solum leviter peccat.
85. Probabile est, nullum esse peccatum, non recitare *orationes* vel non celebrare *missas* ab episcopo neo-sacerdotibus impositas. S. Alphons. l. 6. n. 829.

H.

De matrimonio.

86. *Polygynia* et *solutio* matrimonii vi voluntatis contrahentium (sive utriusque sive unius) ex certis quibusdam causis gravibus probabilius ex lege naturae non est stricte prohibita, praesertim, si lege positiva reguntur. Palmieri, de matrim. thes. 16.
87. In casu *privilegii Paulini* secundum matrimonium fidelis initum absque praevia interpellatione infidelis et absque dispensatione ecclesiae ab interpellatione facienda, probabiliter invalidum est, etsi hic revera non consenserit in pacificam cohabitationem. Gasparri, tract. can. de mat.,[4] II. n. 1090.
88. Per *professionem sollemnem* probabiliter solvitur matrimonium etiam in infidelitate contractum et consummatum. Sanchez, de s. matr. sacram. l. 7. disp. 76, n. 9.
89. Concessio novarum nuptiarum, quam Papa dat post contractum et etiam consummatum matrimonium in infidelitate, si una pars se convertit ad religionem ca-

tholicam et interpellatio alterius partis impossibilis est, probabilius dicenda est *solutio* matrimonii vi potestatis Papae, solvendi matrimonia in infidelitate contracta, si saltem una pars ad fidem convertitur, non autem dispensatio in interpellatione facienda in usu privilegii Paulini; nec concessio novarum nuptiarum, si vel utraque pars se convertit ad fidem vel una pars tantum, altera vero pacifice cohabitare vult cum parte conversa dicenda est authentica declaratio privilegii Paulini, sed simplex solutio per Papam. Multi theologi Societatis Jesu, et alii.

90. *Sponsalia* inita ex metu antecedenti, gravi, iniuste incusso, ad ea extorquenda, probabiliter invalida sunt, ideoque ex eis certe non oritur impedimentum publicae honestatis, quia impedimentum dubium, imped. nullum. S. Alphons. l. 6. n. 844.

91. Ille, qui a nativitate simul surdus et mutus et caecus est, probabiliter non est absolute inhabilis ad matrimonium contrahendum, saltem si instructus est. Cfr. Pirhing, Schmalzgruber, Wernz, Noldin.

92. *Sponsalia* occulta probabilius ne in foro conscientiae quidem obligant. Gennari, breve commentario, p. 19—20; Sabetti-Parett. Supplem. n. 17; Vermeersch. Ferreres, Arendt. Cfr. pag. 343, n. 9.

93. *Sponsalia* inita sub expressa vel tacita condicione: si Papa dispensaverit (ob impedimentum dirimens vel impediens) probabiliter non fiunt valida post dispensationem obtentam, nisi scienter postea nova fiant sponsalia; ideoque ex eis etiam non oritur impedimentum publicae honestatis, quia imped. dubium, impedimentum nullum nec ad ullum quid obligant. Feie, de imped. et dispens. matr.[3], n. 394. de Becker, de spons. et matr.[2] Aichner, Comp. iur. can. § 159. Heiner,

Kathol. Eherecht,[5] pag. 44. Lehmkuhl, Theol. mor. II. n. 660.

94. Si in sponsalibus *poena* statuta est ei, qui ab eis recedit, probabiliter etiam ille non tenetur poenam solvere, qui absque iusta causa ab eis recedit. Ballerini-Palmieri, VI. n. 116 ss.

95. *Sponsalia* inita cum persona noncatholica fere semper iam ideo iuste dissolvi possunt (nisi iuvenis catholicus puellam acatholicam sub ficta promissione matrimonii defloraverit et alio modo iniuriam reparare non possit, nisi ducendo eam): quia matrimonium mixtum probabiliter fere semper aliquod leve peccatum est. Noldin, III. n. 540.

96. *Sponsalia* per subsequens matrimonium cum alia persona contractum, probabiliter pro semper dissolvuntur. Gury-Ballerini, II. n. 733.

97. *Sponsalia* probabiliter pro semper dissolvuntur per ipsam sinceram voluntatem eligendi statum clericalem vel religiosum (i. e. ingrediendi religionem, quae vota perpetua habet). Cfr. Ballerini-Palmieri, VI. n. 174 ss., Gasparri, Tract. can. de sacr. matrim., I. n. 92 ss.

98. *Fornicatio* sponsi cum alia persona, ante sponsalia commissa et a sponsa post facta sponsalia detecta, sponsae probabiliter iustam causam dat, resiliendi a sponsalibus. Noldin, III. n. 550.

99. Si post inita sponsalia sponsus *fornicationem* cum alia persona commisit, sponsa etsi fornicata, probabiliter iuste a sponsalibus recedere potest. Lehmkuhl, Cas. cons. II. n. 849, Gury, Matharan, Génicot, Wernz, Noldin, III. n. 550.

100. Impedimentum dirimens mere ecclesiasticum occultum dispensabile probabiliter cessat in *casu perplexu*, i. e. si immediate ante nuptias detegitur, hae sine gravissimo incommodo nupturientium differri non possunt, neque tempus sup-

petit dispensationem ante copulationem procurandi, modo neutra pars impedimentum ideo celaverit, ut copulationem extorqueant, ideoque certo validum est matr., quia imped. dubium, impedimentum nullum. S. Alphons. l. 6. n. 613.

101. Impedimentum *metus* probabiliter est impedimentum iuris naturae. S. Thomas, Pontius, Tamburini, Reiffenstuhl, Rosset, Ballerini, Aichner.

102. Uxor probabiliter non tenetur ad removendam *impotentiam* subire operationem, licet non periculosam, si solum per manum chirurgi fieri posset et prae verecundia valde abhorret ab ea. S. Alphons. l. 6. n. 1099.

103. *Consanguinitas* in linea recta ultra 2um gradum solum probabiliter dirimit matrimonium ex iure naturae.

104. Matrimonium *inter fratrem et sororem* ex iure naturae probabiliter non est invalidum, etsi graviter illicitum.

105. Si unus parentum, qui iam in matrimonio sunt, proprium filium baptizat, sive in periculo mortis, sive extra periculum mortis, probabiliter non amittit *ius petendi debitum coniugale* a coniuge suo (sua), si hanc sequelam ignoravit ignorantia invincibili vel leviter culpabili. Noldin, III. n. 598.

106. Ex *adoptione imperfecta* probabiliter non oritur impedimentum cognationis legalis, ideoque: impedimentum dubium, impediment. nullum.

107. Ex copula in matrimonio invalido, quod non est invalidum ob impedimentum clandestinitatis (ex hac: certo usque ad 2um gr. incl. tantum) impedimentum *affinitatis* probabiliter oritur solum usque ad 2um gradum inclusive ideoque: impedimentum dubium, imp. nullum.

108. Coniux, qui copulam habuit cum persona comparti suae in 1° vel 2° gradu (lin.

rect. vel collat.) consanguinea, probabiliter non amittit *ius petendi debitum coniugale*, si hanc sequelam incestus sui ignoravit ignorantia invincibili vel leviter culpabili vel si in copulam incestuosam ex metu gravi consensit. S. Alphons. l. 6. n. 1071. Noldin, III. n. 605; de sexto[12], n. 99.

109. Ex matrimonio propter clandestinitatem invalido (quod tamen non sit simul matrimonium mere civile, ex quo certo non oritur imped. pub. hon.) probabiliter non oritur impedimentum *publicae honestatis*; ideoque imped. dubium, imped. nullum.

110. Votum *castitatis privatum*, quod uxor (iuvenilis vel suspecta de incontinentia) in saeculo manens emittere debet, si eius maritus cum ipsius consensu (non ultro, sed ad eius petitionem dato) religionem ingreditur vel sacros ordines suscipit, probabilius non dirimit matrimonium futurum, quod ipsa illicite iniret post mortem viri. S. Alphons. l. 6. n. 812.

111. Triplex impedimentum *criminis* probabiliter non incurritur, si utraque pars nupturientium illud ignorabat, quando crimen commiserunt, dummodo ignorantia fuerit invincibilis vel leviter culpabilis; ideoque impedim. dubium, impedimentum nullum.

112. Ex *adulterio* cum promissione matrimonii a complice adulterii acceptata quidem, sed absque repromissione eius expressa, probabiliter non oritur impedimentum criminis, ideoque imped. dubium, imped. nullum.

113. Episcopi probabiliter potestate quasi-ordinaria dispensare possunt in *casu perplexo*, si impedimentum natura sua vel etiam facto idque materialiter quidem publicum est, tamen saltem facto et formaliter occultum est.

114. Dispensatio in impedimento matrimoniali a *commissario* S. Sedis concessa sine mentione delegationis apostolicae et impedimenti, in quo dispensatur, probabiliter valida est. Zitelli, de disp. matr.

115. Probabile est, esse peccatum veniale tantum, duas *proclamationes* matrimonii sine dispensatione episcopi omittere, si vel certo constat de absentia omnis impedimenti vel per aliquot dies expectatur, antequam matrimonium fiat. D'Annibale, Summula, III, n. 453; Gasparri, I, n. 152.

116. Impedimentum dirimens mere ecclesiasticum occultum (ex natura sua quoque), quocum coniuges in bona fide matrimonium in facie ecclesiae inierunt, quodque nunc solum uni eorum cognitum est, probabiliter absque dispensatione *cessat*, si hic nec compartem suam de nullitate matrimonii sine gravissimo incommodo monere nec ullo modo licito declinare potest redditionem debiti coniugalis nec tam cito sanatio in radice procurari potest; ideoque impediment. dubium, impedim. nullum. Lehmkuhl, Theol. mor., II. n. 826. Ballerini-Palmieri, VI. n. 307. Noldin, III. n. 656.

117. Sententia iudicis civilis, qua *divortium perfectum* concedit, probabiliter non est actio intrinsecus mala, seu iudicium, matrimonium vere solvi et matrimonium novum vere posse valide et licite iniri, sed mera declaratio iudicis, matrimonio iuxta legem civilem non amplius a societate civili tribui effectus, quos matrimoniis coram ipsa validis tribuit, et matrimonio novo tribuendos fore a societate civili effectus matrimonii coram ipsa validi. Ballerini-Palmieri, Lehmkuhl, Sabetti, de Becker, Génicot, Noldin.

118. *Assistentia*, quam magistratus civilis praestat nupturientibus, in facie eccle-

siae non contracturis vel etiam alio matrimonio adhuc ligatis, probabiliter non est actio intrinsecus mala seu approbatio, matrimonium sic initum esse matrimonium vere validum et licitum.

119. Probabiliter licitum est *revelare* impedimentum matrimoniale, quod scitur sub secreto commisso (etiam consilii vel officii), dummodo revelatio non cedat in grave damnum committentis secretum, qui non est unus ex sponsis, et alio modo non possit matrimonium impediri.

IV.

EXAMEN SPONSORUM

A.

Interrogationes ad sponsos simul praesentes.

1.

Ad sponsum:

1° Quod est tuum nomen et cognomen?	
2° Cuiusnam religionis es?	Si acatholicus est: Cuiusnam denominationis christianae es? Si catholicus ritus orientalis est: ubi habes testimonium ecclesiasticum, te pertinere ad ritum orientalem?
3° Habes testimonium parochi tui de competente scientia catechismi catholici?	
4° Ubinam et quo anno natus es?	Dicat parochiam vel saltem dioecesim vel saltem regnum — annum, mensem, diem nativitatis.

5° Ubinam baptizatus es?

Dicat parochiam vel saltem dioecesim vel regnum.

Habes literas parochi vel episcopi de baptismo tuo?

Si non habet, procurandae sunt; — in casu omnimodae necessitatis: iuramentum suppletorium.

6° Cuiusnam regni et districtus politici cives es?

Si extraneus est: Habes documentum desuper?

7° Nomen et cognomen patris tui? matris?
Ubi habitant?
Status eorum?
Habes forte etiam parentes adoptivos? Numquid in pueritia te adoptabant et in omnibus eodem modo te habent ut filium naturalem? Nomen et cognomen patris et matris ex adoptione? status et domicilium eorum?

Si mortui sunt: Ubi habitabant?

8° Ubinam habes domicilium tuum seu habitas? a quonam tempore?
Ubi habitabas antea? quamdiu?
Habesne forte etiam alibi domicilium?

Scl. fere aequaliter utrobique habitando?

Habes alicubi quasi-domicilium?

Scl.: alicubi habitando cum intentione ibi manendi saltem per 6 menses?

Habesne 2 quasi-domicilia?
Habes nullibi domicilium? neque quasi-domicilium?

9° Ubinam erit copulatio?
Habitavit ibi sponsa tua (scl. usque ad diem copulationis) iam per unum mensem completum?

Scl. si sponsa ibi non habet domicilium.
Cur non aditis parochum proprium sponsae pro copulatione?

Numquid saltem tu ibi commoratus es per istud tempus?

Scl. si ibi non habet domicilium

Si negative respondet: Habetis licentiam a parocho proprio sponsae? vel saltem sponsi? — (afferenda est in scripto). Si negative respondet: Qualem necessitatem habetis non adeundi parochum vestrum proprium pro copulatione facienda? — Subscribite declarationem vestram! Debetis autem literas de proclamationibus tribus factis in loco vestri domicilii et quasi-domicilii afferre pro copulatione! Respect.: Quaenam est necessitas omittendi proclamationes debitas? Si tempus non suppetit recurrendi ad episcopum — iura-

mentum suppletorium de absentia omnis impedimenti ecclesiastici.

10° Esne solutus? Viduus?
Nomen et cognomen uxoris mortuae?
Ubinam et quando mortua est?

Habes documentum ecclesiasticum de morte eius? vel 2 testes oculares immediatos? saltem mediatos omni fide dignos? potesne iurare? Habes forte litteras magistratus civilis de eius morte?

Ubinam matrimonium inistis? quando? in facie ecclesiae?
Numquid forte civiliter separatus es ab uxore tua? vivit adhuc?

Respect.: Ostende documentum curiae de solutione matrimonii tui, respect de declaratione nullitatis. — In casu omnimodae necessitatis: Subscribite declarationem vestram de statu libero et iurate!

11° Cuiusnam status et condicionis es? Quodnam negotium geris?

An iam liber ab onere militiae?
An miles? Si ita: An sponsa minorennis sit et filia militis activi?

12° Consentiunt parentes tui in matrimonium cum hac sponsa tua?

Cur non?

13° Habes consensum patris tui? Tutoris?

Scl. si minorennis est. Scl. si pater mortuus est vel si filius illegitimus est.
Si ex lege civili ad ineundum matrimonium minorennium consensus patris (resp. tutoris) in scripto requiritur, hoc scriptum procurandum est.

14° Lex civilis non obstat matrimonio tuo?

Licentia, si quae requiritur, magistratus civilis, item dispensationes eius necessariae, procurandae sunt.

15° Esne sponsae tuae consanguineus? sive legitime (ex matrimonio) sive illegitime (extramatrimoniali consanguinitate)? In quonam gradu? multipliciter? quomodo?

Assignandi sunt progenitores sponsi et sponsae usque ad abavos et abavias.

16° Esne legaliter cognatus sponsae tuae?

17° Numquid es patrinus alicuius prolis sponsae tuae, in baptismo vel confirmatione? Esne ergo spiritualiter cognatus sponsae tuae?

Scl. si sponsa aut vidua est et prolem habet (vel habuit) aut prolem illegitimam habet (vel habuit).

18° Esne affinis sponsae? an forte multipliciter? quomodo?

Scl. si sponsus viduus est: Numquid uxor tua mortua (vel una ex uxoribus tuis mortuis) consanguinea erat sponsae tuae (legitime vel illegitime)? In quonam gradu?

Si sponsa vidua est: Num eius maritus mortuus (vel unus ex viris eius mortuis) consanguineus erat tibi (sive legitime, sive illegitime)? In quonam gradu?

2.

Ad sponsam:

Interrogationes, mutatis mutandis, ut supra: 1°—15° inclusive.

In interrogatione sub 10° additur: Num iam elapsum est tempus post mortem mariti tui, ex lege civili ad novum matrimonium viduae requisitum?

Si vidua est.

16° Esne legaliter cognata sponso tuo?

17° Num patrina fuisti in baptismo vel confirmatione alicuius prolis sponsi tui? Esne ergo spiritualiter cognata sponsi?

Scl.: si sponsus viduus est, qui prolem habet (vel habuit) aut prolem illegitimam (extra-matrimonialiter) habet (vel habuit).

18° Esne affinis sponso tuo? forte multipliciter? quomodo?

Scl. si sponsus viduus est: Num uxor mortua sponsi tui (vel una ex uxoribus eius mortuis) consanguinea erat tibi, sive legitime sive illegitime? In quonam gradu?
Si sponsa vidua est: Nam maritus tuus mortuus (vel unus ex viris tuis mortuis) consanguineus erat sponsi tui, sive legitime, sive illegitime? In quonam gradu?

B.

Ad sponsum et sponsam seorsim:

1° Num voluntate omnino libera matrimonium inire cogitas cum hac persona?

2° Esne potens officiis et oneribus matrimonii ferendis?

3° Numquid carnaliter peccasti cum persona aliqua, quae sponsae tuae (sponso) in 1° vel 2° gradu consanguinea est?

Num proles orta est ex hoc commercio? — Num oriri potuit? — Si dicit: non Scisne, cur non potuerit oriri? *)

4° Num antea matrimonium promiseras determinatae personae, quae praesenti spònsae (sponso) tuae in 1° gradu consanguinea est? vel alteri feminae promisisti?

Num libera voluntate fecisti hanc promissionem? Acceptavit iam altera pars cum repro-

*) Si respondet: nescio — copula fuit perfecta.

missione? Num per scripturam nunc requisitam ad valorem sponsalium? Num fecisti eam sub condicione aliqua suspensiva, quae impleta non est?

5° Numquid antea defloravisti aliquam puellam sub vera vel ficta promissione matrimonii?

Ad sponsum.

An proles suscepta sit?

Numquid peccasti cum alio viro et te gravidam certo credis ex eo?

Ad sponsam.

6° Fecisti aliquando votum: non nubendi? castitatis perfectae? perpetuae? ingrediendi religionem? ordinem? sacerdotii suscipiendi?

7° Esne forte ligatus (ligata) vinculo matrimonii iam alibi contracti? ordinis sacri? professionis religiosae? sollemnis?

8° Caute et circumspecte inquirendum est in impedimentum criminis:

Si uterque vel unus eorum in viduitatis statu est.

An viduus (vidua) vivente comparte sua copulam perfectam habuerit cum sponsa praesente (sponso) ac sciente, personam, quacum peccavit, esse coniugatam, et mutuo sibi promiserint matrimonium et acceptaverint ante mortem coniugis?

An forte unus eorum occiderit coniugem (sive

per se sive per alium; sive physice sive moraliter) cooperante altero (sive influxu physico sive morali) ad id, ut matrimonium inter se inire possint?

An forte saltem unus eorum occiderit (sive physica sive moralis causa mortis extiterit; item sive per se ipsum sive per alium hoc fecerit) coniugem et ante mortem eius copulam perfectam habuerit, cum altero eoque sciente, complicem esse coniugatum?

Inquirendum, an forte adsit multiplex impediment. criminis.

C.

Interrogationes addendae in examine pro matrimonio mixto vel cum disparitate cultus ineundo:

1° An pars acatholica sincere, firmiter et absolute promittat institutionem et educationem omnium filiorum et filiarum in religione catholica eaque tantum?

2° An eodem modo promittat parti catholicae liberum exercitium religionis suae catholicae tum in domo tum extra domum?

Cautiones: promissio vel oralis vel scripta vel iurata, etc. etc. iuxta praescriptum episcopi.

3° An sciant praecipuas differentias inter religionem ipsorum diversam?

Secus nupturientes instituendi sunt in hisce differentiis gravissimis.

4° An firmiter promittant, se tantum coram parocho catholico matrimonium contrahere velle, seu nec ante nec post copulationem catholicam adituros esse ministrum acatholicae religionis, ut talem?

An forte iam adierint eum?

Si ita — pars catholica interroganda, an sciverit, se ideo excommunicationem incurrere?

Si affirmat, incurrebat excommunicationem in utroque foro; si negat, incurrebat eam pro foro externo tantum et absolutione ab ea indiget.

5° Quamnam causam excusantem habeat pars catholica ad hoc matrimonium ineundum cum homine alterius et falsae religionis?

6° An interne ei persuasum sit, partem acatholicam promissiones suas de facto impleturam esse?

Annon forte desistere vellet ab hoc matrimonio?

Ad sponsam catholicam tantum.

Nota: Documenta necessaria sive ecclesiastica sive civilia ipse parochus procuret, in quantum fieri potest ne propter eorum defectum nupturientes concubinatu contenti sint.

V.

LOCA, IN QUIBUS LEX TRIDENT. ‚TAMETSI' DE MATRIMONIO NON CLANDESTINE INEUNDO

I.

valebat: **tum** pro matrimoniis mere catholicis i. e. catholicorum inter se
tum pro matrimoniis mixtis, i. e. catholicorum cum acatholicis baptizatis (haereticis*) vel schismaticis)
tum pro matrimoniis acatholicis i. e. acatholicorum baptizatorum inter se initis:

A.

in **Europa:**

1. in granducatu **Luxemburg,**
2. „ **Belgio** hodierno,
3. „ dioec. **Roermund** in Neerlandia, maxima ex parte,
4. „ tota **Gallia** (Francia) excepto antiquo principatu Montbéliard: vide infra II. A 11,
5. „ tota **Hispania,** excepta Gibraltaria (vide II. A 8) et in eius coloniis antiquis (vide e. g. I. B 1—3, C).
6. „ tota **Lusitania** (i. e. Portugallia) eiusque antiquis coloniis,
7. „ tota **Italia** et insulis adiacentibus, excepta insula Malta, de qua vide IV.,
8. „ tota **Austria proprie dicta,** i. e. cisleithanica, scl. in provinciis ecclesiasticis (cum dioec. suffrag.):

---

*) Ante decret. ‚Ne temere' haeretici censebantur: 1° nati et baptizati ab haereticis; 2° catholice baptizati, sed iam a pueritia in haeresi educati nec ad ecclesiam catholicam unquam conversi; 3° apostatae a religione catholica, qui ad oecam defecerunt nec se iterum ad ecclesiam catohlicam sontverterunt.

Wien (Wien, St. Pölten, Linz),
Salzburg (Salzburg, Trient, Brixen, Gurk, Seckau, Lavant),
Prag (Prag, Leitmeritz, Königgrätz, Budweis, et ex dioecesi Breslau: regio Glatz),
Olmütz (Olmütz, Brünn, et ex dioecesi Breslau regiones: Troppau, Jägerndorf, Katscher, Leobschütz[?]),
Lemberg (Lemberg, Przemysl, Krakau, Tarnow, Stanislawow),
Görz (Görz, Laibach, Triest, Capodistria, Parenzo-Pola, Veglia),

9. in imperio **Germaniae:**
   a) in Elsass-Lothringen, civitatibus Strassburg et Mülhausen exceptis: vide II. A 6i,
   b) in antiqua Bavaria et adnexis principatibus ecclesiasticis.
   c) in provincia eccles. Rheni superioris (scl. in archidioec. Freiburg et in dioec. suffrag.: Rottenburg, Mainz, Fulda) excepta dioec. Limburg II. A 6b.

B.

in **America:**

1. in **tota America latina:**
   a) tum meridionali (i. e. South-America) scilicet in liberis rebuspublicis: Argentinia, Bolivia, Brasilia, Columbia cum Panama [quae Panama nunc pertinet ad Unitos Status Amer. septentrionalis], Chile, Ecuador, Paraguay, Peru, Uruguay, Venezuela) excepta Guiana: vide infra III B 3 a;
   b) tum centrali (Costa Rica, Guatemala, Honduras, San Salvador),
   c) tum septentrionali scl. in Mexico;
2. in insulis (Antillis maioribus in India occidentali): Cuba, Haiti (cum St. Domingo) et Porto Rico [haec nunc per-

tinet ad Unit. Stat. Amer. septentr.], quae Americae meridionali adiacent et antiquae coloniae Hispaniae erant;

3. in **Unitis Stat. Americae septentrionalis:** in tota provincia ecclesiast. Santa Fé (scl. in archidioec. Santa Fé in statu New-Mexico, et dioecesibus: Denver in Colorado, excepta eius parte septentrionali; Tucson in Arizona: quae regiones omnes antiquae coloniae Hispaniae erant).

C.

in **Asia:**

in insulis **Philippinis** (in Oceania) quae ad meridiem Japoniae sitae sunt et nunc ad foederatos Stat. Americ. septentrional. pertinent; erant autem antiquae coloniae Hispaniae.

II.

valebat: pro matrimoniis mere catholicis tantum, seu

non valebat: pro matrimoniis mixtis nec „ „ acatholicis.

A.

in **Europa:**

1. in **Hibernia** (Ireland),
2. „ **Frisia** (East- et West-Friesl. seu hollandica et germanica),
3. „ **Zelandia** (in Neerlandia),
4. „ **Hollandia** proprie dicta (i. e. in maiore parte hodierni regni Neerlandici; sed vide I. A 3),
5. „ **Utrecht** cum suburb. ad S. Petri,
6. „ in imperio **Germaniae:**
   a) in tota archidioecesi Coloniensi (i. e. in archidioec. Cöln et in dioec.:

Trier, Paderborn, Münster cum antiquo principatu Cleve),

b) in dioec. Limburg (in Nassau),

c) in dioec. Ermeland } Ost-

d) in dioec. Culm } Preussen,

e) in Bavaria hisce in locis: Oppenheim, Nierstein, Dexheim, Oberingelheim, Freiweinheim, Sauerschwabenheim, Wankenheim, Elsheim, Bubenheim, Ortenburg,

f) in Schlesien: in parte Borussiaca dioeceseos Breslau, scl. in antiquis principatibus: Liegnitz, Brieg, Wohlau, Oels, Pless, Beuthen et Lausitz,

g) in Gnesen-Posen,

h) in urbibus: Strassburg et Mülhausen in Elsass-Lothringen, et in Berlin.

7. in **Helvetia:** in pagis (Cantonen): Zürich, Basel, Schaffhausen, Neuenburg, Waadt, Appenzell-Ausser Rhoden (exceptis paucis locis), Bern, Glarus, Thurgau, Aargau, Genf, Graubünden,

8. „ **Gibraltar,**

9. „ tota **Russia Europaea,**

10. „ tota **Polonia russiaca,**

11. „ antiquo principatu **Montbéliard** in dioecesi Besançon in Gallia,

12. „ imperio **Austriae:**

a) in Hungaria cum Siebenbürgen et Kroatien (scl. in archidioeces. cum suffrag.: Gran [et Vesprim, Fünfkirchen, Raab, Neutra, Waitzen, Neusohl, Stuhlweisenburg, Steinamanger], Erlau [et Kaschau, Rosenau, Szathmar, Zips] Kalocza [et Csanad, Grosswardein, Siebenbürgen, Martinsabtei], Agram [et Zeng, Diakovar], Fogaras [et Grosswardein,

Lugos, Szamos Ujvar, Eperies, Munkacs, Kreutz]),

b) in Dalmatia scl. in provincia eccles. Zara (Zara, Sebenico, Lesina, Spalato, Ragusa, Cattaro),

c) in Bukovina,

d) in Bosnia et Herzegovina (scl. Sarajevo, Banjaluka, Mostar, Marcana-Trebinje),

13. in **Albania**,
14. „ **Bulgaria**,
15. „ **Serbia**,
16. „ **Rumenia**,
17. „ **Wálachia** et **Moldavia**,
18. „ tota **Turcia Europaea** et in **urbe Constantinopolitana** eiusque suburbiis: **Pera** et **Galata**.

Balkan: solum in parochiis catholicis valebat pro catholicis.

B.

in America:

1. in **foederat. Statibus Americae septentrionalis:**

a) in tota provincia eccles. New-Orleans (scl. archidioec. New-Orleans in statu Louisiana, et in dioecesibus: Alexandria in Louisiana; Dallas, Galveston, San Antonio et vicar. Apost. Brownsville in Texas; Little Rock in Arkansas; Mobile in Alabama; Natchez in Mississippi; Oklahoma in Oklahoma),

b) in provinc. eccl. San Francisco (scl. San Francisco, Los Angeles et Sacramento in California, Salt Lake City in Utah, excepta parte, quae est ad orientem fluminis Colorado, in qua ne pro catholicis quidem valebat),

c) in dioec. Indianopolis in Indiana,

d) in archidioec. St. Louis in Missouri in hisce 4 locis tantum: in urbe St. Louis et in 3 parochiis: St. Geneviève, St. Florissant, St. Charles.

e) in dioec. Belleville in Illinois, in hisce 7 parochiis tantum: Kaskaskia, Cahokia, French Village, Prairie du Rocher, East St. Louis, Carondelet, Caseyville,

f) in urbe Baltimore;

2. in **America septentrionali Brittanica:** in provincia eccles. Quebec (Quebec, Chicoutimi, Nicolet, Rimousky, Trois Rivieres, vicar. Ap. Lawrence) et in provincia S. Bonifacii (St Boniface, Prince Albert, St. Albert, Regina, 3 vicar. Ap.: Athabaska, Makenzie, Keewatin);

3. in **insula SS. Trinitatis** ad septentrionem Americae meridionalis sita.

C.

in **Africa:**

1. in **Tripolis,**
2. ,, **Tunis,**
3. ,, **Algerio,**
4. ,, dioec. S. Dionysii in insula **Réunion** (ad orientem Africae sita),
5. ,, **Aegypto** pro Coptis unitis.

D.

in **Asia:**

1. in **Georgia** (russiaca) in Kaukasia,
2. ,, **Smyrna** in Anatolia in Asia minore,
3. ,, **Terra Sancta:** in parochiis catholicis et pro Maronitis,

4. in toto **Archipelago** (scl. in insulis Asiae minori praeiacentibus),
5. ,, **Tonkin** (in China) in eius parte orientali,
6. ,, **India orientali:**
   a) in Coromandel } ora
   b) ,, Malabaria }
   c) ,, Calcutta,
   d) ,, vicariat. Apost. Bombay,
   e) ,, vicariat. Apost. Pondichéry,
   f) ,, civitate Bataviae in insula Java.

III.

non valebat: pro matrimoniis acatholicis neque pro matrimoniis mixtis neque pro matrimoniis mere catholicis, saltem ut plurimum, scl. relate ad haec matrimonia mere catholica in singulis locis videndum est, utrum lex Trid. pro catholicis vel formaliter promulgata vel saltem longo usu (saltem per 10 annos) ab eis ut lex universalis ecclesiae observata sit, necne (in dubio, matrimonium clandestine contractum habendum est ut validum):

A.

in **Europa:**

1. in **Anglia,**
2. ,, **Scotia,**
3. ,, **Suecia,**
4. ,, **Norvegia,**
5. ,, **Dania,**
6. ,, imperio **Germaniae:**
   a) in Borussia presse dicta (Ost- et West-Preussen),
   b) ,, Saxonia,
   c) ,, Hannover,
   d) ,, antiquo principatu Bremen,
   e) ,, Brandenburg et Pommern, quae provinciae pertinent ad delega-

turam parochi S. Hedwigis in Berlin, qui est delegatus episcopi principis in Breslau,

f) in aliquibus regionibus Bavariae hodiernae, scl. in Nüremberg, Weissenburg, Pappenheim, Ansbach,

7. in illis pagis **Helvetiae,** qui iam anno 1563 acatholicae erant. Vide supra II. A. 6. l.

8. „ **Graecia,** scl. in archidioecesi Athenarum et in tota delegatione Apost. Graeciae.

B.

in **America:**

1. in **Unitis Statibus Americae septentrion.** in hisce provinciis eccles.:

a) Baltimore (Baltimore, excepta urbe: vide supra II B 1 f.) in Maryland; Charleston in South Carolina; Richmond in Virginia; St. Augustine in Florida; Savannah in Georgia; Wheeling in West-Virginia; Wilmington in Delaware; vicar. Apost. North Carolina et Belmont Abbey).

b) Philadelphia (Philadelphia, Altoona, Erle, Harrisburg, Pittsburg, et Scranton in Pennsylvania),

c) New York (New York, Albany, Brooklyn, Buffalo, Ogdensburg, Rochester, Syracuse in New-York; Newark et Trenton in New-Jersey),

d) Boston (Boston, Fall River, Springfield in Massachusetts; Hartford in Connecticut; Burlington in Vermont; Manchester in New-Hampshire; Portland in Maine; Providence in Rhode Island),

e) Chicago (Chicago, Alton, Peoria, Rockford et Belleville in Illinois), exceptis 7 locis in dioec. Belleville supra dictis: II. B, 1, e,

f) Cincinnati (Cincinnati, Cleveland, Toledo, Columbus in Ohio; Louisville et Covington in Kentuky: Detroit et Grand Rapids in Michigan; Nashville in Tennessee; Fort Wayne in Indiana),

g) Dubuque (Dubuque, Davenport, Sioux City in Iowa; Cheyenne in Wyoming; Omaha et Lincoln in Nebraska),

h) Milwaukee (Milwaukee, Green Bay, La Crosse, Superior in Wiskonsin; et Marquette in Michigan),

i) St. Paul (St. Paul, Crookston, Duluth, St. Cloud et Winona in Minnesota; Bismark, Fargo, Lead et Sioux Falls in North Dakota),

k) St. Louis (St. Louis, Kansas City et St. Joseph in Missouri; Concordia, Leavenworth et Wichita in Kansas) exceptis locis supra dictis in archidioec. St. Louis: II. B 1, d,

l) Oregon (Oregon City, Baker City in Oregon); Boise in Idaho, Great Falls in Montana; Seattle in Washington; praefect. Apost. Alaska).

NB.: In omnibus hisce locis praeter exceptos „Tametsi" certo nulla ratione valebat.

2. in **America septentrion. Brittannica:**

a) in provincia Ottawa,

b) in provinc. eccles. Halifax, (Halifax, Antigonish, Charlottetown, Catham, St. John),

c) in dioecesi Sault St. Mary (in prov. eccl. Kingston),

d) in Canada superiore.

3. in **America meridionali:**

a) in territorio Guiana, ad septentrionem Americae meridion.,

b) in insula Curaçao ad septentrionem Americae merid. sita,

c) in insulis (Antillis minoribus): Guadelupe et Martinique Americae merid. adiacentibus (dubie ibi valebat pro catholicis, quod in genere dicendum est de antiquis coloniis Angliae, Daniae et Hollandiae).

C.

in **Asia:**

1. in **Syria** et insula **Cypro** (dubie ibi valebat pro catholicis),
2. „ archidioec. **Goa** in India orientali eiusque dioec. suffraganeis (dubie ibi valebat pro catholicis),
3. „ tota **Japonia,**
4. „ multis provinciis imperii Sinensis (China), e. g. in vicariat. Apost. **Sutchuensi,**
5. „ **Russia asiatica** tota, excepta Georgia: vide II D 1.
6. „ **Turcia asiatica,** exceptis territoriis supra dictis: II. D 2—4.

D.

in **tota Australia.**

E.

in **Africa:**

etiam non valebat, nisi in locis supradictis: II. C 1—5 pro catholicis;

neque in **Abessinia** et insula **Madagascar** valebat. In colonia promontana **Bonae Spei** solum dubie valebat pro catholicis.

IV.

valebat: pro matrimoniis mere catholicis et pro matrimoniis mixtis;

non valebat: pro matrimoniis acatholicorum baptizatorum inter se initis:

in **insula Malta** Italiae adiacenti.

NOTAE.

1ª Matrimonia clandestina (e. g. solum civiliter vel coram solo ministro acatholico vel alias clam inita) ante dominicam Resurrectionis, 19. April 1908 celebrata in uno ex praedictis locis, pro quibus non valebat lex Trident. ‚Tametsi' solum tunc valida sunt, si a) alteruter nupturientium aut in illo loco tempore initi matrimonii habebat domicilium vel quasi-domicilium, aut vagus erat, aut peregrinus veniens ex loco domicilii vel quasi-domicilii sui, in quo item non valebat lex Trident. vel (probabiliter) si erat quidem ex loco legi Trident. subiecto attamen non in fraudem legis Trid. in locum illum a lege Trid. immunem se contulit; b) si nullum aliud impedimentum dirimens adfuit vel in eo dispensatum fuit; et c) uterque nupturientium intentionem habuit verum consensum matrimonialem praestandi.

2ª Matrimonia mixta in imperio Germaniae ante diem 15. April 1906 invalide inita ob non servatam legem Trident. sanata sunt in radice a Pio X°. per constit. Provida (1906) ideoque valida sunt, dummodo: a) nupturientes ab initio verum dederint consensum matrimonialem; b) non aliud impedimentum matrimoniale dirimens adfuerit, in quo dispensatum non sit; et c) usque ad diem 15. Apr. 1906 eorum consensus matrimonialis vere perduraverit; d) neque sententia nullitatis matrimonii ob impedimentum clandestinitatis lata fuerit ante praedictum diem.

3ª Ex praxi S. Sedis nullitas matrimonii mere acatholici absque forma Trident. initi (ante

pascha 1908 et extra Germaniam) in loco, in quo matrimonia etiam mere acatholica legi Trid. subiecta erant, nec affirmanda nec neganda, sed dissimulanda est, nisi in casu particulari de ea iudicare necessarium sit: scl. si una pars se convertit ad fidem catholicam et de valore matrimonii dubitat aut novum matrimonium inire vult: in priore casu consensus renovandus, respect. sanatio in radice procuranda est, si nec nunc nec in futuro separatio timenda est; in altero casu recurrendum est ad S. Sedem, antequam novum matrimonium concedatur.

4ª Ante decretum ‚Ne temere' matrimonia legi Trid. Tametsi subiecta, iniri debebant, ut valida fuerint, coram parocho proprio (non loci) i. e. domicilii vel quasi-domicilii. Solum pro Statibus unitis Amer. sept. inde a die 6. V. 1886 et pro dioec. Parisiensi inde a die 20. V. 1906 sufficiebat, si initum fuit coram parocho illius loci, in quo unus nupturientium per unum integrum mensem de facto in continuo commoratus est (usque ad tempus copulationis inclusive).

Haec omnia cedant in honorem Dei ter Optimi Maximi, Deiparae, Divi Thomae Aquinatis et S. Alphonsi de Ligorio.

INDEX RERUM ALPHABETICUS

In hoc indice non citantur ea, quae habentur in appendicibus, quia haec in textibus hic citatis allegantur.

A.

Abbas 304, 334.
Abbreviatio vitae 107, 109.
Abominationis odium 65, 67.
Abortus 106, 109, 126, 198, 307—308, 402.
Abrogatio:
  legis 32, 37—38.
  consuetudinis 38.
Abruptum sacrificium missae 240, 248.
Absoluta:
  lex naturae 25, 38.
  necessitas medii ad salutem 59, 271.
  administratio sacramenti 209, 214, 215, 217.
  iteratio sacramenti 215.
  „ baptismi 307.
  sponsalia 317, 340.
  obligatio restituendi 161.
  impotentia ad matrim. 324.
Absolute:
  probabilis opinio 42.
  publicum crimen 172, 174.
  gravis materia furti 137, 156.
  extra commercium posita res 132.
  initum matrimonium 315.
Absolutio:
  a peccatis:
    valida 258, 274, 275–276, 283–284.
    a venialibus 275, 411.
    condicionata 274, 287, 290.
    directa et indirecta 204, 249, 282–283.
    moribundorum 281, 289–290, 295–296, 410.
    invalida 258, 274, 278–279, 289, 296.
    complicis 196, 283–284.
    consuetudinarii 287.
    recidivi 287–288.
    occasionarii 288–289.
    peccatoris publici 287, 288.
    peregrinorum 279–280.
  a censuris 191–193, 204, 281, 282, 283.
  generalis 368.
Absolutum votum 86, 94.
Absolutus baptismus 227.
Abstinentia:
  ecclesiastica 177, 178–179.
  a delectatione venerea 110–111, 112.

ab usu matrimonii 93, 126, 127–128, 356.
Abusus sacramenti 219–220.
Acatholica schola 101.
Acatholicum matrimonium 315, 431–441.
Acatholicus:
moribundus 290.
mortuus 246.
communicatio in sacris cum eis 62—63, 71–72.
relate ad matrimonium 315, 325.
Acceleratio partus 106, 109.
Acceptio munerum 185,
Acceptum scandalum 68. 74.
Accessio 135, 154.
Accessorium 154, 168.
Accidentalis:
formalitas contractus 129.
impotentia 324.
error:
in voto 87, 91.
„ contractu 145,165.
„ matrimonio ineundo 353.
„ sponsalibus faciendis 339.
mutatio materiae vel formae sacramentalis 207, 216, 241.
interruptio missae 240, 248.
Accusatio delinquentis, v. denuntiatio.
Acedia 53, 57.
Ascescens vinum 241.
Acolythatus 299, 300, 302, 303.
Acquisita:
virtus 8, 10, 46, 65.
praescriptio 136.
Acta:
iudicis 184.
Apostolicae Sedis 29.
Actionaria societas 149.
Activa:
communicatio in sacris 62, 71.
servitus 131.
praescriptio liberativa 136.
Activum scandalum 68.
Actuale:
peccatum 49.
impedimentum actus humani 14–17.
Actualis:
attentio 76, 217.
intentio 13, 20.
gratia 9, 18, 19, 23, 205, 213, 222, 228, 232, 248, 292, 301. 313.
fides, spes, caritas 58, 63, 64, 70.
Actus:
humanus 11–24.
elicitus 11.
imperatus 11.
bonus, malus, indifferens 17, 21–23, 70.
intrinsece malus 17, 40, 125, 181, 219, 353, 362.
intrinsece et absolute malus 25, 38, 181, 353, 362.
naturaliter bonus 23.
supernaturalis 23.
meritorius vitae aeternae 24, 49.
fidei, spei, caritatis 57, 63, 64, 70, 72.

poenitentis 248–257, 259, 270–272, 274, 275–276.
Ad cautelam:
absolutio a censura193.
dispensatio in impedimento matrimoniali 359.
dispensatio in irregularitate 310.
Ad instar:
manualium, missa 198, 239, 246—247.
poenae 309.
altaris Gregoriani, altare 367.
Adiunctio 135, 153–154.
Adiuratio 83, 92.
Adiutorium mutuum coniugum 99, 313.
Administratio sacramenti:
absoluta et condicionata 209, 214–217.
valida et invalida 208–209, 214–218, 219.
digna et indigna 209, 218, 220.
licita et illicita 209, 218, 277.
obligatoria 218–219, 294, 297–298.
sollemnis et privata 209.
in proprio territorio et extra illud 223, 229, 304.
baptismi 223–224, 226, 227.
confirmationis 229, 230.
eucharistiae 195, 234, 241, 242, 244, 271, 272, 290.
poenitentiae 249–250, 256–257, 258, 259, 260, 274, 275–276, 277–290.
extremae unctionis 195, 293, 294–299.
ordinis 195, 301–304, 308–309.
bonorum filii 152.
pecuniae societatis 189.
beneficii 194.
Admixtio liquidi novi ad liquidum benedictum vel consescratum 221.
Adoptio 98, 328.
Adoratio 76.
Adulterium:
peccatum 114, 118, 122, 127, 128, 307.
causa separationis coniugum 338.
impedimentum matrimonii 331, 349.
Adultus:
in re morali 225.
quoad decalogum 35.
peccator 70.
operarius 102.
subiectum sacramenti: 210–211, 220.
baptismi 224, 227.
confirmationis 229, 230.
eucharistiae 180, 231, 234, 242–244.
extremae unctionis 293–294.
ordinum 305.
matrimonii 312.
Advertentia:
in actu humano 12, 14, 20, 21.
ad peccatum requisita 49, 50, 139.

in oratione 76–77, 82–83.
,, confectione sacramenti 217, 278.
,, susceptione sacramenti 220.
,, auditione missae 82–83, 95.
,, breviarii recitatione 82–83, 310.
ad incurrendam censuram 192.
,, incurrendum casum reservatum 265.
,, validum contractum 90, 165, 166, 339.
,, contrahendam obligationem restituendi 158.
Aegroti:
quoad communionem 244.
quoad extremam unctionem 292–299.
quoad iubilaeum 368.
Aequalis causa damni 161.
Aequalitas requisita in contractibus 155, 165, 170.
Aequiprobabilismus 43.
Aequitas 39.
Aequivalens rei alienae et fructuum eius 131, 132, 156, 157, 158.
Aetas:
pro prima communione 177, 180.
,, prima confessione 180.
,, matrimonio 323, 346, 347.
canonica 305.
superadulta 332.
Affectata ignorantia 15, 200, 284.
Affectus bestialis 123–124.
Affinitas 328–329, 347, 348, 349.
Affirmativa lex 24, 36, 40, 72, 103, 104.
Aggravantes circumstantiae 19, 256.
Aggressor iniustus 106, 108.
Agonia 187–188.
Alba magia 79.
Aleatorius contractus 142, 150, 170.
Aliena res:
quaenam? 131, 141.
eius possessio triplex et restitutio 133–134, 136, 141, 155, 156–158, 162, 163.
eius fructus 151, 156–157.
Alienum peccatum 50.
Alphonsus de Ligorio, S. E. D. 1, 6, 45.
Altare:
Gregorianum 367.
ad instar 367.
privilegiatum 366–367.
Altum dominium 130.
Ambigua forma sacramenti 217, 223.
Amens 35, 225.
Amissa res 134, 135, 153, 157–158.
Amissio:
rei v. amissa res
officii ecclesiastici 33, 34, 200, 281.
sanctitatis loci sacri 80, 84.

iurisdictionis 193, 218, 281.
Amphibologia 171, 173.
Anarchistae 197.
Angusta conscientia 42.
Angustia loci 332.
Animalium:
venatio 110.
vexatio 153.
Annus discretionis 177, 180.
Annexa:
res temporalis rei spirituali 82, 84.
indulgentia 365, 366, 367.
Antecedens:
ignorantia vel error:
quid? 15.
in voto 87, 91.
,, contractu ineundo 145, 165, 167.
,, sponsalibus 338–339.
,, matrimonio ineundo 165.
metus:
quid? 16.
in voto 91–92.
,, contractu ineundo 166, 167.
,, sponsalibus faciendis 339–340.
,, matrimonio ineundo 166, 323, 346.
concupiscentia 16.
impedimentum matrimonii 318.
affinitas 329.
impotentia sexualis 324, 346–347.
dubia fides 133, 157–158.
Antecedenter annexa res temporalis rei spirituali 82, 84.
Anthropologia criminalis 11.
Anticipatio:
legis 36.
Matutini cum Laudibus 310.
Apostasia a fide 61, 72, 195.
Apparens titulus possessionis 136.
Appellatio ad Superiorem 194.
Appetitiva virtus 46.
Appetitus sensitivus 16, 17, 47, 51, 54–55, 112, 119, 120.
Applicatio missae 238, 246–247.
Appretiative summus:
actus caritatis triplex 64.
dolor de peccatis 252, 253.
Approbatio:
decretorum SS. Cong. Rom. 28, 30, 34.
peccati proximi 68, 69, 75, 103, 104.
iniustitiae proximi 140.
falsae religionis 40, 60, 63, 71, 195–196, 227.
librorum 178, 181, 182.
operum moralium S. Alphonsi de Ligorio 45.
confessarii 261–262, 278, 279, 280–281, 358, 366, 368.
Aqua baptismi 222, 226, 227.

Arctitudo uteri 106, 108, 109–110, 118, 125, 126, 324.
Ars 46.
Artificialis:
abortus 106, 108.
fecundatio uxoris 118, 125.
Ascetica 3.
Aspectus inhonesti 117, 120, 268–269, 290–291.
Assecuratio:
rei venditae 156.
bonorum et vitae 150, 170.
Assensus fidei:
divinae 57, 58, 59, 70.
catholicae 58.
ecclesiasticae 58, 71.
dubius 71.
Assertorium iuramentum 88, 92.
Assistens:
matrimonio:
vi muneris 334–335.
ex delegatione 335.
duello 197.
missae 236, 237, 245.
Assistentia:
in missa 95.
„ matrimonio:
valida 333–334, 335.
licita 335–336.
simplex 333–334.
sollemnis 334.
testium 325, 334.
excommunicati 193.
patrini in baptismo et confirmatione 225, 226–227, 229, 230.
Assumtio vana divini nominis 83, 85, 90.
Asyli ius 29.
Atheistae 195.
Attentatum matrimonium 98. 198, 314, 330, 355.
Attentio interna et externa 76–77, 82–83, 217, 220; vide advertentia.
Attritio:
quid? 251.
eius motivum 251, 252, 253.
in sacramentis mortuorum 220.
„ baptismo et martyrio 48, 224, 250.
„ s. communione 406.
„ poenitentia 250, 252–254, 265–266, 273, 274, 275, 279, 286–290, 295–296.
„ extrema unctione 250, 294, 295–296.
extra sacramentum 273, 295.
Auctoritative consentiens 162.
Aureolae tres 19.
Ausus temerarius 192, 200, 201.
Authentica interpretatio legis 30, 35.
Avaritia 53, 57.

B.

Baptismus:
quid? 221.
dubius v. dubius.
eius votum 222.
„ effectus 35, 48. 222.
„ materia 222–223, 226.
„ forma 223.

eius minister 223–224.
,, subiectum 224, 226.
,, caeremoniae 225, 227.
,, patrinus 225, 226–227, 327–328, 346, 347.
condicionata repetitio eius 226, 227, 296.
Beatitudo hominis 7, 19.
Bellum 46, 107–108, 307.
Benedictio:
quid et quotuplex? 211–212.
sollemnis 212.
de iure parochiali 221.
reservata 212, 300, 301.
capellae et oratorii 80.
utensilium pro missa 212, 233.
Apostolica 367.
nuptialis 316, 334.
abbatis 212.
imaginum et crucis 212.
fontis baptismalis 221, 226.
mulieris post partum 221.
Beneficium ecclesiasticum:
quid? 82.
ius eius 81, 82.
eius collatio 82, 159.
simonia circa benef. 81–82, 85.
concursus 138, 159.
suspensio ab eo 194.
eius privatio 200.
Bestialitas 116, 123–124.
Bigamia 311.
Bigamus 307, 331.
Bilateralis contractus 142, 165, 166, 168.
Binatio 240, 247.
Blasphemia 85, 89–90.
Bona:
hominis:
naturalia 8, 65, 139, 152.
interna et externa 8, 65, 139, 152.
fortunae 8, 65, 106, 132–133, 155.
personalia 65, 101, 109.
in quaenam ius strictum 122, 123, 139, 152, 153, 159, 165, 166, 168, 170, 174, 176, 177, 185, 188, 218, 286, 297, 312–313, 342, 343, 349.
supernaturalia 8.
filiorum 134, 152.
uxoris 134, 152–153.
clericorum 134–135, 153.
fides:
in possessione 128, 133, 152, 156, 157, 163, 184–185, 349, 354, 363.
,, praescriptione 136, 154, 156.
,, indigna susceptione sacramenti: 211.
eucharistiae 231, 406.
poenitentiae 254, 255, 256, 257, 259, 275, 276, 277.
extremae unctionis 296.
,, matrimonio invalide inito 314,

337, 350, 361–362, 363.
Bonum:
commune 35, 33, 37, 40, 47, 74, 99, 100, 102, 103, 104, 108, 109, 151, 152, 153, 158, 163, 174, 175, 176, 185, 186, 187, 215, 219, 285–286, 291, 319, 348, 349, 353, 361, 363.
religionis 215, 348.
Bonus actus 17, 22–23.
Breviarium 82–83, 308, 310.
Bulla cruciata 179.
Bursa 150, 170.

C.

Caeremoniae:
in sacramentorum confectione 209, 218.
,, baptismo 225, 227.
,, confirmatione 229.
,, copulatione 334.
Caesarea sectio 106, 109–110.
Calix pro missa 212, 233.
Calumnia 172, 174, 175.
Cambium 149.
Canon:
privilegium canonis 29, 196, 200.
missae 247, 248.
Canonica:
causa dispensationis 31, 332.
aetas 305.
Canonicum matrimonium 314.
Capitalia peccata 52–53, 56–57.
Carbonarii 197.
Cardinales virtutes 8, 47.
Caritas:
Dei 7, 18, 64, 70. 72.
proximi 72–73, 74–75, 125, 160, 219, 226, 298, 352.
3 gradus caritatis Dei 64.
perfecta et imperfecta 72.
signa caritatis proximi 66, 73.
peccata contra caritatem Dei et proximi 55, 56, 67–70, 73, 74–75, 103, 115, 174, 175, 176.
quandonam obligatio caritatis proximi cesset 72, 73, 74, 125, 174, 175, 186, 187, 219, 2 8, 352.
Castitas:
quid eiusque divisio 110–112.
perfecta eiusque votum et dispensatio in eo 93–94, 111, 123, 127–128, 321, 330, 346, 347, 352, 355, 356.
virginalis 111–112.
peccata contra castitatem 56–57, 113–128.
Castratio 106, 107, 109.
Casuistica 4.
Casus:
moralis 4.
restitutionis 163–164.
solutionis vinculi matrimonialis 38, 337, 355.

evictionis rei alienae 138, 156, 157.
reservatus 122–124, 264–265, 282–283.
dubius in dispensatione 39, 310, 355, 359.
urgentis necessitatis 39, 287, 290, 294, 296, 350, 356.
perplexus in matrimonio 350–351, 356.
Catechismus Romanus 5.
Catholica fides 58, 71.
Catholicus:
in sensu decreti „Ne temere" 325.
ritus latini, eius matrimonium 325.
ritus orientalis 325.
Causa:
contractus 143–144, 168.
voti 90.
damni: 137, 138, 155, 157, 159, 160–162.
negativa 138, 160.
per accidens 138, 159.
totius damni 160–162.
principalis 161–162.
physica 137, 139, 140, 160, 162.
moralis 137, 139–140, 160.
mortis proximi 307, 309.
pia 146, 169.
dispensationis 31, 39, 321, 332, 346, 347, 351–352, 357–358.
canonica dispensationis v. canonica.
civilis et criminalis 183, 186.
incertitudinis debiti 155.
excusans:
a lege 30—31, 36, 37, 39–40.
„ professione fidei 71.
„ prohibita communicatione in sacris 71.
„ lege caritatis v. caritas.
„ denuntiatione facienda 74, 186, 285–286, 352.
„ voto implendo 90.
„ missa audienda 95.
„ cohabitatione coniugali 99, 338.
„ servando contractu 102, 162.
„ prohibita electione deputati mali 104.
„ tributis solvendis 104.
„ peccato luxuriae indirecte voluntariae 119–121.
„ resistentia contra copulam onanisticam mariti 124–125.
„ reddendo debito coniugali 118, 127.
„ servanda lege abstinentiae ab usu matrimonii ob incestum commissum 128.
„ vitando periculo:
peccati v. periculum.
fidei v. periculum.

castitatis v. periculum.
a vitanda occasione peccati 267, 290–291.
,, servando dominio privato 75, 154.
,, removenda causa damni in culpabiliter posita 159.
,, restitutione damnificato ipsi facienda 162
,, restitutione ipsa 162–163,164,175.
,, restitutione statim facienda 162.
,, restitutione famae laesae 175.
,, veritate manifestanda 173, 187, 342, 352.
,, servanda fama proximi 174–175.
,, servando secreto 176–177.
,, sumenda communione paschali in propria ecclesia parochiali 180.
,, prohibita lectione scripti mali 180, 182–183.
,, vitanda familiaritate 268.
,, testando in iudicio 187.
,, censura incurrenda 192, 200, 201.
,, censura contracta servanda 193, 203, 218.
ab incurrendo casu reservato 264–265.
ut sacramentum periculo nullitatis exponi possit 214–216, 226, 241, 274, 286–290.
,, sacramentum ab indigno ministro peti possit 218, 220.
,, sacramentum indigno dari possit 219.
ab integritate confessionis 255, 275, 276, 277.
a confessione ante extremam unctionem 296.
,, confessione ante communionem 243.
,, confessione more ecclesiastico facienda 276.
,, ieiunio ante communionem 243–244.
ab interrogando vel monendo poenitente 277, 285.
,, vetita absolutione complicis 196, 283, 284.
,, denuntiando impedimento matrimonii 352–353.
,, servandis sponsalibus 317–318, 341–342.
Cautelae:
in periculo peccandi 54, 289, 290.
,, periculo fidei 101, 182, 351–352.
,, lectione scripti periculosi 183.
,, visitatione sponsorum 268.
,, matrimonio mixto

ineundo 321, 346, 351–352.
in hypnosi adhibenda 188.
Censura:
librorum 178, 180–183.
poena:
quid? et divisio 190–191.
notoria 191, 201, 203.
reservata 191–192, 264, 282.
eius effectus 192, 193–195, 218, 281.
condiciones ad eam incurrendam 192, 265.
absolutio ab ea 192–193, 198, 203–204, 281–283.
causa excusans ab ea servanda 193, 203, 218.
potiores censurae 195–199, 361.
Certa:
conscientia 20, 41, 44.
lex 45.
sententia theologorum 6, 35.
obligatio 45.
obligatio restituendi 155, 163–164.
Certae condiciones casus reservati 265.
Certe probabilis opinio 42.
Certum:
peccatum 249, 275.
,, complicitatis 265.
,, sollicitationis in confessione 265.
impedimentum matrimonii 319, 359.
Certitudo physica et moralis 41, 44.
Cessatio:
legis 32, 37.
ab opere 98, 102.
reservationis 283.
a divinis 199.
Cessio:
bonorum 141, 162, 163.
iuris 155, 128.
Character sacramentalis 205, 222, 228, 301, 346.
Choreae 268-269, 290-291.
Chorus 239, 308.
Chrisma 225, 226, 292.
Circumsessio per diabolum 213.
Circumstantiae:
actus humani 19, 22–23.
peccati 22, 23, 56.
speciem mutantes 19, 56, 90, 101, 103, 114, 115, 121, 122, 123, 124, 154, 159, 160, 174, 179, 256.
speciem non mutantes 56, 83, 90, 119, 122, 123, 154, 174.
aggravantes et imminuentes 19, 256.
notabiliter aggravantes 20, 256.
accusandae in confessione 256.
in furto et damnificatione 155–156.
,, peccatis luxuriae 114, 115, 116, 119, 121, 122, 123, 124.
tacendae vi sigilli sacramentalis 270.
impedimenti matrimonii 332.
locutionis 171, 173.

Civile:
matrimonium 287,318, 330, 332, 360, 363, 390, 441–442.
ius 129, 151, 318.
impedimentum matrimoniale 318, 336, 345.
divortium 338, 363–364.
Civilis:
lex 5, 89, 103, 129–130, 151, 153, 163, 168, 169, 184, 185, 314, 336, 345, 363.
causa 183, 186.
possessio 134.
iudex 29, 183–186, 196, 363–364.
Civis, eius obligationes 103–104.
Clandestina:
sponsalia 317, 338.
matrimonia 316, 332, 441–442.
Clandestinitas, impedimentum matrimonii 325, 334–335.
Claustrales moniales 263.
Clausula:
legis 38.
pro usu facultatis dispensandi 333, 358.
Clausura 202, 263.
Clericus:
quis? 184.
eius privilegia 29, 196, 197.
poenae in clericos 193–194, 196, 197, 198, 199–200, 307–308, 309.
Coactiva iurisdictio 27, 33, 96, 189.
Codicillus 146.
Coelibatus 123, 308, 330, 354–355.
Coena Domini 247.
Cognatio:
carnalis 326,–327 331–332, 347.
spiritualis 327–328, 331–332, 347, 349.
legalis 328, 347, 348.
Cognitio:
Dei 7.
necessaria:
ad actum humanum 20.
,, actum in causa voluntarium 21–22, 105, 113.
.. peccatum 49, 50.
.. delectationem veneream in causa voluntariam 113.
.. valorem voti vel contractus 90, 166, 339.
,, contrahendam obligationem restitutionis 139, 157,158,159,160.
,, incurrendam censuram 192.
.. incurrendum casum reservatum 264–265.
impedimenti matrimonialis 352–353.
certa 44.
telepathica 84.
Cohabitatio mutua coniugium 99, 312, 338, 344.
Collateralis linea consanguinitatis 326–327, 328, 329, 330, 331, 332, 347.

Collatio:
beneficii 81–82, 159, 193.
vespertina 179.
Collegium 133, 152.
Colligentes stipendia missarum 197, 308.
Collisio legum et officiorum 37, 128, 343, 352.
Coloratus titulus:
possessionis 136.
iurisdictionis 262, 282.
Comitia 103.
Commercialis societas 149, 189.
Commercium:
humanum 132.
cum stipendiis missarum 197, 198, 308.
Commissarius dispensationis 333, 358, 359.
Commissoria forma dispensationis 28, 333.
Commissum secretum 173, 176–177, 285, 353.
Commodatum 147, 169.
Communicatio in sacris 62–63, 71–72.
Communia bona:
hominum 152, 154.
bona coniugum 134, 152.
actionariorum 149.
Communio:
bonorum 134, 152, 149, 313.
eucharistica: 231, 234, 242, 247, 290.
prima puerorum 177, 180.
quotidiana 244, 366.
infirmorum 244.
in morte 242, 244, 290, 197.
paschalis 180, 142–143, 243, 272.
eius ritus 242.
Commune:
